COMPENDIUM

COMPENDIUM
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ GENERALIS

AUCTORE

P. PARTHENIO MINGES O. F. M.
DOCTORE SS. THEOL. ET PHILOS.
ALUMNO PROVINCIAE BAVARICAE.

EDITIO SECUNDA
EMENDATA ET AUGMENTATA



RATISBONAE 1923
SUMPTIBUS EDITORUM CONSOCIATORUM
JOS. KÖSEL ET FRIDERICI PUSTET
J. J. LENTNER, MONACHII.

26732

Nihil obstat.

Romae, die 2. Februarii 1922.

Fr. M. Albertus O'Neill O. F. M.

Imprimi potest, servatis servandis.

Romae, die 11. Februarii 1922.

Fr. Bernardinus Klumper O. F. M.,
Min. Glis.

Imprimatur.

Monachii, die 11. Februarii 1923.

Dr. M. Buchberger,
Vic. Gen.

Typis Friderici Pustet, Ratisbonæ.

Printed in Germany.

Index.

pag.

Praefatio I
Introductio 1

Pars I.

De religione et revelatione in genere.

Caput I.

De religione in genere.

§ 1. De notione, praesuppositionibus, divisione et essentia religionis 11
§ 2. De origine religionis 16
§ 3. De proprietatibus religionis 19

Caput II.

De revelatione divina in genere.

§ 4. De notione et divisione revelationis 23
§ 5. De possibilitate, congruitate et necessitate revelationis positivae in genere . 25
§ 6. De revelatione mysteriorum in specie 29
§ 7. De cognoscibilitate revelationis in genere 32
§ 8. De criterio miraculi in specie 38
§ 9. De criterio prophetiae in specie 47

Pars II.

De religionibus non christianis.

§ 1. De religione patriarchali 54
§ 2. De religione israelitica antechristiana 60
§ 3. De religionibus paganorum in genere 80
§ 4. De Buddhismo et Islamismo in specie 92
§ 5. De religione iudaica postchristiana 97

Pars III.

De religione christiana (demonstratio christiana).

§ 1. Errores 99
§ 2. De vaticiniis veteris testamenti in persona Christi adimpletis 108
§ 3. De prophetiis a Christo ipso praedictis 114
§ 4. De miraculis a Christo patratis 114
§ 5. De signis aliis miraculosis ad probandam divinitatem Christi a Deo patratis (in vita, morte, resurrectione, ascensione Christi) 119
§ 6. De perfectione et dignitate Christi superhumana, messiana, divina . . . 132
§ 7. De miraculosa fundatione, propagatione et conservatione religionis christianae 141
§ 8. De martyrio christiano 158
§ 9. De excellentia religionis christianae. 160

Pars IV.
De religione et ecclesia catholica.

Caput I.
De institutione, membris et proprietatibus ecclesiae.

pag.
§ 1. De institutione, fine, notione et divisione ecclesiae 164
§ 2. De membris ecclesiae in genere, de ecclesia docente et discente in specie . 172
§ 3. De proprietatibus ecclesiae 177

Caput II.
De veritate et divinitate ecclesiae catholicae (demonstratio catholica).

§ 4. De notis et cognoscibilitate ecclesiae in genere 183
§ 5. De notis in specie 186
§ 6. Ecclesiae Romano-catholicae competunt omnes notae verae ecclesiae . . 194
§ 7. Ecclesiis acatholicis hae notae non competunt 202

Caput III.
De triplici potestate ecclesiastica.

Articulus I.
De potestate iurisdictionis ecclesiastica.

§ 8. De potestate iurisdictionis apostolorum et episcoporum 215
§ 9. De primatu S. Petri apostoli 225
§ 10. De successione Romani Pontificis in primatu Petri 233
§ 11. De proprietatibus et ambitu primatus iurisdictionis Summi Pontificis . . 240

Articulus II.
De potestate magisterii ecclesiastici.

§ 12. De infallibilitate Summi Pontificis (Congregationes Pontificiae) 243
§ 13. De potestate magisterii et infallibilitate episcoporum et conciliorum . . 253
§ 14. De obiecto infallibilitatis 255

Pars V.
De fide ecclesiae catholicae.

Caput I.
De regula fidei.

Articulus I.
De regula fidei remota.

Sectio I.
De Traditione.

§ 1. De Traditione in genere (de notione, divisione, necessitate, valore, fontibus Traditionis) 259
§ 2. De realitate Traditionis constitutivae seu fontis revelationis a Scriptura distincti 267

Sectio II.
De Scriptura Sacra.

§ 3. De notione, divisione et excellentia Scripturae S. 272
§ 4. De inspiratione Scripturae S. 274
§ 5. De infallibilitate Scripturae S. 282
§ 6. De canone Scripturae S. — De Vulgata 288
§ 7. De expositione Scripturae S. 299

Articulus II.

De regula fidei proxima seu de propositione magisterii ecclesiastici.

pag.
§ 8. De notione et realitate regulae fidei proximae 307
§ 9. De modo propositionis ecclesiasticae in genere. — De censuris in specie . 309

Caput II.

De obiecto fidei seu de fide, quae creditur.

§ 10. De dogmatibus aliisque veritatibus amplectendis 313
§ 11. De immutabilitate et profectu fidei 321

Caput III.

De fide, qua creditur, seu de actu fidei subiectivo.

§ 12. De actus fidei elementis constitutivis, condicionibus et proprietatibus requisitis, definitione (analysis actus fidei) 328
§ 13. De excellentia fidei 345
§ 14. De necessitate fidei 348

Caput IV.

De ordine inter fidem et rationem.

§ 15. De ordine inter fidem et rationem, inter theologiam et philosophiam in genere 354
§ 16. De ordine inter fidem et historiam in specie 360
§ 17. Falsa systemata 365

Praefatio.

Post publicationem editionis novae nostri compendii dogmaticae specialis nunc denuo edimus compendium dogmaticae generalis pariter augmentatam et emendatam. Augmentatio et emendatio facta est ex iisdem rationibus et, quatenus aptum esse videbatur, secundum eadem principia atque in dogmatica speciali. Ipsam praefationem prolongare expedire putavimus. Nam consentaneum esse videtur aliquid supplere, quod in priore editione praetermissum est, scil. de titulo libri, de materia tractanda et methodo, quam elegimus.

a) Elegimus titulum *„dogmatica generalis"*. Ratio proxima fuit, quia in nova editione titulus prioris editionis retinendus est, nisi rationes gravissimae aliud suadeant. Sed nulla ratio praesto esse videtur. De prima editione non pauca iudicia legimus vel audivimus, sed nemo optavit, ut titulus alteretur. Praeterea hic titulus optimus esse videtur. Nam omnia themata, quae nunc tractantur in libris, quibus titulus est: „apologetica", „theologia fundamentalis", plus minusve ad dogmaticam pertinent, quia continent dogmata formalia vel cum dogmatibus intime cohaerent. Tractantur revelatio positiva, eius possibilitas, factum, criteria (miracula, prophetiae), credibilitas etc; religio christiana, eius origo divina, veritas, necessitas; persona Christi, eius vita et doctrina extraordinaria, miracula, resurrectio, ascensio; institutio divina ecclesiae, eius proprietates, notae, constitutio, hierarchia, praesertim primatus Summi Pontificis, infallibilitas, magisterium ecclesiae, regulae et obiectum fidei (Scriptura, Traditio, dogmata etc): nonne omnia haec puncta aliquatenus dogmata formalia sunt? Etiam religio in genere, religiones paganorum, populi Israel, de quibus interdum, etiam a nobis ipsis agitur, sive negative sive positive cum religione christiana cohaerent; religio christiana autem a Christo ipso instituta est, veritates ab eo pronuntiatas docet, et ideo absque dubio

in dogmatica alicubi consideranda est. Eo ipso consentaneum esse videtur tangere etiam religionem in genere et religiones non christianas in specie.

Minus aptus esse videtur titulus *„theologia fundamentalis"*. Nam si hoc verbum audimus, primo loco cogitamus de introductione in Scripturam S.; nam haec disciplina proprium fundamentum theologiae ponere videtur. Nomen non satis exprimit, agi maxima ex parte de rebus, quae sunt propria dogmata; dogmata autem propria etiam modo proprie dogmatico proponenda sunt.

Simile dicendum est de titulo *„apologetica"*. Immo hoc nomen minus aptum est quam nomen „theologia fundamentalis"; nam per se est non praecisum, non exprimit, quid defendendum sit; apologetica defendit quidem multas veritates catholicas, sed nonnisi fundamentales, non omnes; defendit quidem religionem christianam et catholicam, sed dumtaxat in genere vel eius fundamenta; proprie solummodo demonstrat eam esse amplectendam. Quare multo aptior esset titulus „demonstratio christiano-catholica", vel melius „demonstratio catholica"; nam revera ostenditur, religionem catholicam solam esse vere religionem. At etiam hic titulus non designat, res tractatas esse dogmata formalia.

Idem tangit titulum *„introductio in theologiam"*. Hoc nomen etiam plus quam „theologia fundamentalis" innuere videtur, proponi tantum aliquam hodegeticam, methodologiam, encyclopaediam theologicam, non veritates, quae fide stricta tenendae sunt.

Nomen *„dogmatica generalis"* solum ostendit etiam in id, quod dogmatica est et manet regina omnium disciplinarum theologicarum, sicut videbimus. Hoc nomen praeservat etiam optime ab omni indifferentismo et latitudinarismo, modernismo, cui facile nimis indulgere possint, qui in „apologetica" vel „theologia fundamentali" parum cogitant veritates defendendas et demonstrandas esse dogmata formalia, sumenda nonnisi in eo sensu, quem ecclesia tenet. Ceterum optima apologia fidei est recta et lucida propositio eius veritatum, et demonstratio, quid hae doceant, quid non doceant, quam inseparabiliter inter se cohaereant, quantopere nitantur eodem fundamento, quod si cadit, omnia dilabuntur. Praeterea scribimus pro lectoribus non infidelibus vel acatholicis, sed catholicis, immo theologis, et hi scire debent, quid Scriptura, Traditio, Ecclesia de religione, revelatione, miraculis etc doceant et ut dogma

et doctrinam catholicam praescribant. Multa huiusmodi theologis ad sciendum necessaria in aliquibus apologeticis etc desiderari vel non satis proferri videntur. Pro lectoribus acatholis aliter scriberemus et solummodo secundum methodum philosophico-historicam procederemus aliumque titulum eligeremus.

b) *Quod res tractandas concernit*, pariter non est, quare non easdem et solummodo easdem retineamus, quas in prima editione proposuimus.

Absque dubio facienda est demonstratio christiana et catholica seu ostendendum est, religionem christianam et catholicam esse veram. Sed consentaneum est his tractatibus praemittere tractatum brevem de religione et de revelatione in genere, de religionibus non christianis praecipuis, quia ex consideratione falsitatis veritas ipsa magis elucescat. Religio patriarchalis et religio israelitica antechristiana non fuere religiones falsae, sed dumtaxat imperfectae et prodromae seu praecursores religionis christianae, et eatenus saltem congruenter, immo forte necessario, ante religionem christianam, sed in eadem disciplina considerandae esse videntur.

Tractatus de ecclesia, eius institutione, constitutione multa dogmata continet, quare imprimis ad dogmaticam spectat, praesertim cum ius canonicum haec dogmata praesupponat, eorum probationem dogmaticae relinquat. Aliqui dogmatici velut B. Bartmann agunt de ecclesia post tractatum de Christo et ante tractatum de sacramentis. Certe verum est, ecclesiam esse gratiam externam summam a Christo nobis promeritam et dici posse sacramentum maximum et a sacramentis praesupponi; eatenus hic locus non ineptus est. Sed altera ex parte sine ecclesia non est canon Scripturae S., non Traditio divino apostolica, nullum magisterium ecclesiasticum, quod infallibiliter nos docet de veritatibus dogmaticis Deum unum et trinum, creationem et redemptionem concernentibus; qua de causa saltem magis expedit tractatum de ecclesia assignare dogmaticae generali, eumque ponere ante discussionem de regulis fidei, eo ipso ante considerationem Scripturae S. et Traditionis. Nam Scripturam et Traditionem accipimus ab ecclesia.

Breviter agimus etiam de canone biblico et Vulgata; non ignoramus hoc spectare etiam ad introductionem in Scripturam; sed quoad canonem et Vulgatam datae sunt decisiones ecclesiasticae auctoritatis dogmaticae, et dogmata omnia in dogmatica alicubi comme-

moranda et explicanda sunt, praesertim cum timendum sit, ne non omnes introductores in Scripturam vel exegetae id satis faciant et perpendant.

His dissertationibus adiungendum esse tractatum de fide quae creditur seu de obiecto fidei in genere, id est de dogmatibus aliisque veritatibus amplectendis eorumque immutabilitate et profectu, nemo neget. Sed congruum esse videtur addere immediate postea discussionem de fide subiectiva, de fide qua creditur, seu de actu fidei. Nam praeter cohaerentiam intimam cum regulis et obiecto fidei actus fidei est ponderis generalis et gravissimi, quia actu fidei assentiendum est omnibus dogmatibus a dogmatica generali et speciali statutis. Hic assensus fieri potest et debet iam in studio singulorum dogmatum, quare saltem perutile est antea scire, qualis hic assensus sit et quid postulet. Praeterea dogma est, quid sit actus fidei et quae sint eius proprietates.

De actu fidei alii velut Christianus Pesch agunt unacum spe et caritate in proprio tractatu „de virtutibus theologicis" post tractatum de gratia. Hic locus per se congruus esse videtur, quia cum gratia habituali hae virtutes animae infunduntur. At tractatus de virtutibus theologicis provincia theologiae morali relinquenda esse videtur; haec enim disciplina theologica apud omnes theologos de virtutibus moralibus agit; atqui etiam virtutes morales unacum virtutibus theologicis infundi dicuntur; itaque consequentia logica videtur postulare, ut hi dogmatici etiam versentur in virtutibus moralibus fusius considerandis, id quod relinquunt theologiae morali. Huic relinquunt etiam considerationem de peccatis contra virtutes theologicas; sed si moralistis solis competit tractare de peccatis, etiam eis relinquatur agere de virtutibus oppositis. Accedit quod illi dogmatici agunt quidem de caritate in Deum, non autem de caritate in proximum; atqui secundum Scripturam amor in Deum intime et inseparabiliter cum amore in proximum coniunctus est; quam ob rem etiam simul de caritate in proximum agere eos deceret. Obici potest: non licet dismembrare dissertationem de fide a dissertatione de spe et caritate. Resp. Spes et caritas pertinent etiam ad dogmaticam, sed nonnisi ad dogmaticam specialem, quatenus cum gratia habituali infunduntur, et hoc etiam nos suo loco extulimus, sed non spectant ad omnia dogmata sicut fides,

quare non merentur illam specialem et separatam considerationem, quam meretur fides.

Ultimo loco agemus de ordine inter fidem et rationem. Eiusmodi dissertationem ad dogmaticam generalem (theologiam fundamentalem) pertinere, natura rerum secum ferre videtur. Nam agitur de quaestione principali et fundamentali concernente totum systema non solum dogmaticum, sed etiam theologicum. Propositiones singulae partim dogmata formalia sunt, partim saltem cum eis intime cohaerent. Quia sunt veritates fundamentales et generales, discutiendae sunt in dogmatica generali (theologia fundamentali), non in dogmatica speciali. Posuimus hunc tractatum in loco ultimo, quia facilior est intellectu et brevior esse potest, postquam antea vidimus, quid sit religio, revelatio, miraculum, dogma, fides; item, magisterium ecclesiasticum divinitus esse institutum et infallibile.

c) *Methodus adhibenda* ex ipso titulo „dogmatica generalis" sequitur; id est methodus non est mere philosophico-historica, sed etiam dogmatica. Propositiones singulae probantur etiam ex auctoritate, ex Scriptura, Traditione et decisionibus ecclesiasticis, quatenus possibile, utile, necessarium esse videtur. Permultae theses etiam dogmata sunt, qua de re etiam dogmatica via probari et confirmari debent. Hoc modo certe dogmata omnia discipulis et lectoribus proponuntur ut vera et propria dogmata. Hoc forsitan non fiat, si in „apologetica" vel „theologia fundamentali" solum methodus philosophico-historica adhibetur. Nam sic evenire potest, ut veritates de revelatione, miraculis, ecclesia etc, quae dogmata sunt, non vel non satis debitoque modo, et ut dogmata proponantur; periculum est, ne dicta dogmata generalia non debito modo ut dogmata probentur et tradantur, si sola methodus philosophico-historica usurpetur. Absque dubio praesertim in apologetica seu theologia fundamentali seu dogmatica generali etiam haec methodus adhiberi debet, multo plus quam in dogmatica speciali, sed doctor non obliviscatur, non paucas theses defendendas etiam esse dogmata, et ut dogmata ponenda esse, praesertim cum alumni non alias satis de iis instruantur.

Ceterum non ignoramus alios aliter sentire vel aliud desiderare, aliam methodum aliaque themata discutienda. Quia theologi ne de titulo quidem consentiunt, non mirum est eos dissentire etiam plus de materia tractanda et forma adhibenda. Aliter progrediendum

esse videtur, si componitur „apologetica“, aliter si scribitur „theologia fundamentalis“, aliter quoad dogmaticam generalem. Usus ab omnibus receptus nondum inventus est, et vix brevi invenietur, praesertim cum in plerisque institutis duo doctores constituti sint, unus pro dogmatica speciali, alter pro „apologetica“ seu „theologia fundamentali“, in aliis autem unus tantum professor utramque disciplinam tradat. Item aliter procedendum est, si singulis septimanis quaternae aut senae aut plures lectiones assignantur; aliter si totum studium theologicum tribus aut quatuor aut quinque annis persolvitur. Quare impossibile est, omnibus desideriis obsequi. Operam dedimus, ut compendium nostrum sit tum dogmatica generalis tum sufficiens „apologetica“ et theologia fundamentalis. Lector attentus in eo inveniet non pauca, quae nostris temporibus maximi momenti sunt, sed in aliis compendiis, manualibus, immo operibus voluminosis desiderantur.

Reperiet quoque nos in nostra „dogmatica generali“ satis largiterque usos fuisse methodo philosophico-historica, viam apologeticam et polemicam non minus ingressos esse quam alios in sua „apologetica“. Hoc non obstat titulo „dogmatica generalis“; sed momenta, documenta, argumenta dogmatica pluris aestimanda esse putavimus ex rationibus dictis.

Titulus „dogmatica generalis“, sicut iam innuimus ipse optimeque exprimit, nos reicere illam apologeticam, quam dicunt modernisticam, de qua postea agemus.

Introductio.

1. *Theologia secundum etymon* est *λόγος θεοῦ*, sermo de Deo 1
agens. Graeci et Romani antiqui vocaverunt theologos illos poëtas et philosophos, qui velut Orpheus, Homerus etc. de origine deorum eorumque rebus gestis cecinerunt vel tractaverunt.[1]) *Aristoteles*[2]) intellexit per theologiam illam partem philosophiae, quae agit de rebus et immobilibus et separatis a materia et per se existentibus (ergo de Dei essentia, attributis et relatione ad mundum), nominat eam philosophiam primam. *Pseudo-Dionysius*[3]) voce theologorum designat hagiographos, auctores Scripturae S. divinitus inspiratos. Alii Patres velut S. Athanasius et Cappadoces dixere theologiam praesertim doctrinam de Deo uno in tribus personis vel potissimum doctrinam de divinitate Iesu Christi; quare S. Ioannes Evangelista et S. Gregorius Naz. cognominabantur „theologus", quia hi inprimis versabantur in demonstratione et defensione divinitatis Christi; operationem Dei ad extra spectantem velut creationem, praesertim autem incarnationem divini Verbi, Patres *θεία οἰκονομία* (dispensatio divina) nominabant. Scholastici et ipsi theologia tum doctrinam omnem de Deo rebusque divinis tum solum tractatum de Deo uno et trino agentem intellexerunt; pro theologia in genere saepe utebantur voce „sacra doctrina"; pro „sacra doctrina" medio aevo ad finem vergente vox theologiae communiter recepta est.

2. Secundum fontem cognitionis *theologia omnis distinguitur in theologiam naturalem et supernaturalem.* Theologia naturalis, 2
quae etiam nuncupatur theologia philosophica seu rationalis, est illa, quae obiecta sua cognoscit et considerat ex revelatione naturali seu per ea, quae facta sunt. Theologia supernaturalis est ea, quae veritates depromit ex fontibus revelationis positivae, scil. ex iis, quae locutus est Deus. Haec est theologia *κ. ε.* Quare *theologia definiri potest: scientia de Deo et rebus divinis ex revelatione positiva hausta.*

3. *Obiectum quod seu materiale theologiae* sunt omnes veritates 3
in revelatione divina explicite vel implicite contentae. *Obiectum propter quod seu quo seu formale* seu id, propter quod in theologia

[1]) cfr. *Cicero*, de natura deorum, 3, 21.
[2]) metaph. saepius, e. c. l. 5. c. 1. (1026 a 19).
[3]) e. gr. de div. nom. 1, 6; M. 3, 595. („M" apud locos Patrum exprimit editionem operum Patrum latinorum vel graecorum per Migne procuratam).

tractantur veritates quaedam, est revelatio divina seu sunt eaedem veritates, quae constituunt obiectum materiale, sed eatenus, quatenus revelatae sunt. *Obiectum de quo seu subiectum attributionis seu idea et veritas centralis totius theologiae est Deus*, tum quia Deus est obiectum materiale principale, tum quia omnia alia obiecta, de quibus theologia agit, e. c. mundus, angelus, homo, virtutes, considerantur nonnisi in relatione ad Deum. *S. Thomas*:[1]) „Omnia pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium et finem. Unde sequitur, quod Deus vere sit subiectum huius scientiae." Similiter Scotus.[2]) Idem sequitur ex ipso nomine theologiae. — Deus autem est *obiectum de quo* simpliciter, non quatenus est auctor salutis, sicut aliqui censuere; nam alioquin sacra doctrina esset potius nominanda soteriologia. Alii putaverunt, Christum esse subiectum attributionis; at tunc haberemus christologiam, non theologiam. *Scotus*[3]) reprobat opinionem, „Christum esse primum subiectum, quia tunc veritates necessariae de Patre et Spiritu S. non essent theologicae". Eo minus idea regni Dei subiectum attributionis esse potest, sicut aliis placuit, vel homo etc. Omnia haec obiecta in ordine ad Deum sunt.

4 4. *Fontes, ex quibus theologia positiones suas derivat, dicuntur loci theologici*, et sunt praecipue: Scriptura S., Traditio, Ecclesia, SS. Patres, decisiones Summorum Pontificum et Conciliorum, traditio antiqua seu doctrinae et usus pii a maioribus haereditate accepti, historia et monumenta ecclesiastica, ratio, auctoritas theologorum. Eadem vocantur principia theologiae, quibus nititur scientia theologica. De locis theologicis primus Melchior Canus[4]) ex professo egit. De gravitate et valore eorum infra tractabitur suo loco in propriis tractatibus.

5 5. *Theologia est vera scientia* seu disciplina scientifica. Hoc est firmiter tenendum contra antiquos Nominalistas et praesertim contra modernos Rationalistas et Materialistas. Habet enim omnia elementa et condiciones ad scientiam requisitas. Habet primarie obiectum suum formale, scil. revelationem, secundum quod omnes positiones considerantur. Item praesto est subiectum attributionis, scil. Deus, ad quod omnia alia obiecta referuntur. Veritates theologicae non manent membra disiecta vel permixtim

---

[1]) 1. qu. 1. a. 7. (quoties S. Thomas citatur sine nomine operis, intelligi debet Summa Theol.).

[2]) proleg. qu. 3. n. 7. (quoties citatur Scotus sine nomine operis, intelligendus est Commentarius in Sent. seu opus Oxoniense).

[3]) l. c. n. 14; item Collationes, collat. 30. n. 8 ss.

[4]) „Locorum theologicorum libri duodecim". Is tractat de auctoritate Scripturae, Traditionis apostolicae, ecclesiae catholicae, conciliorum, ecclesiae romanae, Sanctorum (Patrum), doctorum, scholasticorum, rationis naturalis, philosophorum, humanae historiae. — Vox loci sumpta est ex Aristot. (Rhetor. I. 2 in fine) (τόποι) et significat „sedes argumentorum".

aliae ad alias congeruntur, sed ordinantur logice secundum regulas definitionis, divisionis et argumentationis, et unicuique propositioni locus aptus assignatur ita, ut efficiatur unum totum organice constructum. — Non obstat, quod principia theologiae non sunt a priori nota. Si tantum illa cognitio constitueret veram scientiam, quae oritur ex principiis a priori intellectis, non essent aliae scientiae nisi metaphysica et mathematica, sed iurisprudentia, historia etc. non essent disciplinae vere scientificae.[1]) — Item non obstat, quod theologia principia sua non evidenter cognoscit; si eiusmodi cognitio ad rationem scientiae opus esset, plurimae aliae disciplinae non essent verae scientiae. Pariter possumus concedere, theologiam non esse disciplinam, quam vocant „exactam"; non enim positiones suas sub formulis mathematicis in medium proferre potest. At id ne metaphysica quidem valet nec iurisprudentia, ethica etc. Immo ipsae disciplinae rerum naturalium, etsi dicuntur exactae, utuntur analogiis, congruentiis, inductionibus vim probandi minorem habentibus. In formulis mathematicis exprimi possunt nonnisi propositiones ad materiam spectantes, non illae, quae pertinent ad spiritum libere agentem. Theologia non est nec esse vult scientia, quae obiecta sua omnia perfecte cognoscat. Cuiusmodi scientia in hoc mundo impossibilis est, cum ipsa mathematica non quoad omnia velut quoad infinite magnum et infinite parvum gaudeat evidentia interna perfecta. Certe cognitio et scientia theologica defectuosa est, at hoc non venit ex defectu certitudinis obiectorum, sed ex defectu et imperfectione nostrae cognitionis, quae secundum illud Aristotelis[2]) ad divina se habet sicut oculi noctuae ad lucem solis. — Theologia est ergo scientia vera eaque scientia omnium maxime eximia, tum ob obiecta sua, scil. Deum resque divinas, tum ob suum finem, scil. adipiscendam visionem, possessionem fruitionemque Dei beatificam et aeternam salutem nostram, tum ob infallibilem indubiamque certitudinem, quam cognitio theologica, auctoritate divina inerrabili nitens, praestat.

6. *Divisio.* — Theologia, etsi in se est una disciplina sacra propter unitatem obiecti formalis et subiecti attributionis, tamen utiliter in disciplinas varias dividi potest, et nunc dividi solet in disciplinas historicas, systematicas (theoreticas) et practicas. a) *Disciplinae systematicae* sunt illae, quae per se systema doctrinae ecclesiasticae seu doctrinam fidei et morum efficiunt; sunt ergo 6

[1]) *Scotus* (prol. l. c. n. 26 ss) disserens, theologiam non esse scientiam, non vult dicere, eam nulla ratione posse vocari scientiam, sed tantum sentit, eam non esse scientiam „stricte sumptam" seu in sensu Aristotelico seu talem, qualis adhibet demonstrationem deductivam syllogisticam ex principiis naturaliter notis — et reapse theologia scientia eiusmodi non est, quia eius principia nituntur fide supernaturali. Ipse Scotus construit aedificium scientificum theologicum non secus ac theologi alii, nominat theologiam scientiam „eminentissimam" (l. c. qu. 4. n. 28), exponit, revelationem supernaturalem per miracula etc credibilem fieri (l. c. qu. 2. n. 3. ss).

[2]) metaph. I. (A. ἔλαττον), cap. 1 (993 b 9).

theologia dogmatica et moralis. Hae dicuntur etiam disciplinae theoreticae seu theologia theoretica, quia veritates divinas simpliciter considerant et exponunt respectu minus habito ad usum exercitationemque vitae religiosae et ecclesiasticae. Haec theologia theoretica iterum dividi potest in *theologiam positivam et speculativam* seu scholasticam. Positiva est illa, quae propositiones suas ex fontibus revelationis derivat et probat et ut revelatas ob oculos ponit. Theologia speculativa veritates ex verbo Dei scripto et tradito iam haustas lumine rationis, quantum potest, perscrutatur, ordinat, inter se ad unum corpus seu systema bene dispositum logice connectit et ita aedificium doctrinae fidei vel morum construit. Scholastici theologiam imprimis speculative pertractabant, sed ex pseudoreformatione magis quam antea opus est, singulas praesertim fidei veritates ex fontibus revelationis eruere et demonstrare seu uti theologia positiva. — b) *Disciplinae practicae* sunt illae, quae docent, quomodo veritates a theologia dogmatica et morali propositae ad vitam christianam ecclesiasticamque adhibendae sint. In sensu latiore omnis theologia et theoretica et practica est,[1]) sed ex usu loquendi communiter nunc recepto ad theologiam practicam illae tantum disciplinae adnumerantur, quae *κ. ε.* versantur in expositione regularum et mediorum illorum, quae immediate serviunt ad vitam quotidianam secundum voluntatem Christi et ecclesiae bene disponendam. Ad has pertinent ius canonicum, theologia pastoralis (catechetica, homiletica, kybernetica, liturgica): hae disciplinae interdum, e. c. a Kihn, inter theologiam systematicam numerantur contra disciplinas historicas. — c) *Disciplinae historicae* sunt illae, quae theologiam systematicam et eo ipso etiam practicam fundant, stabiliunt, et media dant ad eas melius acquirendas et intelligendas, quare vocantur etiam disciplinae subsidiariae; hae sunt disciplinae biblicae, scil. isagogica seu introductio in Script. S., hermeneutica, exegesis, archaeologia, geographia, philologia biblica; praeterea disciplinae ad historiam ecclesiae spectantes, nempe historia ecclesiae in genere, historia conciliorum, haeresum et dogmatum, patrologia et patristica, archaeologia (theologia monumentalis), geographia et statistica ecclesiastica.

7 7. *Theologia dogmatica* est illa disciplina theologica, quae agit de rebus divinis theoreticis nitens dogmatibus ecclesiasticis. Quid dogma sit, posterius videbimus. — Inter omnes disciplinas theologicas dogmatica est disciplina centralis; eam enim proxime petunt disciplinae historicae seu subsidiariae, et in ea quasi rami

[1]) Secundum *S. Thomam* (1. qu. 1. a. 4) theologia in se est scientia magis speculativa (theoretica) quam practica, quia per eam „ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit". Secundum *Scotum* (l. c. qu. 4. n. 1 ss; cfr. collatio 30) est scientia practica, quia secundum Rom. 13, 10 „finis legis est dilectio", et Scotus aeternam beatitudinem primarie ponit in dilectione seu fruitione Dei.

in stirpe fundantur theologia moralis et theologia practica, quatenus ex dogmatica recipiunt sua principia.

8. *Dismembratio dogmaticae ab aliis disciplinis theologicis.* — 8
Apud Patres res theologicae tractantur praecipue in homiliis practicis vel in scriptis polemicis vel in expositione Scripturae ita, ut sicut etiam in Scriptura res dogmaticae et morales etc coniunctae sint, et systema theologicum strictum minus appareat. Res theologicas systematice ordinare coepit praesertim *Origenes* in libris „*περὶ ἀρχῶν*“ seu „de principiis“, postea *S. Augustinus* in „enchiridion ad Laurentium de fide, spe et caritate“, imprimis autem *S. Ioannes Damascenus in opere „πηγὴ γνώσεως“* = „fons scientiae“ vel „de fide orthodoxa.“ — Scholastici, quorum praecursor *S. Anselmus* († 1109) et quorum pater dici potest *Petrus Lombardus* († 1164) „magister sententiarum“ vel „magister“ *κ. ε.*, et ipsi dogmaticam et moralem simul tractavere in suis Summis theologicis vel in commentariis ad sententias Lombardi.[1]) — A saeculo 17, praesertim a *Dionysio Petavio* in „opus de theologicis dogmatibus“, dogmatica a morali divisa est. Ob hanc dismembrationem utraque disciplina accuratius tractari potest; at periculum est, ne theologia moralis prorsus a dogmate abstracta fiat philosophia moralis vel casuistica pure externa et legalis. Item est cavendum, ne dogmatica fiat speculatio infructuosa parum spectans ad res et indigentias vitae practicae.

9. *Disciplinae dogmaticae particulares* sunt apologetica, pole- 9
mica, irenica, symbolica, dogmatica generalis et specialis. *Apologetica* in sensu latissimo sumpta defendit dogmata fidei contra adversarios; *polemica* eorum errores directe detegit et refellit; *irenica seu henotica* studet inter se reconciliare religionem veram et falsam, quare effert praesertim ea, quae omnibus religionibus communia sunt; at eiusmodi studium ducit facile ad indifferentismum, latitudinarismum et tolerantiam nimiam; *symbolica* est dogmatica, quatenus ex libris symbolicis veritates diversarum religionum eruit et inter se comparat. Omnis theologia oportet sit plus minusve apologetica aut polemica secundum eam fidem, quam theologus ipse veram putat. Momentum apologeticum et polemicum etiam quoad theologiam moralem, ius canonicum etc locum habet; nam omnes hae disciplinae redarguere debent adversarios et defendere suas proprias propositiones. Attamen apologetica *κ. ε.* designat disciplinam dogmaticam, scil. in sensu strictiore eam, quae eadem nuncupatur theologia generalis seu fundamentalis, introductio in theologiam vel dogmaticam, doctrina cognitionis theologicae vel dogmaticae, dogmatica generalis; in

[1]) *S. Thomas* in Summa c. Gentiles, et *S. Bonavent.* in Breviloquio nonnisi res dogmaticas attingunt.

sensu strictissimo apologetica denominat illam partem dogmaticae generalis, quae agit de religione et revelatione in genere et proponit demonstrationem christianam et catholicam seu probat, religionem ecclesiamque christianam atque catholicam esse veram et eo ipso unicam et absolutam. Nos tractabimus de apologetica in sensu strictiore et strictissimo, de dogmatica generali. *Dogmatica generalis* est disciplina traducens ex philosophia in theologiam, ponit fundamenta non solum dogmaticae specialis, sed etiam totius theologiae, continet apologeticam in sensu strictissimo, agit quoque de locis theologicis seu de principiis, ex quibus dogmatica specialis, immo theologia omnis, veritates suas derivat. *Dogmatica specialis* versatur in singulis dogmatibus ecclesiasticis, habet se ad dogmaticam generalem similiter atque in philosophia metaphysica ad logicam et noëticam vel sicut principiatum ad principium vel sicut aedificium ad fundamentum.

10. *Ab apologetica est distinguenda apologia.* Omnis apologetica est apologia, sed non vice versa; differunt sicut theoria et praxis. Apologetica dat necessaria prolegomena ad universalem theologiam eamque fundat, exhibet principia generalia theologica, et quatenus est theologia defensoria, demonstrat religionem christianam catholicamque ut veram. Apologia propugnat unam alteramve veritatem eiusdem religionis, vel etiam totum Christianismum et Catholicismum secundum indigentiam temporum idque ex principiis per apologeticam explicitis. Apologia est antiquior quam apologetica. Iam Patres composuerunt multas apologias contra Gentiles et Iudaeos; nominentur praesertim Eusebii Caesar. „praeparatio evangelica“ et „demonstratio evangelica“, S. Athanasii „oratio adv. Gentes“, S. Augustini „de civitate Dei“; item Scholastici contra Iudaeos et Mohammedanos, e. c. S. Thomae „Summa contra Gentiles“. Raym. Martini O. P. „pugio fidei adv. Mauros et Iudaeos“, Alphonsi a Spina O. F. M. „fortalitium fidei“ etc. Inter defensores doctrinae catholicae contra Lutherum etc. floruit praesertim Bellarminus S. I. Contra Deistas, Rationalistas, Pantheistas, Materialistas, Atheistas praesertim saeculo 19. et 20. plurimae eximiae apologiae editae sunt velut a Vosen, Hettinger, Weiss, Schanz, Wilmers, Pesch, Glossner, von Schaezler, Gutberlet, Iansen, Schell, Simon Weber, Hilarin Felder O. Min. Cap., Ant. Seitz, Kneib, Ottiger, Wunderle, Bougaud, Dechamps, Causette, Orti y Lara, Mir, Zigliara, Gatti, Franchi etc. Apologetica econtra est disciplina recentior; demum saeculo 19, primum a Seb. Drey, coepta est tractari ut disciplina propria. — *Theologia fundamentalis* (apologetica, dogmatica generalis) differt ab encyclopaedia, hodegetica, methodologia theologica. Hae nonnisi disserunt, quid significent theologia in genere et peculiares disciplinae theologicae, quid eaedem sibi velint, quomodo distinguantur, quae sint earum lineamenta,

quam viam et ordinem sequantur, quae sit earum historia et litteratura praecipua.[1])

11. *De dogmaticae generalis* (apologeticae, theologiae fundamentalis) *ambitu, ordine et methodo lis est*, praesertim cum haec disciplina adhuc sit recentior. Theologi aliqui in ea agunt etiam de scepticismo, pantheismo, materialismo, ontologismo etc; vel de existentia Dei eiusque demonstratione, de immaterialitate et immortalitate animae, vel de authenticitate pentateuchi et evangeliorum. Sed hae res rectius et nunc communiter tractantur a philosophia, dogmatica speciali et introductione in Scripturam, cum dogmatica generalis soleat agere de religione et revelatione in genere, de religionibus non christianis, de demonstratione christiana et catholica, de ecclesia, de regulis fidei (Scriptura S., traditione, praedicatione ecclesiastica), de obiecto, actu et scientia fidei. Verum etiam in his materiis exponendis alii alium ordinem servant. Uni assignant tractatui de ecclesia locum ante tractatus de Scriptura S. et de traditione, alii post hos tractatus; alii agunt prius de Scriptura quam de traditione, alii vice versa. De ecclesia agunt alii nonnisi in dogmatica generali, alii nonnisi in dogmatica speciali, alii in utraque. Alii ordiuntur a religione christiana, alii a religione catholica. Sunt, qui versantes in revelatione, miraculis, demonstratione christiana et catholica, utuntur argumentis nonnisi pure philosophicis et historicis nulla ratione habita ad auctoritatem divinam Scripturae vel decisiones, ecclesiasticas — et haec methodus hodie valde approbanda, immo necessaria est pro lectoribus iis, qui admittunt documenta nonnisi mere naturalia. Alii in libris de dogmatica generali seu theologia fundamentali ingrediuntur viam non solum philosophico-historicam, sed etiam theologicam nitentes auctoritate supernaturali Scripturae, traditionis et praedicationis magisterii ecclesiastici; haec methodus — quam nos quoque sequemur — adhiberi potest pro lectoribus catholicis, qui concedunt eiusmodi testimonia tamquam vim probandi certam, immo infallibilem habentia. Circulus vitiosus non adest, quia Scriptura S. et traditio apostolica considerari possunt ut fontes veritatis iam naturaliter magnopere credibiles. 11

12. Etsi non scribimus propriam apologeticam, sed ex rationibus allegatis dogmaticam generalem, et ideo cum methodo apologetica coniunximus methodum dogmaticam, tamen consentaneum est, *brevem discussionem praemittere de methodo apologetica in specie.* 12

a) Apologetica (*ἀπολογεῖσθαι*, defendere, vindicare) stricte sumpta adit adversarios, intendit refutare eorum obiectiones et 13

[1]) Cfr. *Werner C.*, Geschichte der apologet. u. polem. Literatur der christl. Theologie, 1861—66. — *Langhorst*, Zur Entwicklungsgeschichte der Apologetik (Stimmen von Maria-Laach, 18, 165 ss.; 19, 47 ss.; 20, 22 ss. — *Wirthmüller*, Enzyklopädie der kath. Theologie. 1874. — *Kihn*, *Enzyklopädie* u. Methodologie der Theologie, 1892. — *Krieg*, Enzyklopädie der theol. Wissenschaften, 1899. — *A. Schill*, Theol. Prinzipienlehre² 1903.

errores. Quare ei procedendum est a fundamento et principiis, quae ipsi adversarii admittunt. *Contra Graecos* aliosque schismaticos orientales niti debet Scriptura Sacra, Patribus et Conciliis antiquis illis, quae ipsi venerantur; *contra Protestantes* orthodoxos Scriptura ut libro divinitus inspirata uti potest, sed Patres et traditionem antiquam nonnisi ut auctores et fontes mere naturales, non supernaturales citare potest, quia solam Scripturam tamquam auctoritatem divinam et supernaturalem profitentur; eo minus auctoritatem ecclesiae catholicae, quam omnino respuunt. *Contra Iudaeos* solum Testamentum Vetus allegare licet, sed non illas partes, quas ut spurias reiciunt; similiter adversus Mohammedanos. *Contra modernos Naturalistas, Rationalistas, Pantheistas, Materialistas, Monistas, Occultistas, Theosophos, Neobuddhistas ceterosque Neopaganos, Atheistas* etc. qui solam rationem humanam ut fontem veritatis concedunt, sola ratio cum historia generis humani adhibenda est. Ecclesia catholica non aliter atque ecclesiae et societates non catholicae considerandae sunt, id est ut figmenta et associationes mere naturales. Pariter scripta SS. Patrum. Etsi contra Graecos, Protestantes orthodoxos, Iudaeos Scriptura ut fons auctoritate divina gaudens efferri potest, tamen optime sola argumenta mere naturalia adhibentur; nam apologetica debet esse scientia una et simplex; itaque principia simplicia sunto. Quare methodus est mere rationalis seu philosophica; dici potest philosophico-historica, quia ex historia permulta testimonia sumi solent. Sed scientia theologica nominari potest, quia obiectum eius sunt Deus et res divinae, ergo veritates theologicae, non veritates mere cosmologicae, metaphysicae, psychologicae.

14 b) *Certitudo, quam apologetica gignit, dumtaxat moralis est.* De qua fusius agemus in paragrapho de cognoscibilitate revelationis in genere. Nam tota demonstratio apologetica ultimatim ducit ad hunc syllogismum:

1. Omnia, quae Deus revelavit, credibilia sunt.
2. Deus religionem christiano-catholicam revelavit.
3. Ergo religio christiana credibilis est.

Praemissa quidem prima metaphysice certa est, secunda autem fundatur in factis historicis et auctoritate humana; haec autem nonnisi moraliter certa sunt; et sic haec praemissa solum moraliter certa est, et eo ipso etiam conclusio.

15 c) *At haec certitudo moralis vere certitudo, id est non tantum probabilitas est.* Non dat plenam evidentiam, seu non cognitionem eius modi, ut res nullatenus aliter se habere possit, sicut est quoad propositiones mathematicas. Verum praebet c r e d i b i l i t a t e m e v i d e n t e m, id est talem et tantam, ut omne dubium prudens excludatur (iudicium credibilitatis). Ex quo sequitur iudicium credenditatis, id est iudicium, credendum esse revelationi et

ecclesiae. Idcirco argumentatio apologetica gaudet plena vi persuadendi animo, saltem omnis hominis, qui est bonae voluntatis.

d) *Homo autem voluntatis non bonae ad credendum necessitari nequit.* Nam fides non est actus meri intellectus, sed actus moralis id est liber, elicitus quidem ab intellectu et in intellectu, non a voluntate neque ab sensu interno, sed voluntas libere cooperari debet. Intellectus enim in dies novas obiectiones et dubitationes, etsi imprudentes, proferre potest; et has superare voluntatis est. Fides postulat ab homine, etiam ab intellectu, sacrificia eaque non levia postulat, quae sustinere voluntas recusare valet; ideo voluntas bona requiritur. Praeterea actus fidei actus supernaturalis est, qui elici non potest sine gratia Dei. Homo vocationi gratiae obtemperare debet. Sed nihil magis gratiae resistit quam superbia mentis, sufficientia sui ipsius, fiducia in propriam scientiam et potentiam; nihil autem plus obsecundat gratiae quam humilitas et cognitio propriae infirmitatis. Ideo necesse est orare, orare multum; sine oratione homo via ordinaria nunquam ad veram fidem perveniet, et certe non diu constanter in ea perseverabit.

e) *Methodus apologetica praesupponit saltem veritates philo-* 16
sophicas maxime fundamentales, quas demonstrandas relinquit philosophiae. E. c. propositionem: esse veritates stabiles absolutasque, non omnia esse subiectiva et relativa. Praeterea, homini inesse potentiam cognoscendi verum, et imprimis summa principia philosophica, metaphysica et psychologica. Item, haec aliaque axiomata velut legem contradictionis et causalitatis esse leges non solum cogitandi, sed etiam obiectivas. Hae aliaeque leges ab apologetica stricte observandae sunt, alioquin nunquam religionem veram a falsis dignoscere poterit.

f) *Contra hanc methodum apologeticam peccant asseclae „apo-* 17
logeticae modernae" velut Ollé-Laprune, Blondel, Fonsegrive et praesertim Modernistae, qui reprobant methodum dictam ut „intellectualisticam" et eo ipso ineptam nostris temporibus et antiquatam. Loco eius statuunt imprimis „methodum immanentiae", id est, veritates religiosas, praesertim Deum esse, non cognoscimus per reflexionem de rebus creatis, sed quadam intuitione vel experientia interna. Hae veritates quiescunt quasi in anima nostra vel praecisius in „subconscientia", sunt ergo veritates nobis ipsis naturaliter immanentes; ex subconscientia paulatim quasi evigilant; hoc non fit cogitatione et reflexione sive obvia sive scientifica — nam hic esset „intellectualismus", quem homo „modernus" ut falsum et obsoletum respuit, sed quasi spontanea compulsione, quam in animo sentimus. Et sic sensus religiosus noster fons proprius omnis religionis in theoria et praxi fit. At hac via nunquam obtinetur certitudo obiectiva moralis, non iudicium credibilitatis et credenditatis; inhaeremus et inhaerebimus fixi in sensibus et affectibus internis, in experientiis mere subiectivis.

Nam unusquisque homo potest habere, et de facto sentit in se plus minusve proprias et alias experientias, Catholicus aliter atque Protestans, aliter Iudaeus, aliter Mohammedanus, Buddhista, aliter Theista, Monotheista, Pantheista, Theosophus, etc et sic perveniemus ad religiones sibi ipsis contradictorias, immo ad negationem omnis religionis; nam alii velut Materialistae possunt dicere et de facto dicunt, se nullos sensus religiosos nosse vel experiri. Accedit quod idem homo aliis temporibus et circumstantiis aliter sentit, aliter puer, aliter iuvenis, vir, senex. Sic religio continuo mutaretur cum experientiis, affectibus circumstantiis et annis. Iam Pius X (Lamentabili, 3. Julii 1907, n. 58) debuit reprobare thesim etiam a Modernistis velut Loisy prolatam: „Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur". Ipsa haec thesis ab defensoribus „apologeticae modernae" adhibita et ab ecclesia damnata satis superque ostendit, ad quam perniciem *apologetica*, quae in utenda methodo philosophico-historica et critica omittit respicere decreta magisterii ecclesiastici, pervenire possit. „*Dogmatica generalis*" per se ipsa praeservatur ab eiusmodi praevaricationibus, quin prohibeatur simul uti methodo apologetica seu vere philosophico-historica.

Cfr. *Du Plessis d' Argentrè*, Elementa Theol. 1702. c. 1—3. — *Kleutgen*, Theologie der Vorzeit. ed. 2. t. 3. p. 545 ss. — *Idem:* Institut. theol. vol. 1. 1881, introductio. — *Kihn*. l. c. 1 ss.; 383 ss. — *Krieg*, l. c. 33 ss; 204 ss. — *Schanz*, Apologie des Christent. ed. 2. § 1. — *de Groot*, Summa apologetica de eccl. cath. ed. 3. 1906. qu. 1. — *v. Schmid Al.* Apologetik als Grundlegung der Theol. 1900. 3 ss. — *Jules Martin*, L'apologétique traditionnelle, Paris 1905. — *A. d' Alès*, Dictionnaire apologétique, éd. 4; Paris 1911 ss; praesertim artic. *Apologétique*, *Apologie* I 189 ss.

Agemus in quinque partibus:

I. De religione et revelatione in genere,
II. De religionibus non christianis,
III. De religione christiana,
IV. De religione et ecclesia catholica,
V. De fide catholica in genere.

Pars I.

De religione et revelatione in genere.

Caput I.

De religione in genere.

§ 1. De notione, praesuppositionibus, divisione et essentia religionis.

I. Vox religionis in sensu angustissimo significat vitam 18
et ordinem monasticum seu statum eorum, qui se voto obligaverunt ad observanda tria consilia evangelica essentialia et regulam ab ecclesia approbatam. In sensu minus angusto significat illam virtutem moralem ad virtutem cardinalem iustitiae spectantem, quae Deum cultu debito prosequitur.[1]) In sensu latissimo *religio est vinculum et ordo inter Deum et creaturam rationalem*, est (obiective) illa relatio creaturae rationalis, qua Deus est eius principium et finis, et (subiective) est cognitio et agnitio theoretica et practica angeli et hominis, Deum sibi esse principium et finem omnis essentiae et existentiae. Nos agimus de religione in hoc sensu latissimo.

Nota. *Vox religionis* secundum *Lactantium*[2]) optime deduci videtur a voce 19
„religare" et videtur esse abbreviatio verbi „religatio", sicut „rebellio" derivatur a „rebellare" et stat pro „rebellatio", vel „opinio" est pro „opinatio". Sub hac hypothesi religio secundum etymon significat vinculum inter Deum et hominem. Minus probabilis est expositio, quam *Cicero*[3]) habet, vocem religionis deducens a „relegere", quia omnia ad cultum Dei pertinentia iterum atque iterum relegenda sint, ut exacte observari possint. *S. Augustinus*[4]) premit vestigia Lactantii; sed alibi[5]) derivat vocem religionis a „religere" (reeligere): „hunc (Deum) eligentes vel potius religentes, amiseramus enim negligentes, unde et religio dicta perhibetur."

II. Praesuppositiones religionis. — Religio 20
praesupponit duas propositiones cardinales, scil.: 1) Existit Deus personalis, a mundo distinctus, absolutus, creator et dominus caeli et terrae. 2) Anima nostra est spiritualis, libera, immortalis. Hae duae propositiones probantur et in philosophia theologica et in dogmatica speciali. Ibidem ostenditur falsitas omnium illorum systematum, quae religionem admittere nequeunt, nempe atheismi, qui negat existentiam Dei; pantheismi, qui confundit mundum et Deum; dualismi, qui mundum et Deum nimis inter se separat, ut nulla vel fere nulla relatio inter ambos sit; et materialismi, qui negat spiritualitatem et immortalitatem animae. — Hae duae

---

[1]) Cfr. *Wirthmüller*, Die moral. Tugend der Religion, 1881.
[2]) Div. instit. 4, 28; M. 6, 536. [3]) de natur. deorum, 2, 28, 72. [4]) retract. 1, 13, 9; M. 32, 605. [5]) de civit. Dei 10, 3; M. 41, 280.

positiones sunt duae columnae, quibus nititur pons inter Deum et hominem. Qui unam subvertit, totam religionis structuram funditus evellit. Itaque omnes theoriae philosophicae, quae negant, existentiam Dei vel spiritualitatem animae naturaliter posse probari, etiam religionem reprobare debent, e. c. sensualismus. Omnis defensio religionis fundetur oportet in sana philosophia, in recta sententia de cognitione humana.

21 Nota. *Nostris temporibus non raro idealismus, philosophia, praesertim philosophia moralis, patriotismus, pantheismus, cultus artium et literarum religio nominantur.* Atheismus et irreligiosismus nudus et expressus permultis non placet, praesertim classibus populi altioribus et nobilioribus, generi feminino, potest incommoda varia socialia secum ferre, adversatur traditioni antiquae et conscientiae communi. Quare non pauci dicunt se habere religionem, religionem esse necessariam, ad religionem esse redeundum, qui revera atheistae et sine religione sunt. At eiusmodi „religiones" non solum non quadrant cum praesuppositionibus religionis, sed etiam sunt contra sensum communem omnium saeculorum, christianorum, iudaeorum, paganorum.

22 III. Divisio. — Religio dividitur in *veram* seu eam, quae habet condiciones ad notionem et essentiam religionis requisitas, et in *falsam*, cui eae plus minusve desunt. — Deinde distinguitur religio *naturalis et supernaturalis. Religio naturalis* in stricto sensu est illa, quae prodit ex revelatione naturali (de qua postea agemus) et hominem destinat ad finem pure naturalem, non ad visionem beatificam Dei caelestem. Eiusmodi religio est possibilis, colit Deum tamquam creatorem, gubernatorem et dominum mundi idque cultu, quem ratio humana ut Deo competentem ex se ipsa cognoscit. Quia emanat ex ipsa natura humana et omnes homines eadem natura praediti sunt, semper et ubique quoad omnia essentialia debet esse eadem religio. *Scotus:*[1]) „Caeremoniae non sunt eaedem in omni statu, quia aliae sunt in novo testamento, et aliae fuerunt in veteri. Illae autem, quae pertinent ad legem naturae, sunt eaedem apud omnes et in omni statu." *Religio supernaturalis* in sensu stricto fundatur in revelatione supernaturali et assignat homini finem supernaturalem, scil. visionem Dei aeternam immediatam. Haec continet in se omnia ad religionem naturalem substantialia, sed iis superaddit veritates, institutiones, et obligationes aliquas, quas Deus immediate hominibus manifestat et praescribit secundum suum beneplacitum. Quare potest esse varia, perfectior vel imperfectior, et penes Deum est, formam eius imperfectiorem abrogare, si perfectiorem constituere vult, sicut reapse Iudaismum sustulit, cum Christianismum condidisset. — Si Deo placet, potest etiam religionem per se essentialiter naturalem modo positivo seu supernaturali ordinare. — Tum vocantur *religiones monotheisticae et polytheisticae*, quatenus unum aut plures deos venerantur. — Praeterea interdum mentio est de religionibus leges morales possidentibus et non possidentibus seu religionibus

[1]) Reportata, 4. d. 17. qu. un. n. 4.

ethicis et naturalibus, de religionibus populorum excultorum et barbarorum (populi barbari a nonnullis dicuntur „naturales", et religio eorum „naturalis"; haec denominatio minus apta est.) — Item minus laudanda est distinctio inter *religiones docentes redemptionem a malo et peccato*, qualis est praesertim christiana, et *religiones, quae non loquuntnr de malo et redemptione.* Nam omnis religio petit bonum, et eo ipso fugam mali.

IV. Essentia religionis. — De essentia seu natura re- 23
ligionis opiniones falsae sexcentae nobis occurrunt. Secundum unos religio sedet in solo intellectu; secundum Gnosticos sola gnosis beatos reddit; secundum Brahmanos ille, qui Brahma scit, fit ipse Brahma seu idem ac Deus, vel in ente absoluto absorbetur; secundum Pantheistas religio nonnisi est conscientia, nos esse unum et idem ac Deum. — Secundum alios religio posita est in sola voluntate, in sola moralitate, ascesi ac vita practica, e. c. Kant[1]), Buddhistae, „societates ethicae", immo „ecclesia ethica" (Londini); saepe audiri potest illud: nihil interest, quid quisque credat, dummodo honeste vivat. — Secundum Sentimentalistas et Pietistas (Spener, Schleiermacher, Jacobi, Modernistas), religio sedem habet in piis affectibus vel in solo sensu et affectione, nos ab ente absoluto prorsus dependere. — Secundum Quietistas, Allumbrados, Hesychastas, Pseudomysticos religio non eget cultu externo nec operibus practicis, sed sufficit intuitio altior rerum divinarum vel lucis divinae etc., qua hi electi gaudeant; vel unio solius mentis cum Deo. — Secundum antiquos Romanos et multos modernos ad religionem nihil pertinet nisi participatio cultus externi; satis est civem consortem esse cultus publici et leges civiles custodire, ceterum licet credere, sentire et facere, quidquid unicuique placet. — Omnes hae theoriae retinent quidem granulum veri, at sunt mancae, defectuosae et falsae.[2])

1. *Ad religionem spectat cognitio veritatum certarum.* Religio 24
significat relationem hominis ad Deum, atqui homo est intelligens, debet ergo cognoscere saltem existentiam Dei personalis et suam ipsius relationem ad eundem, sin aliter reapse religiosus esse vult. Homo debet scire, quid Deo debeat, quid faciendum sit, ut ad Deum veniat etc.; alioquin religionem omnem reiiciet vel falsae adhaerebit. Nullatenus possumus recte vel religiose vivere, si non prius bene et religiose credimus et sentimus;[3]) nam homo

[1]) „Alles, was außer dem guten Lebenswandel der Mensch noch tun zu können vermeint, um Gott wohlgefällig zu werden, ist bloßer Religionswahn und Afterdienst Gottes" (Relig. innerhalb der Grenzen der bloßen Vernunft. 4, 2, § 2, Werke, 1830. B. 10 S. 205).

[2]) De variis definitionibus cfr. *Theol. Studien u. Kritiken*, 1896, 472 ss. — *Max Müller*, „Natürl. Religion", übersetzt von E. Schneider, Leipzig 1890, 48 ss. — *Zeitschrift f. wissenschaftliche Theologie*, 1900, 497 ss.

[3]) *Max Müller* (Natürl. Religion, 59): „Alle Definitionen von Religion, die einfach nur ihre praktische Seite berücksichtigen, scheinen mir der Definition von einem frucht-

solet ita se gerere, quomodo cogitat. — Idem docet *Scriptura:* „Nosse te consummata iustitia est, et scire iustitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis“ (Sap 15, 3). „Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit“ (Hbr 11, 6). Hic versus continet veritates duas cardinales religionis, scil. existentiam Dei, immortalitatem et personalitatem animae humanae.

25 2. *Ad religionem pertinent boni mores, recte vivere.* Sicut homo non constat ex solo intellectu, ita religio non ex sola intelligentia; sicut principia theoretica quasi ex intrinseca determinatione producunt facta externa, sic cognitio religiosa et fides opera bona pariunt. Quod ipsa philosophia plus esse quam sterilis scientia, sed fructus ferre debet, eo fortius religio: „Fides sine operibus mortua est“ (Jac 2, 26); econtra „Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo“ (l. c. 1, 27). Immo vita practica, boni vel mali mores sunt quodammodo momentum gravissimum in religione. Non primarie intellectus, sed voluntas est, quae religionem reiicit aut amplectitur. Cupiditates et passiones perversae facile persuadent intellectui, ut religionem parvipendat, prorsus repellat, immo diabolice oderit. Quare ipse *I. I. Rousseau* scribit[1]): „Mon fils, tenez votre âme en état de désirer tousjours qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez jamais.“ Itaque impietas est vitium idque maximum, fons et origo delictorum omnium, quare antiqui impietatis (*ἀσέβεια*) reos supplicio affecerunt.

26 3. *Religio vera etiam ad sensus et affectus cordis se extendit.* Religio non oportet sit sola frigida scientia rerum divinarum, non sola ascesis, sui ipsius abnegatio vel cruciatio, non observatio pure legalis praeceptorum divinorum, non cultus mere externus, custodia caeremoniarum ac rituum, sed, quantum fieri potest, debet accedere pietas, gaudium, voluptas cordis, delectatio in Deo, conversatio intima et affectuosa cum Deo, devotio et oblatio totius animi in Deum, fervor et calor in servitio eius. Etiam cor cum affectibus et passionibus suis est donum Dei, per se bonum, suo modo Deo servire debet. Homo naturaliter quietem ac beatitudinem cordis postulat. Quare religio et servitus Dei huic inclinationi satisfacere non debent? Nonne habemus cor ad amandum? Quidni Deum amemus? Nonne dignus est amore nostro? Nonne admonemur ad Deum diligendum ex toto corde, toto animo, totis viribus? Nonne Scriptura saepe nos adhortatur, ut in Deo delectemur? Ipse nos invitat (Ps 33, 9): „Gustate et videte, quon-

---

tragenden Baume zu gleichen, bei der man dessen unsichtbare Wurzeln außer acht lassen zu dürfen glaubt.“

[1]) *Émile*, l. 4. Oeuvres complètes par G. Petitain, Paris 1839. t. 3. p. 371.

iam suavis est Dominus"; et (Mt 11, 28): „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos."

4. *Requiritur externus cultus.* Religio pure interna et spiri- 27
tualis est contradictio in se. Sicut est innaturale, omnes affectus in visceribus concludere; sicut est contra naturam, matrem nonnisi interne parvulum diligere, non autem ei obsequia nec signa externa dilectionis praestare: ita esset contra naturam hominis, qui est non solum spiritus, sed etiam corpus, cogitationes religiosas et animi motus non manifestare ad extra per genuflexiones, inclinationes capitis, sacrificia, cantica aliosque gestus et signa eiusmodi. Hic cultus Dei externus, qui complectitur totam liturgiam, est quasi corpus religionis, manifestatio externa dogmatum. Dogma et cultus inter se intime connexa sunt. Teste historia unaquaeque nova religio et nova haeresis fingit sibi novum cultum externum, et ubi est cultus communis, certe est eadem fides, sicut apparet manifesto in ecclesia catholica. Sicut Thiersch[1]) Protestans recte exponit, inter Catholicismum et Protestantismum unio vera permanensque nonnisi tunc fit, cum uterque recipit easdem formas cultus divini externi. — Accedit, quod religio amplecti et perpenetrare debet ordinem totum socialem, sed ad hoc requiritur cultus quidam exterior. — Eiusmodi cultum ad religionem pertinere, ex eo ipso elucet, quod Deus ipse legi mosaicae et Christus religioni christianae cultum certum praescripserunt.

5. *Religio ergo respicit totum hominem cum corpore et anima.* 28
Solam animam Deo servire est innaturale, solum corpus Deo cultum externum exhibere sine serio animo est hypocrisis. Totus homo a Deo creatus est et totus ei subiicere se debet et obsequium praestare, sicut psalmista (102, 1) exclamat: „Benedic anima mea Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius." Secundum Scripturam etiam totus homo cum corpore et anima olim retributionem accipiet.

6. *Item religio complectitur societatem totam humanam.* Homo 29
est animal sociale, nonnisi in unione et mutua conversatione cum aliis finem suum assequi potest; ex eo ipso religio societatem humanam amplecti debet. Praeterea haec societas et ipsa obligata est ad Deum, supremum dominum, agnoscendum, servitium ei reddendum, mandata eius observanda cultumque publicum ei solvendum. Societas enim non minus a Deo dependet, non minus Deo eget quam homo privatus. Reipublicae est, omne verum, bonum et pulchrum protegere, favere, excolere, omnem auctoritatem legitimam honorare et tueri. At quid est verius, melius et pulchrius quam Deus? Cuius auctoritas est superior quam Dei, a quo omnis principatus terrestris exit — „non enim est potestas

[1]) Vorlesung. über Katholizism. u. Protestantism. 1846. II. 311. — *Fallmerayer* (Fragmente aus dem Orient. 1845. II. 148) censet, ipsam diversam praxim ieiunii inter ecclesiam latinam et graecam impedire reunionem.

nisi a Deo" (Rom 13, 1) — et cui innititur omnis alia dominatio, totus ordo civilis et socialis? Historia profana et sacra teste reipublicae omnes antiquitus religione imbutae erant, et religio fuit causa primaria, quae homines et populos inter se aggregavit vel separavit; ad populos constituendos fuit religio medium efficacius quam ipsa lingua, sicut ipse Max Müller concedit,[1]) et adhuc hodie, ubi atheismus et irreligiositas irrepsere in omnes communitates et civitates, religio est motrix longe potentissima quoad vitam nationum; religio est, quae cives urbium et regnorum inter se unit aut discernit.

Cfr. *Denzinger H.*, Vier Bücher von d. religiös. Erkenntnis, 1856, t. 1, pag. 1 ss. — *Gutberlet*, Lehrbuch d. Apologetik, 1888, tom. 1, §§ 1 ss. — *Idem*, Ethik und Religion 1907. — *Bougaud*, Religion u. Irreligion, übers. v. Arenberg, 1891, 103 ss. — *Hettinger*, Lehrbuch der Fundamentaltheologie,[3] 1913. — *Gatti*, Institutiones apologetico-polem. de veritate religionis, 1866. II. 8 ss. — *Wilmers*, De religione revelata, 1897, 1 ss. — *Ant. Seitz*, Natürliche Religionsbegründung, Regensburg 1914, 1 ss. — *Jos. Mausbach*, Die Religion und das moderne Seelenleben (Religion, Christentum, Kirche 3 ed. Kempten und München, 1920, I., 1. Teil.)

§ 2. De origine religionis.

I. Religio per se homini naturalis est.

30 1. *Cognitio religionis homini naturaliter quasi insita est.* Homo mundum et se ipsum obiter tantum considerans invenit, existere ens summum, absolutum, creatorem omnium, a quo in essentia, existentia et perduratione prorsus dependet, et cui debet obsequium et servitutem omnimodam. Item cognoscit, se ipsum esse plus quam brutum, se habere animam spiritualem et immortalem, quae, sicut a Deo procedit, ad Deum iterum revertitur et ei de sua conversatione rationem reddere debet. *S. Thomas:*[2]) „Quodam naturali instinctu se obligatum sentit Deo, ut suo modo reverentiam ei impendat, a quo est sui esse et omnis boni principium." Ex se ipso ergo comprehendere potest illas veritates, quibus religio nititur, et in quibus constant eius elementa. Pariter intelligit necessitatem Deo se prorsus subiiciendi et dedendi. Quare Max Müller[3]) religionem exigentiam psychologicam esse dicit.

31 2. *Homo ad religionem naturaliter inclinat.* Nam ei naturaliter quasi insita est desiderium veri, amor et studium boni, delectatio pulchri non minus quam pietas parentum, reverentia et oboedientia in praepositos. Item nobis innatus est appetitus perfectionis, durationis perpetuae et beatitudinis. Atqui nonnisi religio satisfacit his appetitibus naturalibus. Nam Deus solus est summum verum, cuius cognitio explet nostrum studium veri; ipse est summa bonitas, cuius possessio sola sedat famem boni; ipse est absoluta pulchritudo, cuius fruitio sola voluptatem plenam praebet. Ipse

[1]) Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft. Straßburg 1874 p. 131 ss.
[2]) S. c. Gent. l. 2, c. 119.
[3]) Natürl. Religion, p. 187.

est summa perfectio, vita aeterna, beatitudo illimitata, quae sola nos perfecte et perpetuo beatos reddere quit. Quare „inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te“.[1])

3. *Revera non est populus expers religionis.* Quoad antiquos 32
dicit *Plutarchus:*[2]) „Et si terras obeas, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum et theatrorum nescias: urbem templis diisque carentem, quae precibus, iureiurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam vidit.“ Nostris temporibus, ubi omnes vel fere omnes gentes barbarorum notae sunt, idem factum multi Rationalistae concedunt, e. c. Max Müller, Tiele.[3]) *Max Müller* disserit:[4]) Sicut ex eo, quod multi homines mente capti nesciunt, bis bina quattuor esse, non sequitur, eam propositionem non ab omnibus teneri, ita nec ex existentia aliquarum gentium degenerum, sin aliter quae sint, religionis et deorum nesciarum, deduci potest, religionem non esse omnibus notam nec communem.

II. Origo religionis revera supernaturalis est.

Secundum Scripturam Deus immediate cum primis parentibus 33
conversatus est, eos de officiis erga Deum deque cultu ipsi exhibendo docens eisque praecepta dans. Legimus enim Sir 17, 6 ss: „Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum et mala et bona ostendit illis . . . Addidit illis disciplinam et legem vitae haereditavit illos. Testamentum aeternum constituit cum illis et iustitiam et iudicia sua ostendit illis.“ Etiam mythologiae antiquae unanimiter tradunt, olim deos ipsos in terra cum hominibus ambulasse eisque leges dedisse etc.[5]) — Traditionalistis potest ergo concedi, revera religionem positive et supernaturaliter a Deo esse institutam, sed nequit admitti, originem naturalem non fuisse possibilem.

[1]) S. Augustin. confess. 1, 1; M. 32, 661.

[2]) Adv. Colot. Opera, Lipsiae, 1778, t. 10, p. 626.

[3]) *Max Müller* scribit (Vorlesungen über d. Ursprung u. d. Entwicklung der Religion, Straßburg 1880, p. 4): „Religion ist keine moderne Erfindung. Sie ist, wenn nicht so alt als die Welt, doch mindestens so alt als die Menschheit, die wir kennen. Sobald wir nur etwas von den Gedanken und Gefühlen des Menschen wissen, finden wir ihn im Besitz von Religion.“ Et p. 8: „Überall, wo Menschen leben, gibt es Religion . . . ich glaube, daß die ersten Probleme, welchen die Philosophie ihren Ursprung verdankt, religiöser Natur waren.“ — *Tiele* (Kompendium der Religionsgeschichte, übersetzt von Dr. Weber, Berlin 1880, p. 7): „Die Behauptung, daß es Völker oder Stämme ohne Religion gäbe, beruht auf ungenauer Beobachtung oder auf Begriffsverwechslung. Einen Stamm oder ein Volk, das an keine höhere Wesen glaubte, hat man noch nirgends gefunden, und Reisende, die diese Behauptung aufstellten, sind später durch die Tatsachen widerlegt worden.“ — Cfr. *Schneider Wilh.*, Die Naturvölker, pars 2, 1886, 347 ss.

[4]) Anthropol. Religion, übers. v. Dr. Winternitz, Leipzig 1894, p. 333 ss.

[5]) Etiam *Max Müller* dicit, patronos praecipuos fere omnium religionum provocare ad positivam revelationem religionum suarum (Einleitung in die vergleichende Religionswissenschaft. 116).

34 Obiectio. — *Materialistae et Atheistae dicunt,* religionem ac fidem deorum esse ortam ex veneratione pia maiorum defunctorum vel ex somniis vel ex timore hominum rudium ob eventus naturales extraordinarios incomprehensibiles, vel esse introductam a sacerdotibus atque legislatoribus callidis fallacibusque, ut plebs inculta facilius coërceatur sibique serviat atque tributa etc solvat. — Resp. Summum concedi potest, religionem per eiusmodi causas magis promotam esse, sed dicere, eam sic natam et productam esse, ineptum est. Notio sacerdotis ipsa praesupponit existentiam numinis alicuius, cui sacerdos sacrificet quodque pro aliis imploret. Item pietas et veneratio in maiores defunctos, timor et terror ob stupendos eventus, visiones larvarum et lemurum in somniis factae fidem deorum non genuere, econtra iam praesupponunt. Si homines non antea in existentiam deorum, numinum, daemonum etc credidissent, nunquam visiones veras aut imaginarias ad deos retulissent; nunquam tenuissent, fulgura, terraemotus etc a diis prodire; nunquam maiores suos putassent et coluissent deos. Hoc concedunt etiam Rationalistae et Pantheistae multi velut E. von Hartmann et Max Müller.[1]) Falsa est opinio, fidem deorum et religionem cessare, ubi vera scientia vigeat. Permulta millia hominum hodie excellunt scientia etiam rerum naturalium profunda, non censent fulgura, obscurationes solis etc immediate a Deo prodire, attamen tenent religionem. Newton, Copernicus, Kepler, Galilei, Secchi, Haller, Linné etc fuere homines doctissimi, astronomi primae notae, sed simul veneratione in Deum suprema repleti. Non plena et vera scientia, sed manca et defectuosa ducit ad irreligiositatem, praesertim si homo simul negligit Deum colere vel ita vivit, ut cupiat Deum non esse.[2])

Cfr. *Gutberlet*, l. c. p. 35 ss. — *Wilmers*, 32 ss, et: Geschichte der Religion als Nachweis der göttl. Offenbarung etc. ed. 7. 1904. — *Jos. Pohle*, Natur und Übernatur (Religion, Christentum etc. I., 3. Teil.) — *A. Seitz*, l. c. 1 ss, 406 ss. — *Bougaud*, l. c. 254 ss.

---

[1]) *E. de Hartmann* scribit (Gesammelte Studien u. Aufsätze, Berlin 1876, p. 430): „Wenn es auch wahr ist, daß die ersten Götter stets die abergläubische Furcht der Menschen schuf, so würden doch unmöglich die Religionen zu allen Zeiten ein integrierender Bestandteil des Kulturzustandes der Völker gewesen sein können, wenn nicht ein tieferer Grund in der menschl. Natur läge, welcher bei den Individuen als stärkere oder schwächere Anlage vorhanden und durch Erziehung zu verstärken oder abzuschwächen, doch niemals ganz fehlend, die Religion aus einem Bedürfnis des Kopfes und Herzens forderte." — *Max Müller* (Vorl. üb. d. Urspr. d. Religion, p. 139): „Wenn ein kleines Kind uns seine Katze brächte und sagte, es sei ein Wirbeltier, so würden wir uns am meisten darüber wundern, wo ein Kind das Wort Wirbeltier gehört habe. Wenn uns also ein Fetischdiener einen Stein bringt und sagt, es sei ein Gott, so ist unsere erste Frage natürlich die: Wo hast du das Wort Gott her und was denkst du dir darunter?" — *M. Müller* ipse cum aliis respuit tum originem religionis supernaturalem tum dictum materialisticum, Feticismum et Animismum rudem cum metu brutali eventuum naturalium religionem primam fuisse; censet quidem eam esse ortam ex necessitate quadam psychologica, sed et ipse essentialiter haeret in Animismo, sicut in tractatu de Paganismo videbimus.

[2]) *K. A. Kneller*, Das Christentum und die Vertreter der neueren Naturwissenschaft. Freiburg[4] 1912, enumerat ex solo saeculo 19. permultos viros doctissimos primae

§ 3. De proprietatibus religionis.

I. Veritas.

1. *Religio est vera, si omnia illa momenta in se continet, quae essentia religionis per se ipsa requirit.* scil. cognitionem et observationem rectae relationis, quae inter Deum et homines est. Quia praeterea Deus ipse immediate se revelavit, religio vera tenere debet omnes veritates, quas Deus manifestavit, ea praecepta custodire, quae dedit, et eo cultu Deum venerari, quem ipse ordinavit. 35

2. *Religio vera esse debet.* Hoc patet ex eius definitione. Quia Deus ipse est veritas absoluta, debet etiam postulare, ut sibi verus cultus reddatur. Christus ait (Io 4, 24): „Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare."

3. *Religio falsa Deo placere nequit.* Omnis religio falsa, quae non observat ordinem inter Deum et hominem naturaliter vel supernaturaliter praescriptum, est inoboedientia, transgressio mandatorum divinorum, est potius dicenda impietas, superstitio, blasphemia quam religio. An Deo placet is, qui contendit, praeter eum esse plures alios deos, vel Deum esse sicut homines limitatum, vitiosum, invidum, impudicum, vel idola vita et sensu carentia esse divina etc? Nonne Deus potius irritatur, quando homines student ipsum honorare vitiis et impudicitiis? Recte scriptum est (Dt 27, 15): „Maledictus homo, qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini." Certe Deus magis respicit cor et bonam voluntatem quam opus externum. Itaque illos reiicere non potest, qui revera bona fide cultui falso inhaerent. At certe illos damnabit, qui asserunt nihil referre, quam quisque religionem sequatur, vel omnes religiones esse pares. Quod qui dicit, simul docet, omnes religiones esse erroneas, vel nullam religionem quidquam valere; immo dicit, nullum Deum esse vel Deum non esse verum, iustum, sanctum etc, blasphemat ergo Deum, et talis utique Deo acceptus esse non potest.

II. Unitas.

1. *Vera religio non potest esse nisi una.* a) Deus tantum unus est, omnes homines eius creaturae sunt; ergo relatio hominum ad Deum essentialiter nonnisi una et eadem est. — b) Religio debet esse vera; atqui veritas nonnisi una esse potest. 36

2. *Haec una religio varias formas plus minusve perfectas habere potest.* Etsi religio vera tantum una esse potest et ex sexcentis religionibus, quae nobis occurrunt et sibi ipsis directe adversantur, una dumtaxat vera est, tamen plures formas habere potest, sicut Deus instituere vult. Hae omnes in eo conveniunt, quod non sunt

---

notae, inter quos non pauci sacerdotes, qui erant tum clarissimi mathematici, astronomi, physici, chemici, geographi, geologi, botanici etc. tum sinceri theistae et christiani.

falsae seu quod habent omnia essentialia momenta, quae ad religionem veram requiruntur. Differunt autem in eo, quod una aliis perfectior est. Sic est religio patriarchalis, mosaica et christiana una et eadem religio vera, quia in omnibus tribus relatio vera inter Deum et homines, rectum dogma, ethos et cultus tenetur, attamen christiana est perfectissima, quia dogmata sunt plura et profundius ac clarius cognita, et quia doctrina de moribus et cultus est purior et Deo dignior, et quia imprimis media ad unionem inter Deum et homines obtinendam largiora sunt. — Hic errant pessime illi, praesertim asseclae scientiae comparativae religionum e. c. Max Müller,[1]) qui dicunt, etiam paganismum, pantheismum etc esse formas religionis relative veras et perfectas. Hae religiones, sin aliter religiones dici possint, per se ineptae et absurdae sunt, quare non possunt vocari formae vel apparitiones religionis verae.

3. *Indifferentismus et latitudinarismus religionis reprobus est.* Quia una dumtaxat religio vera est, reiiciendae sunt eo ipso omnes aliae ut falsae. Non licet censere omnes ejusdem valoris esse et pariter homines salvos reddere: „Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum“ (3. Rg 18, 21). Pius IX. in Syllabo n. 15 ss damnavit plures eiusmodi falsas theses, e. c. n. 16: „Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.“

III. Universalitas.

1. Religio *omnes vires animae, totum hominem*, sicut vidimus, amplecti debet.

37 2. Debet durare et extendi, saltem quatenus est naturalis, ad *omnia saecula et terras et homines*, quia semper et ubique et in omnibus est eadem relatio ad Deum. Religiones particulares, territoriales, nationales non sunt admittendae, quatenus non Deus ipse sic ordinavit velut Iudaismum.

3. *Satisfacere igitur debet necessitatibus et indigentiis religiosis omnium.* Illud, quod S. Paulus (1 Cor 9, 22) de se ipso ait: „Omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem“, valet etiam de vera religione. Doctrina eius oportet sit talis, ut sit inexhausta nec refelli vel superari possit progressu disciplinarum humanarum et naturalium. Dogma et cultus debent esse apta rustico simplici et philosopho subtili, populis et barbaris et summa humanitate imbutis: illis debet dare lac, his cibum solidum. Debet sufficere tum phantasiae et captui puerorum tum sensui et affectibus mulierum tum ratiocinio et sagacitati viri senisque sapientis. Ex quo patet, indolem eius oportere esse talem et tantam, ut secundum condiciones

[1]) Vorlesung. über d. Urspr. d. Rel. 419 ss.

subiectivas et individuales hominum, regionum, nationum et temporum possit applicari, ampliari et excoli, etsi essentialiter semper et ubique et in omnibus eadem manere debet.[1])

IV. Immutabilitas essentialis.

Religio etsi satisfacere debet necessitatibus et indigentiis 38
religiosis omnium hominum omniumque aetatum et temporum, tamen *semper et ubique et apud omnes essentialiter eadem sit oportet.* Homo quamvis omnes possibiles profectus, formas modosque humanitatis, cultus animae et corporis, status morales, sociales civilesque percurrat, tamen essentialiter semper idem manet quoad indolem mentis et corporis, sensus, intellectus et voluntatis. Religio autem intime cum essentia et fine hominis cohaeret. Semper et in omnibus circumstantiis saeculisque est et manet creatura undequaque a Deo dependens, mortalis quoad corpus, immaterialis et immortalis quoad animam; quare ubique terrarum, temporum aetatumque eum tangunt et tangent illae veritates et obligationes, quae sequuntur ex duabus propositionibus fundamentalibus religionis, scil. Deum esse personalem eumque creatorem dominumque absolutum hominis, et hominem esse immortalem finemque suum proprium demum post mortem et per Deum adipisci posse.

Religio vera certe docet, Deum se posse revelare et de facto 39
se revelasse, et hominem Deo revelanti debere oboedire quoad omnia. At Deus se revelans idem est sanctitas immutabilis, qui nunquam quidquam revelabit et postulabit, quod dictis propositionibus fundamentalibus religiosis adversatur. Quare religio semper essentialiter eadem manebit, quamvis multum homo se ipsum evoluturus et revelatio fidesque profectura sit. Evolutio interna, profectus, incrementum ex principiis essentialibus non est mutatio substantialis, sicut arbor non mutatur, si ex grano ad formam et magnitudinem amplissimam se explicat, vel homo idem homo est et manet, parvulus, puer, adolescens, vir, senex, quamquam sexcentas mutationes quoad materiam et formam, corpus et animam patitur. Quare *respuendus est evolutionismus Modernistarum absolutus;* nam hic non solum profectum, sed mutabilitatem essentialem religionis statuit; nam unusquisque homo per se et humanum genus secundum eum ita se evolvere possunt, ut renegent etiam propositiones maxime fundamentales ad essentiam religionis pertinentes, quia veritates immutabiles omnino non admittit, sicut vidimus (cfr. supra n. 17); addatur ex decreto Lamentabili n. 64: „Progressus scientiarum postulat, ut refor-

[1]) Bene *Max Müller* (Anthropol. Religion, 7.) „Die Religion ist Gemeingut. Schon ihrer Natur nach gehört sie den Jungen wie den Alten, den Weisen wie den Toren, den Männern ebenso wie den Frauen und Kindern. Wenn sie nicht diese Bedingungen erfüllt, wenn sie nicht den kleinen Kindern ebenso zugänglich ist wie den Weisesten der Weisen, dann mag sie Philosophie, sie mag die absolute Wahrheit sein, sie hört aber auf, Religion zu sein."

mentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de creatione, de revelatione, de persona Verbi incarnati, de redemptione."

V. Necessitas.

40 1. *Religio metaphysice necessaria est.* Deo non opus est hominem creare. At si hominem creat, debet eum condere et constituere in absoluta dependentia et relatione ad summum ens seu debet eum obligare ad religionem. Ob suam absolutam maiestatem et sanctitatem necessario postulare debet, ut homines teneant religionem seu rectum ordinem ad ens supremum.

2. *Necessaria est singulis necessitate medii et praecepti.* Id est: homo debet amplecti veram religionem non solum ideo, quia Deus hoc praecepit et est peccatum, Deo imperanti non oboedire, sed etiam idcirco, quia sine acceptatione et observatione vera eius salutem terrestrem et aeternam nullatenus assequi valet. Necessitas praecepti emanat ex omnibus locis Scripturae, qui admonent ad credendum, diligendum, adorandum Deum. Necessitas medii patet ex condicione et ordine, quo homo erga Deum se habet. Quomodo creatura bonum, quod petit, attingere potest, si contemnit absolutum bonum et creatorem, a quo tota oritur et dependet?

3. *Religio necessaria est toti societati humanae ad ordinem moralem, civilem, socialem conservandum.* Sicut philosophia ethica et socialis ostendit, hic triplex ordo fundatur in Deo seu auctoritate, domino et legislatore summo. Idem historia sacra et profana confirmat. Omnes populi, quamdiu religione magnopere imbuti erant, floruerunt; quando autem religionem cultumque Dei despexerunt, prolapsi sunt in interitum moralem, civilem et socialem, e. c. antiqui Graeci et Romani. Quare iam Plutarchus paganus (l. c.) scribit: „Sed facilius urbem condi sine solo posse puto quam opinione de diis penitus sublata civitatem coire aut constare."

4. Quia religio est summe necessaria, *unusquisque tenetur veram religionem serio quaerere*, amplecti et custodire ex toto corde in cogitatione, verbo et opere.

VI. Praestantia et utilitas.

41 Sicut iam ex dictis patet, religio excellentia, dignitate, valore, utilitate omnes scientias, bonas artes, societates et institutiones valde superat. Versatur quippe in quaestionibus gravissimis, ostendens, unde veniant et quo vadant mundus et homo. Haec problemata, quae movent pectus omnis hominis, qui plus esse vult quam brutum, vera religio clare solvit, et sic est vera philosophia, praesertim simplicium. Praeterea dat constantiam et consolationem in rebus adversis, moderantiam in rebus secundis, demonstrat vanitatem omnium rerum terrenarum, corda nostra semper ad sublimiora evehit etc. Quare „pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae" (1 Tim 4, 8).

Cfr. *Hettinger*, l. c. 95 ss. — *Gatti*, II. 429 ss. — *Wilmers*, 16 ss.

Caput II.

De revelatione divina in genere.

§ 4. De notione et divisione revelationis.

I. Notio.

1. Revelatio (*φανέρωσις, ἀποκάλυψις*) est manifestatio et commu- 42
nicatio rei secretae. *Revelatio religiosa* est communicatio veritatum religiosarum ad creaturam intelligentem divinitus facta. Haec est revelatio active et subiective sumpta; passive et obiective sumpta revelatio significat veritates manifestatas.

2. *Revelatio fit ex locutione Dei ad hominem.* Patriarchae, pro- 43
phetae, apostoli, sancti homines inspiratione divina gaudentes, immo homines non christiani de revelatione divina loquentes velut Mohammed non aliter censent, nisi quod Deus ipse ad eos locutus est. Id manifesto docent eorum verba et scripta; etiam Rationalistae, Naturalistae, qui respuunt omnem revelationem proprie supernaturalem, id concedunt; immo ad reiciendam revelationem hagiographis biblicis factis negandam ostendunt in id, quod religiones etiam Paganorum et Mohammedanorum appellant ad revelationem divinam, id est ad locutiones et communicationes a Deo ipso vel a nuntiis divinis oriundas. S. Paulus scribit (Rom 10, 17 s): „fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi". Fides autem fundatur in revelatione, et revelatio postulat fidem. Id docet evidenter Conc. Vatican., quod inter alia dicit (s. 3, cap. 2), „placuisse eius (Dei) sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via, se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente apostolo (Hbr 1, 1): multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus nostris locutus est nobis in Filio." — *Scotus*:[1]) „Prima traditio talis doctrinae dicitur *revelatio*, quae ideo est supernaturalis, quia ab agente, quod non est naturaliter motivum intellectus nostri pro statu isto."

3. His verbis Doctoris Subtilis ex professo et luculenter ex- 44
primitur, *revelationem non provenire ab homine ipso, sed aliunde, scil. a Deo.* Eo ipso excluditur opinio *Modernistarum*, revelationem proprie procedere ex ipso homine; in cuius „subconscientia" latent confuse et implicite veritates religiosae, quae deinde homini eo revelantur, quod aliquo modo ad earum conscientiam venit velut reflexione quadam compulsiva in eventibus extraordinariis, in lectione librorum religiosorum etc. Sed proprius fons idearum religiosarum ipse homo et eius subconscientia est. Et sic, ut verbis Pii X. utamur (Pascendi dominici gregis, 7. Sept. 1907; Denzinger[2]) n. 2077 s.), nos ipsi „habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem; sunt nempe illae religiosi sensus merae expli-

[1]) Ox. prol. qu. 1, n. 22, (tom. 8, 49a).
[2]) Enchiridion symbolorum etc., ed. 10 emendata a M. Bannwart, 1908.

cationes. Hinc vulgata Modernistarum enuntiatio: debere religiosum hominem fidem suam cogitare." Secundum hanc sententiam a Pio X. damnatam nos ipsi revera nobis ipsis religiosam cognitionem daremus, et omnis revelatio positiva superflua esset.

45 4. „*Revelatio* secundum communem legem *non est nisi de his, quorum termini naturaliter possunt concipi a nobis*", *ait Scotus.*[1]) Idem: „In lumine supernaturali fidei non est obiectum supernaturale praesens intellectui nisi in quibusdam conceptionibus abstractis a creaturis."[2])

II. Divisio.

1. Revelatio *vera et putativa;* illa reapse oritur a Deo, haec nonnisi secundum subiectivam opinionem aliquorum, e. c. mohammedana.

46 2. Revelatio *peculiaris seu privata et revelatio generalis seu communis.* Illa obtingit singulis personis ad fines speciales et privatos, haec fit ad utilitatem totius generis et versatur in veritatibus divinis ad salutem omnium servientibus.

3. *Mediata et immediata.* Mediata est illa, quando Deus non ipse immediate ad unumquemque loquitur, sed utitur personis intermediis, e. c. per Nathan ad David. Immediata est, si Deus ipse directe ad eum loquitur, ad quem revelatio spectat, vel illi apparet, e. c. Adae in paradiso, beatis in caelis, per Incarnationem Verbi divini.

4. *Naturalis et supernaturalis.* Naturalis seu revelatio naturae est illa, quae cognoscitur lumine rationis per ea, quae facta sunt, ergo ex speculo creaturarum. Supernaturalis est ea, quae modo aliquo naturam hominis superat. Haec subdividitur a) in supernaturalem quoad modum et quoad substantiam. *Revelatio supernaturalis quoad modum* est illa, quae veritates per se non transgredientes vim cognoscitivam creaturae intellectualis directe manifestat, e. c. attributa divina, creationem mundi. *Supernaturalis secundum substantiam* est illa, quae communicat mysteria seu veritates tales, quae superant vires et exigentias naturae creatae. Utraque revelatio dicitur positiva, quia hominibus veritates directe proponit. Hanc distinctionem iam *Scotus* novit:[3]) „Si agens supernaturale causaret notitiam obiecti naturalis, ut si infunderet geometriam alicui, illa esset supernaturalis primo modo et non secundo modo. Si autem infunderet notitiam huius: *Deus est trinus*, vel similium, haec supernaturalitas esset utroque modo, quia secundus infert primum, licet non e converso. Ubi autem est primus tantum, ibi non est necesse quod sit sic supernaturalis, quin naturaliter possit haberi; ubi vero est secundus modus, est necessitas, ut supernaturaliter habeatur,

[1]) Ox. prolog. qu. 3, q. 2 lateral. n. 25; tom. 8, 180a.
[2]) Idem: Rep. prol. qu. 2, n. 21; tom. 22, 45b.
[3]) Ox. prolog. qu. 1. n. 22; tom. 8, 50a.

quia naturaliter haberi non potest." — b) *in revelationem gratiae et gloriae.* Illa cognoscitur per lumen fidei et fit in hac vita, haec cognoscitur per lumen gloriae et est visio caelestis, quando Deum videbimus a facie ad faciem. Utrumque lumen est donum Dei gratuitum supernaturale in sensu stricto seu quoad substantiam. Lumen gloriae est complementum luminis fidei, lumen fidei est inchoatio et anticipatio quaedam luminis gloriae. Non autem potest dici lumen fidei vel gloriae complementum luminis rationis, quia illa sunt supernaturalia, hoc mere naturale. Lumen fidei et gloriae non tollunt lumen rationis, sed elevant in aliud et sublimius genus.

Cfr. *Gutberlet*, l. c. tom. 2, § 1. — *Schanz*, II, 358 ss. — *Schmid Al. v.*, 125 ss. — *Wilmers*, 46 ss.

§ 5. De possibilitate, congruitate et necessitate revelationis positivae in genere.

I. Revelatio positiva est possibilis. — Hoc **47**
negant omnes Atheistae, Materialistae seu illi, qui cuncta supersensibilia et spiritualia, ergo etiam Deum, reiiciunt; omnes Pantheistae, quia Deum et mundum identificant; item omnes Naturalistae, qui solum ordinem naturalem huius mundi agnoscunt; praeterea multi Rationalistae theistici reprobantes omnem modum cognoscendi superrationalem. Contra quos *Conc. Vatic.* (3. cap. 2. can. 2): „S. q. d., fieri non posse aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, a. s." — Hoc dogma patet:

1. *ex natura rei.* — Revelatio est possibilis a) *ex parte Dei.* Nihil obstat, quominus Deus ad extra se manifestet; nam est absolute liber, omnisciens, omnipotens, dominus super omnem creaturam, quare cum eis conversari potest, prout vult, directe vel indirecte, mediate vel immediate, per signa vel verba, per internam illuminationem vel per externam locutionem. Si Deus non est spiritualis, non liber, nihil aliud nisi mundus, a mundo materiali vel spirituali non distinctus, sicut Monistae materialistici vel idealistici hallucinantur, utique se revelare nequit; at haec systemata absurda sunt. — b) *ex parte hominis.* Homo gaudet facultate discendi non solum per propriam cogitationem et intuitionem, sed etiam per auctoritatem aliorum, ergo etiam per Deum. Praeterea cognitio humana non est perfecta nec absoluta, sed valde defectuosa, manca et errori subiecta praesertim circa res divinas. Quare revelationem divinam accipere potest. — c) *ex parte obiecti.* Obiectum veritas est; atqui idem est obiectum cognitionis humanae. Sed, sicut *Scotus* ait:[1]) „multae sunt veritates scibiles de Deo secundum se, quas naturaliter non possumus scire, supernaturaliter tamen possumus." Nam „maioris perfectionis est natura capax quam sit illa, ad quam habet virtutem activam" (p. 50).

[1]) Rep. prol. qu. 3, n. 7; tom. 22, 49.

2. *ex eo, quod Deus revera se manifestavit.* Hoc ostensum est iam supra (n. 33), sequitur ex §§ sequentibus, ex ipsa existentia Scripturae S. sexcentisque eiusdem locis, e. c. Hbr. 1, 1 s: „Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio."

48 II. Revelatio est congrua. — a) *ex parte Dei.* Quia Deus est ipsa et summa bonitas, et quia hominem ex pura bonitate condidit, congruum est ei, cum genere humano etiam immediate conversari, se ipsum veritatesque divinas propalare. Illi, qui revelationem reprobant, consequenter etiam divinam providentiam, curam Dei de mundo, conservationem mundi, concursum Dei cum actibus creaturarum negare vel incongruum putare debent. Haec omnia consequenter reiiciunt Deistae, qui etiam factum revelationis non admittunt. — b) *ex parte hominis.* Sicut ex n. sequente liquet, revelatio partim absolute partim moraliter necessaria est; atqui omne necessarium est idem congruum.

49 III. Revelatio positiva est necessaria. — *Conc. Vatic.* (3. cap. 2): „Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant, siquidem oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum" (1 Cor 2, 9). — Ex hac definitione patet:

50 1. *Ad simplicem cognitionem praeambulorum fidei et legis divinae naturalis non absolute vel physice necessaria est revelatio positiva.* Praeambula fidei sunt illae veritates, quas homo per se cognoscere potest, e. c. existentia et attributa Dei, creatio, conservatio et gubernatio mundi, spiritualitas et immortalitas animae. — *Lex naturalis* divina est ethica naturalis seu philosophica, quae praesertim praecepta decalogi continet. — Ad haec omnia simpliciter cognoscenda revelatio divina absolute necessaria non est. *Necessitas absoluta vel physica* tunc est, si quid necessarium est ut medium ad superandam physicam impotentiam, e. c. oculus et lux sunt media physica ad videndum, ergo physice vel absolute necessaria sunt ad videndum. — *Lutherus, Quesnell, Traditionalistae* statuere necessitatem revelationis positivae absolutam ad cognoscenda etiam praeambula fidei. At haec sententia falsa est, sicut patet ex verbis citatis Concilii Vatic. Idem Concilium (s. 3. cap. 2. can. 1) reprobavit ut haereticam thesim, „Deum unum et verum, creatorem et dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine

certo cognosci non posse.“ Iam antea reiectae sunt eiusmodi propositiones a Bautain, Bonnetty etc prolatae (cfr. Denzinger, 1622 ss, 1649 ss. — *Hoc dogma patet* ex omnibus his locis Scripturae et Patrum, qui dicunt, Deum, creatorem, posse cognosci ex ordine et pulchritudine mundi, vel Paganos esse inexcusabiles, quia non observant legem cordibus suis naturaliter inscriptam; fusius agit de hac re dogmatica specialis. Idem elucet ex natura rei. Si homo, Deum esse, probare nequit nec quidquam prorsus de Deo scit sine revelatione, non potest cognoscere, Deum se revelasse. Item revelatio nihil prodest, si homo non iam antea conceptus de Deo aliquos saltem obscuros et confusos habet; nam omnis instructio ad ideas iam aliquatenus cognitas se applicare studet. Traditionalismus ducit ad scepticismum, qui omnem cognitionem certam tollit.

2. *Revelatio positiva veritatum naturaliter cognoscendarum ad* 51
simplicem cognitionem moraliter et relative necessaria est. Medium aliquod moraliter necessarium dicitur, si est necessarium ad faciendum id, quod moraliter impossibile est. Moraliter impossibile homini est id, ad quod praestandum habet quidem vires physicas, sed quod reipsa quasi communiter non exsequitur, quia impedimenta externa et interna tam valida obstant, ut potentia in actum non transeat. Revelatio praeambulorum fidei est moraliter necessaria, ut, sicut Conc. Vatic. l. c. ait, „in praesenti quoque generis humani condicione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint“. Moraliter ergo est impossibile, totum genus humanum totum amplexum veritatum rationabilium religiosarum et ethicarum ad recte vivendum necessariarum sine revelatione positiva cognoscat certe et indubie, idque post lapsum Adae, etsi etiam in statu naturae perditae singularis homo indole egregia instructus unam alteramve talium veritatum cum certitudine maiore minoreve intelligere quit. Cuiusmodi necessitas probatur:

a) Plurimi homines non sunt capaces veritatum religionis ex se ipsis pervestigandarum, quia indole et ingenio debiles sunt, vel quia ob labores ad victum quotidianum parandum non remanet otium vel amor eiusmodi studii.

b) Quia veritates religiosae quoad vitam totam et assecutionem finis nostri gravissimae et maximi momenti sunt, necessarium est, eas ab omnibus ab adolescentia ipsa cognosci, ne homines morte subripiantur, priusquam sciant, unde venerint et quo vadant et ad quid vivant. At hoc impossibile est, si secundum Naturalistas homo ipse solus veritatem scrutari debet, cfr. S. Thomam. Sum. c. Gent. l. 1. c. 4.

c) Pariter necessaria est revelatio, ut eadem cognoscamus certe et pure sine admixtione erroris, quia alioquin non haberemus normam cogitandi, sentiendi et vivendi firmam certamque. Atqui talis cognitio perfecta praesertim quoad veritates super-

sensibiles et omnem experientiam transcendentes homini fallibili soli in hac vita impervia est. *Scotus*:[1]) „Negandum non est, posse demonstrari Deum esse unum, licet acceptum sit a lege. Illa etiam, quae possunt demonstrari, utile est communitati tradi per viam auctoritatis, et propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem et propter impotentiam intellectus et propter errores inquirentium per demonstrationem, quia veritatibus suis multa falsa permiscent. . . Et ideo quia simplices sequentes tales demonstrationes bene possent dubitare, cui esset assentiendum, ideo tuta est via et facilis et communis auctoritas certa, quae non potest fallere nec falli."

d) Experientia teste philosophi omnium temporum, ipse Socrates, Plato, Aristoteles,[2]) revelationis expertes, has veritates maxime necessarias non vel non omnes vel non pure nec indubie intellexere nec pantheismum, materialismum, dualismum, scepticismum etc superare potuere. Populi gentiles revelationem protoparentibus factam ne custodire quidem pure valuerunt, nedum ex se ipsis religionem veram invenire. Sola natio iudaica in libris suis sacris veritates religiosas puras exhibet, at etiam haec ad superstitionem et idololatriam semper prona fuit et certe exemplum malum gentium imitata prorsus esset, nisi continuo per prophetas divinitus in viam rectam revocata esset.

52 e) *Praesertim quoad ethicam revelatio positiva moraliter necessaria fuit* ad diiudicandas varias quaestiones practicas, quarum cognitio recta permultum conducit ad vitam quotidianam vere humanam degendam, praesertim: num liceat caedem caede et sanguinem sanguine expiare, duellium exsequi, matrimonium ad libitum dissolvere, parvulos aegros debilesque morti tradere, abortum procurare etc. De his aliisque gravibus rebus occurrunt nobis inter gentes sibi ipsis relictas doctrina et praxis immanis. Accedit, quod ethica pure naturalis non praebet illam summam auctoritatem certitudinemque nec sufficientem sanctionem nec satis mediorum vel roboris, sicut oportet ad moralem hominum infirmitatem suble-

[1]) Ox. 1. d. 2. qu. 3. n. 7. (tom. 8, 499); cfr. l. 3, d. 37, n. 13 (tom. 15, 851 a).

[2]) Sicut *Max Müller* (Theosophie od. psychol. Religion, übers. von Dr. Winternitz, 1895. 387 ss) disserit, Plato numquam clare exprimit, num summum bonum, de quo saepissime loquitur, sit ens personale. De Aristotele: Nihil invenit nisi deitatem supersensibilem seu numen quoddam se ipsum cogitans, quasi silentium universale, de quo postea Valentiniani fabulabantur; haec doctrina non potuit satisfacere sensui religioso, qui postulat Deum vivum personalem, rectorem summum mundi. Item ostendit, religionem Graecorum alias valde idealium et humanorum esse refertam mythis ineffabiliter rudibus ineptisque (Die Wissenschaft d. Sprache, übers. v. Dr. Fick, 1893. II. 465 ss). — Ceterum Graeci sapientiores ignorantiam suam de rebus religiosis non ignoraverunt, quare instructionem meliorem exspectaverunt a doctore venturo. Notum est illud, quod Plato Socratem dicentem facit: „*Ἀναγκαῖον οὖν ἐστι περιμένειν, ἕως ἄν τις μάθῃ, ὡς δεῖ πρὸς θεοὺς καὶ ἀνθρώπους διακεῖσθαι*" (In dialogo communiter Platoni adscripto „*Ἀλκιβιάδης δεύτερος*"; Platon. op. ed. Schanz, Lipsiae 1882. vol. 6 fasc, 1. pag. 71).

vandam. Speciatim *quoad legem indissolubilitatis matrimonii* ait *Scotus:* „Lex naturae, etsi obliget ad indissolubilitatem vinculi praedicti praemisso tali contractu, tamen non lex naturae evidentissima, sed secundo modo dicta. Illud autem, quod non erit de lege naturae nisi secundo modo, non est omnibus manifestum; ergo expedit necessitatem illius praecepti a lege positiva divina determinari. Esto etiam quod ad hoc obligaret praeceptum legis naturae primo modo dictae . . adhuc expediret ponere ad hoc praeceptum divinum, quia minus oboediunt homines soli legi naturae quam Deo praecipienti, quia minus timent et reverentur conscientias proprias quam auctoritatem divinam."[1])

f) *Revelatio positiva saltem moraliter, fortasse physice, necessaria est quoad quaestionem de remissione peccatorum.* Homo, qui peccatorem se sentit, postulat redemptionem a pondere delictorum et imprimis scire cupit, an et quoties et sub quibus condicionibus Deus peccata condonet. De hac re maximi momenti homo per se ipse nihil certi scit, quia haec res prorsus penes Dei liberum arbitrium est. 53

3. *Revelatio positiva absolute necessaria est,* a) si Deus hominem destinat ad finem stricte supernaturalem. Homo reipsa conditus est ad visionem Dei immediatam assequendam; atqui hoc est donum superexcedens omnem exigentiam omnesque vires naturales hominis; quem finem nos ex nobis ipsis nullatenus cognoscere vel attingere possumus, quare Deus revera absolute necessario manifestare debet, se nobis hunc finem vitae assequendum proposuisse, et per quae media is consequendus sit. Falsa est ergo opinio Semirationalistarum, e. gr. Hermesii, Hirscheri, Güntheri, revelationem nonnisi moraliter nobis necessariam fuisse, scil. propter ignorantiam et impossibilitatem veritatum religiosarum cognoscendarum, non autem absolute ob finem hominis supernaturalem. — b) *Eo fortius iam ad ipsam simplicem cognitionem revelatio mysteriorum strictorum* (de quibus in § sequente fusius) *absolute necessaria est.* Omnia haec ostendit *Scotus* in propria extensaque quaestione (Ox. prol. q. 1.; tom. 8, 9 ss). 54

Cfr. *Perrone,* de vera religione, pars 1. c. 1—2. — *Denzinger,* Vier Bücher v. d. rel. Erkenntn. I. l. 2. — *Gutberlet,* l. c. II. §§ 2 ss. — *Heinrich,* Dogm. Theologie, I §§ 19 ss. — *Jungmann Bernh,* Institutiones theol. dogm. gen. ed. 4. 1895, p. 52 ss. — *Schanz,* II, 366 ss. — *Gatti,* II. 288 ss. — *Wilmers,* 56 ss. — *Zeitschrift für kath. Theologie,* 1882, 283 ss.

§ 6. De revelatione mysteriorum in specie.

I. Notio mysterii. — Mysterium in genere significat rem seu veritatem occultam nec facile perscrutandam. *In sensu theologico latiore* mysterium est veritas religiosa, cuius realitatem quidem naturaliter cognoscere possumus, sed non eius essentiam, e. c. aeternitatem, immutabilitatem Dei; scimus quidem, Deum 55

[1]) Ox. l. 4, dist. 26, n. 9 (tom. 19, 160 s).

esse immutabilem, sed non perfecte intelligimus, quomodo immutabilis sit, etsi ad extra operatur. Vel mysterium est veritas, cuius realitatem sine revelatione cum certitudine non cognoscimus, sed quae post revelationem nobis elucescit, e. c. sine revelatione cum certitudine non scimus, daemones existere, qui praevaricatione libera a Deo mali facti sunt; attamen quando haec veritas revelata est, intelligimus, daemones tantum ex propria culpa, non naturaliter esse malos. — *In sensu stricto* mysteria divina sunt illa, quae, sicut Conc. Vatic. (3. c. 4) ait „suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino." Cuiusmodi sunt e. c. mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae.

56 II. Realitas mysteriorum. — Realitatem mysteriorum in sensu latiore et stricto negant *Rationalistae* (Moses Maimonides, Cornelius Agrippa, Toland, Morgan, Hobbes, Kant, Spinoza, Bretschneider, Wegscheider, Schleiermacher, Nitzsch etc). Hi dicunt, mysteria esse nonnisi veritates symbolis et allegoriis vestitas sicut mythologias antiquas, vel incomprehensibiles hominibus rudibus, non autem doctis et philosophis, vel esse tantum relative et temporarie mysteriosas, sed progressu scientiarum lumine rationis declarandas. *Semirationalistae* velut Frohschammer, Günther, Hermes asserunt, ea saltem post revelationem rationi non esse impervia, sed in veritates naturales solvi posse. *Occultistae, Theosophi, Spiritistae* nostri temporis loquuntur non raro de mysteriis, sed ea saltem aliquibus hominibus ex indole speciali, etsi mere naturali, cognoscibilia sunt. *Modernistae* revera nonnisi Naturalistae sunt; veritates in subconscientia latentes postea patere possunt; eo ipso non sunt mysteria. Has opiniones damnavit *Conc. Vatic.* (s. 3. cap. 4. can. 1): „S. q. d., in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s." Idem (cap. 2. can. 3) *reiicit progressionismum absolutum:* „S. q. d., hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, a. s." — Dogma esse mysteria, patet:

1. *ex Script. S.:* „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?" (Rom 11, 33 s.) „Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum" (1 Cor 13, 12). „Confiteor tibi, Pater, domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre

meo. Et nemo novit Filium nisi Pater neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare." (Mt 11, 25 ss.)

2. *ex SS. Patribus.* — *Origenes* (de princ. 4, 28; M. 11, 403): „Trinitas est, quae omnem sensum intelligentiae non solum temporalis, verum etiam aeternalis, excedit." — *S. Iustinus* (cohort. ad Graec. 8; M. 6, 255): „Neque enim natura aut humani ingenii acie res tam magnae ac divinae cognosci ab hominibus possunt." — *S. Irenaeus* (adv. h. 2, 28, 6; M. 7, 808) arguit Gnosticos: „Irrationabiliter inflati audaciter inenarrabilia Dei mysteria scire vos dicitis."

3. *ex natura rei.* — Homo permulta, immo plurima, non capit. Non intelligit, quomodo plantula minutissima crescat. Quid gloriatur se perscrutari essentiam, cogitationes consiliaque eius, qui de se ipso dicere potest (Is. 55, 9): „Sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris." — *S. Augustinus* (de civit. Dei, 21, 4, 3; M. 41, 713) disserit, calcem per se frigidam fervescere, si aqua, quae naturaliter ignem exstinguit, non autem ignem parit, infunditur, et pergit: „Quid est, quod huic miraculo addi posse videatur? et tamen additur. Nam si non adhibeas aquam, sed oleum, quod magis fomes est ignis, nulla eius perfusione vel infusione fervescit. Hoc miraculum, si de aliquo indico lapide legeremus sive audiremus, et in nostrum experimentum venire non posset, profecto aut mendacium putaremus aut certe granditer miraremur." Quia ergo in ipsa natura rerum creatarum multa nobis occurrunt incomprehensibilia et mysteriosa, quidni in rebus divinis et increatis talia sint, quae omnino superent captum mentis nostrae limitatum, et ad quae secundum illud Aristotelis intellectus noster se habeat sicut oculus noctuae ad lucem solis?

III. Congruentia revelationis mysteriorum. 57
— Mysteriorum revelatio est congrua 1) *a parte Dei.* Ex ore philosophi exspectamus eloquia profunda et sapientia, a rege verba, opera et dona excelsa, a Deo autem, cuius cogitationes non sunt nostrae (Is 55, 8), et qui est „magnus, vincens scientiam nostram" (Iob 36, 26), speramus dicta et facta magnalia, plena mysteriis. Et congruum est Deo optimo, talia nobis revelare. — 2) *ex parte hominis.* Homo inclinat ad supernaturalia, arcana et mysteriosa, id quod patet ex historia superstitionis, magiae, spiritismi etc. Huic appetitui quasi naturali satisfit per revelationem mysteriorum verorum. Ubi fides eiusmodi deest, eo fortius floret superstitio vel pantheismus, occultismus, pseudomysticismus. Etiam hi errores oriuntur partim ex desiderio cordis nostri ad sublimiora. Teste historia post rationalismum semper apparent systemata pantheistica, spiritismus etc; nam, sicut Hegel philosophus scribit,[1]) rationalismus, qui evacuat caelum et omnia ad res terrestres et finitas deprimit,

[1]) Werke, Berlin 1833. t. 13. p. 96.

non sufficit studio mentis nostrae ad excelsiora, quare nobilissimus quisque animus ad supranaturalismum se convertit.

58 IV. Utilitas et necessitas revelationis mysteriorum. — Etsi mysteria non prorsus intelligimus, tamen eorum revelatio utilissima et maxime necessaria est. Eadem sunt enim fundamentum gravissimorum operum salutis nostrae a Deo factorum. Ut Incarnatio et Redemptio per Christum facta nobis prodesse valeant, prius scire debemus, Christum esse Filium Dei, ergo in Deo esse complures personas. Item ex mysteriis peccati originalis, gratiae, eucharistiae etc doctrinae et consequentiae ad totam vitam religiosam atque moralem saluberrimae profluunt.

Obiectiones. — 1. *Omnia, quae superant rationem, adversantur rationi, ergo mysteria irrationalia sunt.* — Resp.: Id, quod est supra naturam et rationem, nondum est contra naturam et rationem. Ceterum mysteria non omnino rationi humanae impervia sunt. Dogmatica specialis disserit, mysteria singula rationi non solum non contraire, sed potius valde convenire. Si eadem rationi prorsus inaccessibilia forent, non esset, quod Deus revelaret, nec obiectiones adversariorum refellere possemus. — 2. *Revelatio mysterii est contradictio in se, quia id, quod revelatum est, eo ipso cessat esse mysterium.* — Resp.: Ex hoc, quod veritas quaedam occulta revelatur, non sequitur, eam esse absolute cognoscibilem; docemur quidem eam realem esse, sed nondum scimus, quomodo et quare sit. Si astronomus detegit stellam aliquam remotissimam, non eo ipso scit nec intelligere debet eius qualitatem vel naturam perfecte. — 3. *Revelatio mysteriorum fuit causa controversiarum, haeresum*, immo bellorum horrendissimorum et immanissimorum. — Resp.: Hoc certe lugendum est, at solet prodire ex aliis motivis ac ex incomprehensibilitate dogmatum. Abusui omnia, etiam luce clariora, exposita sunt. Mohammedanismus, Buddhismus etc carent mysteriis, attamen in eis non minus quam inter Christianos ortae sunt sectae, haereses, bella religionis causa crudelissime gesta.

Cfr. *Perrone*, l. c. prop. 3. — *Denzinger*, Vier Bücher etc. II, 80 ss. — *Gutberlei*, l. c. II § 4 s. — *Gatti*, II. 321 ss. — *Wilmers*, 69 ss. — *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit. 1860. III. pag. 710 ss. — *Zeitschrift für kath. Theol.* 10, 497 ss, 595 ss.

§ 7. De cognoscibilitate revelationis in genere.

59 I. *Revelatio vera per criteria sufficientia cognoscibilis esse potest et debet.* — Sicut vidimus, omnes homines obligati sunt amplecti veram religionem tum naturaliter tum supernaturaliter revelatam. Si ergo Deus se revelavit, omnes hanc revelationem accipere, immo inquirere debent, an Deus se revelaverit et ubi revelatio vera invenienda sit. Atqui Deus cum hominibus immediate conversari non solet, non immediate omnibus se revelavit, non litteris ab omnibus legendis in firmamento caeli revelationem inscripsit. Revelationem mediatam revelationi immediatae praetulit, quia revelatio immediata

non facile ecclesiam constituere potest, sed potius religionem in atomos dissolvit, sicut patet ex historia Montanistarum, Pietistarum, Quaekerorum, Methodistarum, Occultistarum etc, qui omnes deliramenta sua subiectiva et figmenta phantasiae inepta putabant inspirationes Spiritus Sancti immediatas ideoque ab ecclesia se separabant et mox in sexcentas sectas dilabebantur. Quare Deus tantum paucis se revelavit, praesertim protoparentibus, patriarchis, prophetis, per Christum et apostolos. Quia ergo Deus dumtaxat mediate per hos se manifestavit, hanc revelationem inquirere debemus. Et ut revelatio vera a revelationibus fictis facile dignosci possit, Deus eam exornare debuit talibus signis et notis, quae sunt vera criteria revelationis. Si ipse homo epistolam scribendam sic instruere potest, ut amicus absens ex materia relata, litteris, modo loquendi, sigillo, inscriptione, chirographo evidenter cognoscat, epistolam esse genuinam, eo fortius Deus omnipotens media habet ad revelationem authentice approbandam. Haec criteria coniuncta cum aliis veritatibus naturaliter cognoscendis praebere debent motiva credibilitatis et gignere iudicium credenditatis seu dictamen rationis, revelationem illam, quae nobis ut divina proponitur, esse credibilem et ideo firmiter credendam.[1])

II. Criteria revelationis pure interna utilissima sunt, sed non omnibus hominibus sufficiunt.

1. *Criteria interna sunt negativa et positiva.* — a) Negativa 60
in eo constant, quod revelatio, quae gloriatur se esse divinam, non contradicit aliis veritatibus certis, praesertim illis, quas lumen rationis cognoscere potest. Revelatio, quae aliis veritatibus adversatur, vel favet pantheismo, deismo, antinomismo, polytheismo, materialismo etc, eo ipso falsa est, sicut *S. Thomas*[2]) scribit: „Quidquid igitur principiis huiusmodi contrarium est, est divinae sapientiae contrarium; igitur non a Deo esse potest. Ea igitur, quae ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria.“ — *Hoc criterio abutitur rationalismus hypercriticus* ad reprobandas omnes revelationes et libros sacros, qui continent miracula, mysteria etc, quia talia supernaturalia dicuntur esse impossibilia et ideo a Deo provenire non posse. Similiter iam Iudaei et Gentiles reiecerunt doctrinam de morte et cruce Filii Dei etc ut Deo indignam, stultam ac scandalosam. Item Pietistis non placent illae partes Scripturae, quae continent genealogias et alia minus pietatem promoventia. At „non cogitationes meae cogitationes

[1]) Criteria revelationis et fidei enumerat *Scotus* (prolog. in Sent. qu. 2 n. 3) haec: „praenuntiatio prophetica, scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, ecclesiae stabilitas, miraculorum claritas.“ Nam „servi Christi authentici fecerunt miracula, quae sunt signa fidei evidentissima“. (Rep. 4, d. 3, qu. 4, n. 6.).

[2]) S. c. Gent. 1, 7.

vestrae, dicit Dominus" (Is 55, 8), et „animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere" (1 Cor 2, 14); nam „quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes" (1 Cor 1, 27). Quapropter serio examinandum est, utrum eiusmodi criteria negativa reapse sint obiectiva et solida, an sint econtra subiectiva et imaginaria. — b) P o s i t i v a in eo consistunt, quod res revelatae valde congruunt cum veritatibus aliis certis, praesertim cum praeambulis fidei naturaliter cognoscendis, et in eo quod doctrinae revelatae sapiunt et manifestant gravitatem, sublimitatem, pietatem et sanctitatem, et quod sunt utilissimae ad vitam bonam et religiosam excitandam, fovendam, conservandam et perficiendam.

61 2. *Haec criteria interna sunt notae revelationis et religionis verae, quare non sunt contemnenda.* Certe verae revelationi et religioni criteria interna tum negativa tum positiva vere obiectiva competere debent. Revelatio divina oportet exhibeat sanctitatem, veritatem etc quasi attributa quaedam divina, quia dicta et facta divina produnt originem divinam. Etiam Scriptura S. approbat eiusmodi argumenta: „Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus" (Ps 33, 9). Christus ait (Io 7, 17): „Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscit de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar."

62 3. *Haec criteria aliquibus fortasse hominibus sufficere possint.* Congruentia, pulchritudo, sanctitas etc revelationis alicuius animos singulorum hominum ita commovere et persuadere possint, ut eo ipso eam divinitus oriundam putent. His sint ergo criteria verae revelationis sufficientia, quare eiusmodi viri ad revelationem accipiendam teneantur. Eo fortius homo revelationem suscipere debet, si sine ullis miraculis in mente immediate et indubie a Deo ad eam amplectendam illuminatur et impellitur.[1])

63 4. *Non sunt criteria omnibus accommodata.* Homines, etiam doctissimi, facile errant et litigant, quid sit verum an falsum, quid sit Deo dignum an indignum. Itaque criteria interna non sunt apta et sufficientia omnibus, praesertim non rudibus vel simplicibus. Eiusmodi criteria subiacent opinioni subiectivae, sunt fulcimenta labilia et nutantia, quare generare non possunt illam, quae necessaria est, fidei firmitatem. Praeterea, etsi sint obiectivi valoris, stricte nonnisi possunt probare, revelationem aliquam probabiliter vel probabilissime provenire a Deo vel ei congruam esse. Nam aliae quoque doctrinae proponi possunt ut revelatae, quae secundum interna quidem criteria divinae esse possunt, attamen non sunt.

64 N o t a. *Itaque non potest approbari conatus theologorum aliquorum Francogallicorum et Belgicorum nostri temporis e. c. Ollé-Laprune, Blondel, Brunetière, Fonsegrive, loco apologeticae consuetae seu, ut dicunt, obsoletae substituere aliam eamque meliorem.* Haec nova apologetica vult advocare minus miracula vel vaticinia, sed primarie interna criteria

[1]) Cfr. S. Thom. Quodl. II. qu. 4. art. 6.

eaque psychologica et mystica, scil. consolationem, aedificationem, animi tranquillitatem, satisfactionem, quam revelatio divina et fides christiana desiderio mentis humanae praebent.[1]) Nam hi effectus et affectus cordis nostri sunt plus minusve subiectivi et individuales, nutantes secundum indolem hominum, tempora et circumstantias rerum; possunt praebere dumtaxat magnam probabilitatem, non certitudinem obiectivam, doctrinam aliquam reapse divinitus manifestatam esse. Temporibus nostris, ubi permulti ex taedio intellectualismi parvipendunt omnia argumenta philosophica, eiusmodi criteria utiliter efferri possunt — id quod reipsa iam antiqui fecerunt — sed nullatenus debent valere ut criteria solummodo admittenda vel firmiore vi probandi gaudentia quam criteria externa, miracula et prophetiae; alioquin pervenimus ad pietismum, pseudomysticismum, modernum, protestantismum seu scholam Schleiermacherianam et Ritschlianam, quae omnem religionem ponunt in pia affectione cordis, immo ad modernismum cum sua „methodo immanentiae", cuius iam mentionem fecimus cfr. n. 17.

III. Criteria plenam et obiectivam certitudinem praebentia, perfecte et omnibus sufficientia sunt facta divina externa, praesertim miracula et vaticinia.

Conc. Vatic. (3. cap. 3.) definit: „Ut nihilominus fidei nostrae 65
obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quae, cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata." Reiicienda est ergo opinio aliquorum theologorum catholicorum recentiorum, miracula et prophetias revelationem divinam reddere nonnisi probabilem. — Hoc dogma patet:

1. *ex ratione.* — Ratio nostra intelligit, illam revelationem esse divinam, ad quam approbandam — item illum praeconem, in cuius favorem — Deus ipse signa externa supernaturalia patrat. Ad id clarius comprehendendum proponimus hoc argumentationis specimen: a) Historice certum est, Lazarum per Christum a morte esse suscitatum; atqui nulla vis naturalis mortuum ad vitam revocare valet; ergo Lazarus per Christum supernaturaliter resuscitatus est. — b) Lazarus per Christum supernaturaliter erectus est; atqui effectus, qui superat omnem vim creatam, debet habere Deum auctorem; ergo resuscitatio Lazari opus divinum est. — c) Revivificatio Lazari per Christum operata est opus divinum; atqui opus divinum confirmat veracitatem vel missionem divinam eius, qui se nuntium divinum proclamat, et in cuius auctoritatem, vel per quem ipsum facinora eiusmodi divina facta sunt. Nam, ut ait *Scotus,*[2]) „dictat sibi naturaliter ratio, quod Deus non assistit falsitati alicuius operando miracula ad falsa alicuius praedicata vel dicta."[3]) Ergo

[1]) Cfr. *Schanz,* Tübing. Quartalschrift 1896, 402 ss. Et „Über neue Versuche der Apologetik", 1897. — *v. Schmid Al.,* Apologetik. 1900. 194 ss. — *Chr. Pesch,* Theol. Zeitfragen, Freib. 1900, 67 ss.

[2]) 3. d. 23. n. 5. — cfr. Prol. in Sent. qu. 2. n. 10.

[3]) Nonnisi pauci theologi Nominalistae censent, Deum saltem de potentia absoluta posse aliquid falsi revelare, vel falsam revelationem per miracula etc approbare posse, etsi nunquam facit.

Christus per resuscitationem Lazari confirmatus est nuntius divinus. — d) Christus nuntius divinus certe probatus est; atqui doctrina nuntii divini est vera et amplectenda, ergo doctrina Christi vera et accipienda est. Secus enim, sicut *S. Bonav.*[1]) pulchre declarat, possemus Deo dicere: „Domine, si error est, a te decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quae nonnisi per te fieri possunt. Certe a summae sanctitatis viris sunt nobis tradita et cum summa et authentica attestatione probata, te ipso cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis."

66 Obiectiones. — α) *Spinoza ait: Religionem aliquam per miracula probare, est demonstrare rem obscuram per obscuriorem.* — Resp. Miracula et vaticinia revera genuina non sunt res obscurae, sed solent fieri plena luce diei et confirmari per multos testes peritos ut signa evidentissime transgredientia omnem vim naturalem; sunt ergo res lucidissime supernaturales, quare valent praebere argumenta luculentissima pro aliqua doctrina et religione. — β) *Lessing dicit: Ea, quae vocantur miracula, sunt nonnisi facta historica contingentia, sed ex talibus non potest probari veritas ulla metaphysica vel supersensibilis, nedum supernaturalis.* (Similiter asserunt Schelling et permulti alii: Ex signis empiricis non potest effici religio, vel ex sensibilibus non spiritualia, ex humanis non divina etc). — Resp. Certe facta historica, humana, empirica, sensibilia per se ipsa nondum veritatem alicuius revelationis vel religionis demonstrant. At miracula et prophetiae sunt plus quam opera historica, empirica, humana, sensibilia vulgaria; nam continent, manifestant et producunt veritates alias metaphysicas, sicut ex exemplo allegato de resuscitatione Lazari emanat; et mediantibus his veritatibus ex miraculo et prophetia veritas et divinitas revelationis alicuius probatur. — γ) *Etiam Mohammedani et alii miracula pro religione sua effecta praetendunt.* — Resp. Certe, sed haec ut genuina probari nequeunt. — δ) Dicitur: *Homo non potest per ratiocinationem a philosophia ingredi in theologiam.* — Resp. Utique ratio per se non potest pervenire ad veritates supernaturales, attamen cognoscere potest, eiusmodi veritates esse possibiles et earum revelationem praemissis praemittendis credibilem. — ε) Schelling, Strauss etc obiiciunt: *„Circulus vitiosus est, per unum supernaturale, scil. miraculum etc, probare alterum supernaturale, scil. revelationem divinam.* — Resp. Si unum supernaturale non per aliud supernaturale ostendi potest, nec naturale per naturale demonstrari quit. Circulus vitiosus eo vitatur, quod miraculum primarie non consideratur ut factum supernaturale, sed dumtaxat ut factum historia certum, et ex eo dein per commune ac naturale ratiocinium ostenditur origo divina et eo ipso veritas revelationis. — ζ) *Miracula et prophetiae etiam ab hominibus non sanctis Scriptura teste provenire possunt vel patrari ad fines particulares*, e. c.

[1]) Quaest. disput. de mysterio Trinit. qu. 1, a. 2. (tom. 5, p. 56).

ad miseriam aegri sublevandam, ergo non probant divinitatem alicuius doctrinae. — R.: Certe miracula et prophetiae sunt charismata seu gratiae gratis datae, quare dari possunt etiam impiis, e. c. Balaam, Caiphae, Iudae; certe non omnes homines, in quorum utilitatem miracula fiunt, approbantur ut nuntii divini. At certe auctoritas et veracitas eorum, qui se pronuntiant nuntios divinos, confirmantur. Deus, summa veritas, mendacium nec fallaciam extraordinariis signis ratam habere nequit. *Benedictus XIV.*[1]) reiicit thesim „Fecit (aliquis) miraculum, ergo fides eius est vera"; approbat alteram: „Fecit miraculum verum in confirmationem fidei, quam profitebatur ipse; ergo haec fides ipsius erat vera."

2. *ex consensu communi omnium hominum et populorum.* — Iudaei **67** et Pagani, populi barbari et humanitate summa imbuti, tenent una voce, per miracula etc religionem aliquam vel revelationem et nuntium divinum confirmari. Quare omnes falsi prophetae et religiones student eiusmodi signa extraordinaria in medium proferre ad attestandam suam veritatem vel divinam missionem. Ipse *Renan*[2]) ait: „Si le miracle a quelque réalité, mon livre n'est qu'un tissu d'erreurs."

3. *ex Scriptura S.* — Gabriel angelus, ut Beatae Mariae Vir- **68** gini et Zachariae se confirmaret nuntium divinum, facta et signa divina advocavit: „Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua" (Lc 1, 36). Cum Zacharias nollet credere, se senem esse geniturum puerum, et incredulus interrogaret: „Unde hoc sciam?" respondit angelus: „Et ecce eris tacens et non poteris loqui usque in diem, quo haec fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis" (Lc 1, 18 ss, 64 ss). — „Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius" (Io 2, 11). — „Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi" etc (Io 11, 14 ss). „Cogitaverunt, . . . ut et Lazarum interficerent, quia multi propter illum . . . credebant" (Io 12, 10). — „Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum" (Io 12, 37). — „Descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus" (Marc 15, 32), cfr. Mt 11, 4; Io 12, 28 ss; 11, 47). — *Non obstat* Io 20, 29: „Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt." Christus hic non negat, miracula esse argumenta credibilitatis, sed vituperat Thomam, quia non crediderat eis, qui Christum redivivum iam viderant. Econtra dixit Thomae: „Infer digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus sed fidelis." Non obstat id, quod Christus subinde prohibuit, ne miracula sua propalarentur, e. c. Mt 12, 16. Christus fecit id, ne pro se tumultus populi fierent; alias expresse postulavit,

[1]) De servorum Dei beatificatione, l. 4, c. 4, n. 6.
[2]) Vie de Jésus, 13. édit. Paris 1867, préface p. V.

ut signa sua aliis manifestarentur, e. c. Lc 8, 39. Item non obstant pauci loci, e. c. Dt 13, 1 ss, Mt 24, 24, admonentes, ne fides habeatur prophetis, etsi signa magna faciant. Hi prophetae secundum contextum falsi prophetae sunt, qui ad fideles seducendos (2 Thes 2, 9) „prodigia mendacia" patrant. (Post tot et tam lucida effata Scripturae non opus est eloquia Patrum in medium proferre.)

IV. Criteria revelationis nonnisi certitudinem moralem, attamen credibilitatem revelationis evidentem parant.

69 1. *Certitudinem nonnisi moralem dant.* Certitudo triplex est, scil. metaphysica, physica et moralis. *Metaphysica* est, si veritas quaedam ex principiis metaphysicis probatur, e. c. propositiones mathematicae. *Physica*, si prodit ex legibus physicis, e. c. physice certum est lapidem in aëra proiectum rursus ad terram relabi. *Moraliter certum* est id, quod fluit ex legibus moralibus, e. c. propositio: mater diligit filium. Moraliter certae sunt veritates cunctae, quae non sunt metaphysice vel physice certae, praesertim omnia facta posteris a maioribus tradita. Hanc certitudinem etiam revelatio divina habet. Nititur enim miraculis et prophetiis; atqui haec facta historica sunt nobis ab aliis relata; ergo nonnisi moraliter certa sunt, quia auctoritas eorum hominum, qui haec attestantur, nonnisi est certitudo moralis. Ideo conclusio tota: revelatio divinitus approbata et credibilis est, nonnisi moraliter certa est, quia una praemissa moraliter dumtaxat certa est, secundum principium: conclusio sequitur partem debiliorem.

2. *Revelatio evidenter credibilis est.* Revelatio, etsi moraliter tantum certa est, tamen evidenter credibilis est. Quod eventus ab antiquis rerum scriptoribus narratos ob auctoritatem eorum credimus, eo fortius miracula, quae in Scriptura continentur, credere debemus; nam Scriptura, sicut introductio in Scripturam ostendit, maxima credibilitate naturali gaudet, et miracula, quae specialiter Christus patravit, testimoniis longe pluribus et solidioribus nituntur, sicut postea videbimus. Quare revelatio evidenter credibilis est seu ita, ut omne dubium de eius credibilitate prudens et rationabile excludendum sit.

Perrone, l. c. c. 3. art. 1. prop. 2. — *Jungmann*, l. c. 92 ss. — *Gutberlet*, l. c. §12, VI. — *Denzinger*, Vier Bücher etc. II. 290 ss. — *Heinrich*, l. c. §§ 34 ss. — *Schanz*, II, 460 ss. — *v. Schmid Al.*, 165 ss. — *Wilmers*, 93 ss. — *Kleutgen*, Theol. d. Vorzeit. t. 4, ed. 2, 372 ss.

§ 8. De criterio miraculi in specie.

I. Notio.

70 1. *Miraculum definiri potest: Factum supernaturale extraordinarium seu effectus extraordinarius, qui excedit vires totius naturae creatae.*

a) Requiruntur ergo *duae condiciones*, nempe ut opus sit *insolitum et ut sit super potentias omnes naturales.* — Quia miraculum

est effectus supernaturalis et ideo naturam rerum praesupponit, creatio mundi miraculum dici non potest; item non gubernatio mundi, etsi, ut S. Augustinus ait,[1]) maius miraculum est quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus; item nec creatio animarum, iustificatio impii, transsubstantiatio panis et vini; nam hae res sunt quotidianae, non extraordinariae, etsi supernaturales.

b) *Reiicienda est opinio Naturalistarum,* Rationalistarum, 71
Deistarum, Pantheistarum, inter quos e. c. Spinoza, Locke, Bruno Bauer, Paulus, Wegscheider, Strauss, Feuerbach, Harnack[2]) etc: miracula nonnisi facta naturalia sunt, quorum causae naturales nobis adhuc ignotae sunt; vel facta naturalia potentiis supernaturalibus falso adscripta, vel figmenta imaginaria, fraudes, praestigiae et portenta vulgaria; vel facinora a viris magni ingenii effecta; vel opera naturalia quidem, sed transgredientia cursum communem naturae similiter ac opera ab hystericis, somnambulis, magnetisatoribus etc perpetrata.

c) *Non admittenda est sententia, quam protulit Leibniz, Bonnet,* 72
Drey, Houtteville: miracula sunt eventus extraordinarii, etsi naturales, tamen a Deo per leges naturae praeformati et suo tempore contingentes ad religionem fovendam et propagandam aptissimi; Deus e. c. ab initio creationis leges naturae ita praedeterminavit et disposuit, ut non semper, sed tantum temporibus Mosis vel Christi morbos sanarent subito, mortuos resuscitarent etc. Haec assertio est pure arbitraria; quare ex solo nutu Christi, Mosis etc tunc temporis leges naturae hanc efficaciam insolitam exsequi potuere? cur non ex sese? cur non secundum voluntatem aliorum hominum? Haec hypothesis miraculum reddit mirabilius quam reapse est.

d) *Item reprobandum esse videtur dictum,* quod propalabant 73
praesertim theologi protestantes orthodoxi, *miraculum tollere et suspendere leges naturae ipsas.* Sententia communior nunc est: miraculum non tollit leges has ipsas, sed tantum earum effectum. Pro hac opinione tuenda possunt afferri variae analogiae ex ordine rerum naturali, e. c. lex gravitatis non tollitur, quando sucus arboris ascendit ex radice in stirpem et folia, sed tantum superatur per legem alteram; vel eadem lex gravitatis in se manet, quando per manum meam sustinentem impedio, ne lapis decidat ad terram etc.

e) Immo possumus dicere, *vires naturales per potentiam divi-* 74
nam elevari et quasi glorificari et sic ad effectum a Deo intentum adhiberi, quatenus casus singuli secum ferunt. Si e. c. Deus subito sanat infirmum, miraculum non in eo consistit, quod sanatio contingit sine ulla relatione et cooperatione illarum virium, quae via ordinaria morbos sanant. Sed hae vires morbo ligatae, debilitatae

[1]) in Ioan. tr. 24, n. 1; M. 35, 1593.
[2]) Das Wesen des Christentums, 1902. 18.

et quasi annihilatae sunt, ita ut hic et nunc non operaturae essent, nisi Deus ipse immediate extraordinario influxu earum energiam restitueret et elevaret. Deus mirabiliter illuminando prophetas utitur eorum intellectu et omni scientia, qua iam antea gaudent, sed evehit haec momenta naturalia ad cognitionem ex viribus naturalibus nunquam attingendam. Reapse non, vel raro, legimus, parvulos et amentes lumine prophetico ornari, sed adultos vel saltem usus rationis capaces. In conversionibus mirabilibus velut S. Pauli pariter non nisi intellectus et voluntas, in quantum ad divinam gratiam iam apta sunt, elevantur. S. Paulus iam antea scivit, Messiam esse venturum, et multa audiverat de Iesu, sed subito divina virtute cognovit, Iesum hunc Messiam esse, ita ut id dubitare vix posset. Moses miraculose e petra aquam elicuit. Nihil obstat opinioni, hanc aquam iam antea sub humo invisibiliter fluxisse. Sed naturali via tunc non ex hac petra erumpere potuisset, nisi Deus mirabiliter ei hanc exodum patefecisset. Christus augmentando panes non panem novum ex nihilo creasse, sed media iam creata adhibuisse videtur, sive frumentum aliunde miraculose importando sive alias materias in panem transmutando sive vires in panibus ipsis latentes, sed nobis naturaliter nullatenus cognoscibiles excitando et usurpando. Multae res naturaliter possibiles esse videntur, quae nobis prorsus latent et latebunt in hoc mundo. Si color ruber, viridis etc non essent, sed omnia corpora solummodo aut alba aut nigra essent, nunquam somniaremur, colorem rubrum etc possibiles esse; attamen sunt; si in aqua et aëre non essent animalia, sed tantum in terra, nunquam loqueremur de piscibus et avibus, immo talia animalia impossibilia esse forsan putaremus; de facto sexcenta sunt.

75 2. *A miraculo distinguenda est simplex exauditio precum.* Haec in eo consistit, quod Deus precibus commotus leges physicas et morales naturaliter ita gubernat, ut homini sint commodo, non detrimento, e. c. quod Deus adhibendo leges naturales fulgur cadens ita dirigit, ut loca tangat, ubi non noceat. Res similiter se habet ac si medicus per medicinas naturales morbum sanet; utitur enim mediis mere naturalibus, quae per se morbis medentur et medicis communiter praesto sunt. Quare tales sanationes non effectus supernaturales, extraordinariae sunt nec superant vires totius naturae creatae. Ceterum multae eiusmodi exauditiones propria miracula sunt, e. c. liberatio S. Petri ex carcere optime clauso et custodito ob preces aliorum (Act. 12, 3 ss).

76 3. *Causa efficiens miraculi solus Deus est.* Ps 71, 18. et 135, 4: „Qui facit mirabilia solus.“ *S. Augustinus:*[1]) „Quaecumque miracula, sive per angelos sive quocumque modo, ita divinitus fiunt . . . ea vere ab eis vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque

[1]) de civ. Dei, 10, 12; M. 41, 291.

diligunt, fieri ipso Deo in illis operante, credendum est." — *S. Bonavent.*[1]) „Miracula non sunt per vim naturae, sed per vim supra naturam, quae est agentis primi." — *S. Thomas*[2]) ostendit, angelos non propria miracula patrare posse, quia haec sunt „praeter ordinem totius naturae creatae", sed angelus tantummodo „secundum ordinem naturae creatae" operari potest. Miraculum autem est opus Dei proprium, ait *Scotus.*[3]) Angeli et daemones non sunt entia absoluta, sed tantum creata, pertinent ad naturam rerum creatarum, quare leges naturales creatas vel earum efficaciam tollere nequeunt. Sed „angeli fortitudine et virtute cum sint maiores" (2 Ptr 2, 11), leges naturae etiam nobis ignotas adhibere, inter se connectere, alias aliis opponere, et sic effectus quidem nobis extraordinarios, at non stricte supernaturales seu miracula propria perficere possunt. E. c. valent transferre montes vel aquas fluminum retinere intra tempus multo brevius quam homines, sed non per solum actum voluntatis sine mediis nec subito; nam angeli non sunt sicut Deus absoluti vel immunes a successione legibusque temporis. Non possunt secundum theologos exsequi transmutationes rerum reales, sed tantum apparentes per substitutionem vel per illusionem; non valent e. c. aquam in sanguinem mutare, sed dumtaxat loco aquae substituere sanguinem aliunde cito allatum, vel in oculis spectatorum gignere species sensibiles sanguinis. Patratio proprii miraculi, transmutatio rerum substantialis, est quasi creatio vel annihilatio rerum, et haec est solius Dei. Is autem potest uti in producendis miraculis tum angelis tum hominibus tamquam instrumentis. Donum autem miraculorum et prophetiae puris creaturis datum non est charisma permanens, non habitus infusus, sed datur per modum actus transitorii, quando et quantum et cui et prout Deo placet. Solus Christus ob unionem hypostaticam haec munera ut habitum infusum et permanentem possedit.[4])

77 4. *Miraculum, si vult esse criterium revelationis, visibile seu facile cognitu esse debet.* Itaque e. c. conceptio et generatio Iesu Christi miraculosa ex B. M. V. certe miraculum in stricto sensu est, attamen, quia non est facta publice coram nonnullis testibus, ad religionem christianam approbandam testimonium minus aptum est; potest et debet credi, sed non naturaliter probari.

---

[1]) 2. d. 7, p. 2, a. 2, qu. 2, ad 6. (quoties S. Bonav. sine nomine operis citatur, intelligi debet Comment. in Sentent.)

[2]) 1. qu. 110, a. 4.

[3]) prol. in sent. qu. 2. n. 10.

[4]) Sicut *Benedictus XIV.* disserit (l. c. l. 4, p. 1, c. 1, n. 6 ss; c. 2, n. 7; c. 6, n. 7 ss), signa extraordinaria, quae excedunt quidem vires naturae visibilis, sed ab angelis virtute propria fieri possunt et subinde patrantur (miracula minora seu minus propria), adhiberi possunt ad doctrinam aliquam vel sanctitatem alicuius viri confirmandam, si ex circumstantiis adiunctis evidenter liquet, eiusmodi signa effici per angelos bonos ex praecepto divino expresso ad finem dictum.

II. Divisio. — Quoad omnipotentiam Dei omnia miracula paria sunt, sed quoad vim naturalem creaturarum sunt diversa, maiora vel minora.

78 1. Cum S. Thoma[1]) distinguunt theologi *miracula quoad substantiam, quoad subiectum et quoad modum. Miracula quoad substantiam* sunt illi effectus, qui ipsi per se supernaturales sunt et ideo creaturae dant qualitatem stricte supernaturalem e. c. compenetratio et glorificatio corporis. *De miraculis quoad subiectum* dicit S. Thomas (l. c.): „Secundo aliquid excedit facultatem naturae, non quantum ad id, quod fit, sed quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortuorum et illuminatio caecorum et similia; potest enim natura causare vitam, sed non mortuo; et potest praestare visum, sed non caeco." *Miracula quoad modum* sunt illi effectus, quos natura per se ipsa gignere quit, at non ita, sicut fit per miraculum, e. c. „sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturae" (S. Thomas).

2. Similiter se habet divisio alia, quam facit idem S. Thomas,[2]) scil. in *miracula supra naturam, contra naturam et praeter naturam: „Supra naturam*, in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest" (e. c. transfiguratio Christi). *„Contra naturam* esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit, sicut quando conservavit pueros illaesos in camino, et quando aqua Iordanis stetit remanente gravitate in ea." *„Praeter naturam* autem dicitur Deus facere, quando producit effectum, quem natura producere potest . . . sicut cum statim ad invocationem alicuius Sancti aliquis curatur."

3. *Miracula physica* (physicalia, e. c. augmentatio panis; physiologica, e. c. sanatio morbi); *psychologica* (intellectualia, e. c. prophetia propria; ethica, e. c. subitanea conversio S. Pauli miraculosa); *historica seu moralia*, e. c. propagatio et conservatio miraculosa religionis christianae.

III. Possibilitas et congruentia miraculorum.

79 Utramque negant *Atheistae, Materialistae, Pantheistae, Optimistae, Deistae, Fatalistae* etc idque consequenter. Si Deus non est; si nihil est nisi complexus materiae eiusque virium; si Deus secundum Pantheistas a mundo non est distinctus; si secundum Optimistas Deus optimum mundum creavit nec meliorem facere potest; si Deus secundum Deistas nonnisi est creator mundi, sed post fabricationem mundi de opere suo non iam curam habet; si ubique fatum caecum regnat: reapse miracula impossibilia sunt. At si Deus est personalis, mundum absolute transscendens, intelligens, liber, omnisciens, omnipotens, dominus omnis creaturae, de quo res unaquae-

[1]) 1. qu. 105. a. 8.

[2]) de pot. qu. 6, a. 2, ad 3. Cfr. *Garnerium Lingonens*, sermo 21; P. L. 205, 706 CD.

que, etiam leges naturae, omnino dependent ita, ut sine eius scitu et volitu absolute nihil fieri possit: miracula possibilia sunt, et miraculorum operatio Deo valde congrua est, ut ostendat suam existentiam, potentiam ac bonitatem, et ut confirmet auctoritate sublimiore nuntios suos et veram religionem. Quare etiam Pagani, Iudaei, Mohammedani, immo ipsa una pars Rationalistarum possibilitatem miraculi concedunt. Sic scribit *I. I. Rousseau*:[1]) „Dieu peut-il faire des miracles? c'est-à-dire, peut-il deroger aux lois, qu'il a établies? Cette question sérieusement traitée seroit impie, si elle n'étoit absurde: ce seroit faire trop d'honneur à celui qui la résoudroit négativement, que de le punir; il suffiroit de l'enfermer. Mais aussi quel homme a jamais nié, que Dieu pût faire des miracles?" At alii id negant et obtendunt quam plurimas et praesertim has

Obiectiones:

1. *Leges naturae immutabiles sunt.* — R: Certe operantur necessario, non libere, attamen non sunt absolutae, sed contingentes, possunt esse aut non esse aut aliter esse. Deus statuit eas secundum suum libitum, quapropter secundum placitum eas vel earum efficacitatem et effectum mutare, suspendere, tollere quit. Ceterum hae leges non possunt operari nisi sub condicionibus certis, se ipsas aliae alias impediunt, limitant; leges inferiores serviunt superioribus, hae illis imperant et cogunt eas saepe ad modum operandi contrarium, e. c. impetus tempestatis contra legem gravitatis corpora gravia in aërem attrahit. Omnis ordo creaturarum relative superiorum transscendit et quodammodo perrumpit ordinem creaturarum relative inferiorum, scil. ordo rerum organicarum ordinem rerum anorganicarum, ordo rerum sensitivarum ordinem rerum vegetativarum etc, etsi illarum leges per se immutabiles sunt. Imprimis homo quotidie influxum validum exercet in leges naturales, eas combinando, augendo, restringendo e. c. quando machinam artificiosam construit et sic effectus producit, quos leges physicae per se non pariunt; quotidie homo efficit ponendo condiciones certas, ut vires naturales effectum suum exsequi nequeant, e. c. aedificat muros lapideos contra vim ignis, erigit aggeres, ne fluctus fluminis ripas transgrediantur. Quod natura ipsa et potissimum homo his modis sexcenties mutant effectum legum naturalium per se constantium, eo fortius omnipotens Deus per operationem supernaturalem totum ordinem naturalem perrumpere et superare quit. 80

2. *Totus ordo rerum ita perturbaretur, ut omnia nutantia et incerta fierent.* — Sic Feuerbach dicit: Si asinus loquitur, prout legimus de asino Bileam, nescio utrum ego sim asinus an homo; ergo totus cursus mundi confunditur et dissolvitur; vel si subito sol stat, non sum securus, utrum cras sol oriatur necne etc. — R.: Certe si asini plurimi et saepissime loquerentur vel si sol crebro fixe haereret.

[1]) Lettres écrites de la Montagne, lettre 3; Oeuvres, Paris 1839, tom. 4. p, 571.

cunctus ordo mundi turbaretur; at hoc revera rarissime fit. — Si natura necessario semper eundem cursum tenere deberet, ne confusio fieret, infirmus homo non vocare posset medicum, qui naturam infirmi mutaret. Nos ipsi quotidie millies influimus in leges naturales, earum efficacitatem propriam suspendendo, e. c. contra legem gravitatis extollimus pedes sursum nec per hunc processum totum rerum ordinem destruimus. Ceterum Deus habet media, ut perturbationes in ordine mundi, sin aliter eiusmodi eveniant, sanentur; in haesitatione solis, quam refert Ios 10, 12 ss, probabiliter non sol ipse stetit, sed radii solis solito diutius in illa parte terrae luxere.

3. *Deus non potest agere contra ordinem mundi ab aeterno constitutum.* — R.: Sicut Deus libere hunc ordinem praedeterminavit, ita, prout vult, libere ab eo discedere valet. Praeterea, ut S. Thomas[1]) disserit, Deus ordinem mundi per miracula non laedit, quia haec ab aeterno in nostri mundi ordinem assumpta sunt.

4. *Opus creationis in se perfectum est nec eget reparatione per miracula.* — R.: Si Deus per miracula in mundum operatur, non intendit defectus sarcire, sed per certa momenta temporis leges quasdam vel earum effectum suspendit, non eas ipsas mutat.

5. *Miracula sunt contra Dei sapientiam et sanctitatem*, quia Deus miracula faciendo similis fit praestigiatoris, qui gloriatur artibus suis vel curiositati aliorum satisfacere studet. — R.: Deus tantum ex motivis purissimis miracula patrat, ut mediis extraordinariis singulos vel totam societatem humanam ad finem vitae assequendum impellat, et hoc certe Deo dignum est.

6. *Miracula contradicunt Dei immutabilitati.* — R.: Sicut mundi creatio et gubernatio essentiam et actionem Dei non mutant, ita nec operatio miraculorum.

7. *Deus non potest agere contra leges morales, ergo nec contra leges physicas.* — R.: Leges morales, quatenus non sunt pure positivae dependentes a voluntate Dei libera, sunt necessariae sicut Deus ipse, quia quasi emanatio ex Dei essentia sunt, sed leges physicae dependent a libera voluntate Dei.

IV. Realitas miraculorum.

81 *Hoc est dogma formale*, sicut etiam possibilitas et cognoscibilitas et vis probandi. Conc. Vatic. (s. 3, de fide, can. 4): „Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse nec iis divinam religionis christianae originem rite probari, a. s.“

1. Hoc dogma patet tam evidenter *ex Scriptura et SS. Patribus*, ut probatio propria non necessaria sit; sufficiant loci iam citati.

[1]) 1. qu. 105. a. 6. — S. c. Gent. 3, c. 108.

2. Miracula permulta revera facta esse, *etiam lumen rationis*, historia biblica et ecclesiastica, Scriptura S. et Traditio, sumptae ut fontes mere naturales, luculenter ostendunt. Consideremus dumtaxat breviter eventus extraordinarios, qui referuntur a Mose in Aegypto et in deserto patrati. Inter multa alia naturaliter non declaranda legimus Mosen divisisse Mare Rubrum ita, ut Israelitae per medium siccum mare transgredi possent: „erat enim aqua quasi murus a dextra eorum et leva" (Ex 14, 22). Hoc factum ex naturalibus rationibus declarare prorsus impossibile est. Huius facti non solum liber Exodi mentionem facit, sed et alii libri Veteris et Novi Testamenti; Iudaei id nunquam dubitavere, saepe in suis canticis sacris velut in psalmis hunc eventum praedicant, et laudant ideo Dei omnipotentiam; nemo eorum hoc factum naturaliter interpretari conatus est; accedunt non pauci alii eventus in historia populi Israel, qui sine influxu mirabili exponi non possunt. Mosen vixisse, populum ex Aegypto eduxisse, auctorem esse scriptorum sibi adiudicatorum saltem ex magna parte moderni critici et hypercritici in dies plus concedunt. Non est ratio exterior vel interior solida, quae contra miracula in eis narrata proferri possunt, nisi cum Naturalistis etc omne supernaturale ut impossibile a priori respuere vis. Sed haec negatio merum praeiudicium irrationale est. De miraculis Christi et Sanctorum postea fusius tractabimus.

V. Cognoscibilitas miraculi.

Hanc negant aliqui, qui possibilitatem miraculorum concedunt, e. c. Rousseau, Hume, Lessing, Kant, Herbart etc.

1. *Miracula ut talia cognosci possunt.* Hoc est dogma formale 82
a Conc. Vatic. statutum (cfr. supra n. 81). Hoc patet ex *refutatione obiectionum harum:*

a) *Quamdiu non omnes leges naturae cognitae sunt, dicere non possumus, effectum quendam ex causis naturalibus declarari non posse.* Id quod nobis miraculum esse videtur, non est miraculum absolutum, sed nonnisi relativum, quia post centum annos legibus naturalibus noviter detectis fortasse naturale apparebit. — R.: Concedimus, temporibus antiquis nonnulla phaenomena putata esse miracula, quae nunc nobis naturalia sunt; item nobis nonnihil esse incomprehensibile, quod saeculis posterioribus comprehendetur. At luce clarius est, permulta miracula nunquam naturaliter declaranda esse. Ad miraculum genuinum cognoscendum non necesse est, omnes leges physicas nosse, sed sufficit scire, quid natura manifesto non valeat: Nemo sanae mentis asserat, ex naturalibus viribus unquam cadaver putrescens ad vitam suscitari posse vel caecumnatum oblitione sputi sola sanari, vel solo nutu aquam in vinum converti. Esto quamvis ample progrediatur et excolatur ars medica, tamen sanatio repentina morbi letalis vel restitutio subitanea membri abscissi semper miraculum erit.

b) *In sanandis morbis plurimum valet imaginatio vel fiducia firma aegri in dexteritatem et prudentiam medici vel spes atque fides infirmi constans in suam ipsius restaurationem.* Quare miracula facta esse potuere per eiusmodi subiectivas rationes, et ideo omnia miracula incerta sunt. — R.: Certe vis imaginaria etc multum conducunt ad sanationem praesertim hypochondriacorum et melancholicorum. At etiam firmissima fiducia plurimis morbis mederi nequit, nunquam restituet membrum amputatum, non paralytico, hydropico etc plenam ac constantem salutem parabit.

c) *Miracula facta sunt per magnetismum, hypnotismum etc.* — At hic paucas tantum et certas infirmitates curare potest idque plerumque nonnisi paulatim, non subito, nullatenus cancrum etc, nihil membra conquassata restituet. Parvuli aliique amentes per hypnotismum curari non possunt, sed permulti miraculose sanati sunt.

83 d) *Etiam diabolus, magi et venefici secundum Scripturam miracula patrare possunt*, e. c. magi aegyptiaci tempore Mosis, etiam antichristus prodigiis et signis excellet. — R.: Prodigia et portenta, quae diabolus etc efficit, miracula vera esse nequeunt; S. Paulus miracula antichristi „prodigia mendacia" vocat (2 Thes 2, 9), Christus ipse admonet, ut caveamus a pseudoprophetis, quae dant signa (Mc 13, 22 s); ergo penes homines peritos et eruditos est, ejusmodi fallacias detegere. Magi aegyptiaci nonnisi instrumenta daemonum fuisse videntur, et hi secundum sententiam communem signa extraordinaria velut transmutationem virgarum in serpentes et mutationem aquae in sanguinem, eductionem ranarum innumerabilium ex flumine etc nonnisi per substitutionem aliorum animalium vel per illusionem patravere. Etsi difficile esse potest, ex obiecto et facto solo miraculum falsum a genuino discernere, tamen facile distingui possunt ex moribus bonis aut malis patrantium, ex fine malo aut bono, ad quem petendum fiunt. *S. Bonav.*:[1]) „Miracula Dei fiunt ad utilitatem et divinam gloriam, sed magorum ad deceptionem et ad gloriam vanam . . . daemones faciunt huiusmodi vilia et inutilia; miracula vero divina circa valde necessaria et utilia." Quare ecclesia in beatificatione Sanctorum prius inquirit de heroismo virtutum quam de genuinitate miraculorum, et requirit miracula duo post mortem beatificandi patrata.[2])

e) *Nos ipsi testes miraculorum non fuimus.* — Si tantum ea concedere volumus, quae ipsi vidimus, de historiae scientia actum est. Miracula plurima testimoniis longe certioribus et pluribus nituntur quam alia facta historica, de quibus nemo dubitat.

f) *Nescimus, an illi, qui miracula ipsi videre et nobis tradidere, capaces fuerint discernere mirabilia a naturalibus; sed non ignoramus, vulgus studiosissimum fuisse et adhuc esse ubique miracula videndi,*

---

[1]) 2, d. 7, p. 2, a. 2, qu. 2.
[2]) Cfr. *Benedictus XIV.* l. c. l. 1. c. 33.

ubi non sunt. — R.: Concedimus, plebem saepe naturalia et mirabilia confundere et cupidam esse miracula videndi. Itaque in miraculis singulis diiudicandis et examinandis cura quam maxima adhibenda est. Sed negamus, ad testimonium de miraculis perhibendum requiri magnam scientiam. Nihil opus est nisi praesentia localis et temporalis, sensus sani, mens sana, advertentia accurata ad factum, veracitas animi. Nullatenus desideratur, sicut Renan[1]) cupit, ut miraculum fiat coram collegio medicorum, physiologorum etc tempore et loco ab iis constituto. Etiam sub his circumstantiis Rationalistae infideles miraculum factum esse non concederent, sed advocarent legem naturae aliquam nobis ignotam: „Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent" (Lc 16, 31).

2. *Condiciones ad miraculi cognitionem et confirmationem requisitae.* Hae in dictis iam innuuntur. Sunt praesertim: Examen strictissimum, an factum miraculosum revera sit supernaturale; an testes, qui id retulerunt, vere sint credibiles; an intentio et finis thaumaturgi fuerint pura etc. Utilissimum est, etiam atheistas, medicos, doctos, adversarios negare, factum naturaliter posse declarari; item bonum est, multos testes, praesertim rerum ipsarum spectatores, idem tradere, vel eventum usque ad circumstantias minutissimas describere.[2]) 84

Cfr. *Jungmann*, l. c. 101 ss. — *Perrone*, l. c. c. 3, a. 1. — *Denzinger*, l. c. II, 334ss. — *Heinrich*, §§ 41 ss. — *Gutberlet*, II. §§ 12 ss. — *Deutinger*, Renan u. d. Wunder, 1864. — *Daumer G.*, Das Wunder, 1874. — *Schanz*, II. 413 ss. — *v. Schmid Al.*, 246 ss. — *Gatti*, II. 474 ss. — *Wilmers*, 123 ss. — *Stimmen aus Maria-Laach*, 8, 1 ss. — *Müller Eug.*, Natur u. Wunder 1892; ibidem p. XI—XV. litteratura alia ampla indicata est. — *Tessen-Wesierski v.*, Die Grundlagen des Wunderbegriffs nach Thomas, 1899. — *Philos. Jahrb.* 1893, 285 ss; 1894, 135 ss; 1907, 109 ss, 380 ss. — *Der Katholik*, 1908, II 241 ss, 358 ss. — Dictionnaire apologétique de la foi catholique. III. Paris 1920, 517 ss.

§ 9. De criterio prophetiae in specie.

I. Notio. — Vox graeca προφήτης secundum etymon est 85
„praedicator" et significat interpretem eloquiorum a diis, oraculis, vatibus (vates = φάτης) editorum; item significat poëtam, e. c. Tit 1, 12 dicitur Epimenides poëta „propheta". Verbum prophetiae a Scriptura in sensu latiore, strictiore et strictissimo adhibetur. a) *In sensu latiore* significat prophetia totam operationem virorum a Deo inspiratorum et missorum (nabi). Iidem dicuntur „videntes" (roeh, choseh, βλέποντες [cfr. 1. Sm 9, 9 ss; 1 Par 21, 9 et 25, 5]), „viri Dei" (1 Sm 2, 27); vocantur prophetae, quia eis praecipue munus dicendi erat. Ex 7, 1 nominatur Aaron propheta Mosis, id est interpres eius. Quia prophetae saepe miracula effecerunt, etiam patratio haec appellatur prophetia, e. c. Sir 48, 14 legimus, corpus mortui Elisaei prophetasse seu miracula fecisse et ita Dei potentiam pro-

[1]) La vie de Jésus, éd 3. Paris 1863, introduction, pag. LI.
[2]) Cfr. Benedict XIV. l. c., l. 4, p. 1.

nuntiasse. In novo testamento dicuntur prophetae etiam illi, qui habuerunt charisma extraordinarium docendi et aedificandi alios per sermonem, e. c. 1 Cor 14, 29 ss. — b) *In sensu strictiore* prophetia significat cognitionem et pronuntiationem rerum et veritatum occultarum divinitus datam. Hae veritates possunt esse occultae relative vel absolute: relative, si res inspiratione quidem divina cognoscuntur, attamen cognitioni naturali imperviae non sunt, e. gr. quando Christus Samaritanae mulieri dixit, ipsam iam quinque viros habuisse, et propterea ab ea nominatus est propheta. — c) *In sensu strictissimo* prophetia est praescientia et praedictio certa et divinitus indita rerum futurarum contingentium naturaliter nullatenus cognoscendarum. — Ad has definitiones magis illustrandas notetur:

86 1. *Solus Deus est auctor triplicis modi prophetiae*, praesertim prophetiae strictissimae: „Non est ultra Deus nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum et ab initio, quae necdum facta sunt" (Is 46, 9 s). „Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor et probans renes" (Ir 17, 9 s). „Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines" (2 Ptr 1, 21). *Scotus*:[1]) „Solus Deus potest naturaliter, non ab alio, futura contingentia certitudinaliter praevidere; ergo solus ille vel ab illo instructus potest ea certitudinaliter praedicere." Prophetae nonnisi organa et instrumenta Dei fuere; donum prophetiae non per modum habitus infusi, sed per modum actus transeuntis habuerunt.

87 2. *Homo ad prophetiam se praeparare ex viribus naturalibus non potest;* donum enim Dei absolute liberrimum et gratuitum est. Falso censuere theurgi Paganorum, Pseudomystici, Methodistae etc, hominem per inhalationem vaporum (e. c. Pythiam Delphicam), fruitionem ciborum et potionum mentem sopientium, aspectu diuturno ac fixo rerum coruscantium etc in statum vere propheticum locari posse. Concedenda est tantum dispositio et praeparatio indirecta per vitam sanctam, sedationem passionum cordis, quia animus curis et cupiditatibus commotus ad dona Dei recipienda minus aptus est. Legimus quidem (4 Rg 3, 15), Elisaeum, antequam prophetaret, psalten advocasse, et cum is caneret, super illum manum Domini factam esse. At hic cantus psaltae non fuit causa adaequata prophetiae, sed tantum causa praedisponens et occasionalis, quia influxus supernaturalis saepe dispositioni naturali annectitur. Scholae prophetarum, quas Samuel instituit, tantum fuere scholae theologicae, ex quibus Deus interdum, sed non semper, organa sua elegit. — Altera ex parte non negamus, aliquas personas gaudere naturali quadam indole mystica, ex qua plus quam alii aptae sunt ad visiones etc accipiendas. Deus autem et gratia ad naturales

[1]) prolog. Sent. qu. 2, n. 3.

dispositiones annectere amat. Sed haec indoles nondum prophetia vel visio prophetica est. Eiusmodi dispositio naturalis nullatenus requiritur. Prophetae antiqui robusti viri, rustici, pastores etc fuere. Etiam S. Paulus, praeditus animo igneo, sanguinico, forti, activo, natura non somniator fuit, sed visionibus caelestibus gavisus est.

3. *Ad prophetiam veram requiritur, ut propheta usum rationis* 88
conservet. Exstasis quidem tollit lente et successive, raptus subito usum sensuum externorum vel internorum, sed non usum rationis. Deum non decet, hominem privare bono pretiosissimo usus rationis, praesertim tum, quando eum dignum reddit illuminatione altiore. Deus et gratia non tollunt vires naturales, sed econtra eas elevant, non deprimunt hominem ad brutum, sed evehunt ad cognitionem excelsiorem puris spiritibus et Deo ipsi propiorem. Quantopere prophetae divinitus illuminati usi sint ratione, ex eo ipso sequitur, quod interdum cupierunt effugere mandatum a Deo sibi commissum, cfr. Ir 1, 6; Ion 1, 3; Ez 4, 14. — Apc 1, 10. S. Ioannes visionibus gavisus dicit de se: „Fui in spiritu" (non extra sp.). — *Patres* una voce postulant usum rationis et condemnant prophetiam manticam Paganorum, quam et Montanistae, e. c. Tertullianus[1]) acceperunt; hanc designant daemoniacam, quia daemonis est, hominem usu rationis spoliare, ad insaniam et furorem perducere. E. c. *S. Epiphanius*:[2]) „Verus propheta cum sui compos tum ea, quae dicebat, intelligens futura nuntiabat." „Quod vero prophetae extra se rapti leguntur, non sic accipiendum est, quasi rationis usum amiserint"; reprobat sententiam contrariam. — *S. Chrysostomus*:[3]) „Quando daemon animam invaserit, orbat mentem ac cogitationem et rationem obscurat . . . Sed non ita facit Sanctus Spiritus, sed permittit, ut cor cognoscat, quae dicuntur . . . id agit, ut, qui eum suscipiunt, sint sensus participes, et illis intelligentibus revelat, quae dicuntur." — *S. Hieronymus*[4]) dicit impium, secundum Montanum prophetas in exstasi nescivisse, quid loquerentur, „intellexerunt utique, quae locuti sunt."

II. Divisio.

1. *Secundum modum cognitionis distinguitur prophetia cor-* 89
poralis, imaginaria, intellectualis. *Corporalis* est, si ostenduntur formae, imagines sensibus corporis, visu vel auditu cognoscendae, e. c. inscriptio: mane, thecel, phares. *Imaginaria* est illa, quando potentiae imaginandi eiusmodi symbola repraesentantur, e. c. statua aurea, quam vidit Nabuchodonosor rex. *Intellectualis* est, quando intellectus humanus directe lumine et cognitione altiore repletur,

[1]) adv. Marc. 4, 22; M. 2, 413.
[2]) haer. 48, 3; M. 41, 859; et n. 7 (866).
[3]) in ps. 44. n. 1; M. 55, 184.
[4]) in ep. ad Ephes. l. 2, c. 3; M. 26, 479.

e. c. apostoli die Pentecostes; haec prophetia perfectissima et minime fallax est.

2. *Iuxta gradum cognitionis dividitur in perfectam et imperfectam. Perfecta est*, quando homo simul cum prophetia tum accipit lumen propheticum et ita infallibiliter cognoscit, inspirationem a Deo provenire, tum prophetiam ipsam eatenus comprehendit, quatenus necessarium est ad eum finem, ad quem ei prophetia datur; perfecta cognitio sensus prophetiae non opus est. *Scotus:*[1]) „Aliquando sic fit revelatio, quod homo non solum intelligit illud, quod sibi revelatur, sed etiam certus est, quod sibi a Deo revelatur . . . Isto autem ultimo modo est cognitio prophetica proprie et perfecte, et hunc modum habuerunt illi, qui hanc sacram Scripturam nobis tradiderunt, saltem quantum ad ea, quae ibi ex intentione principali scribuntur." *Imperfecta* est, si deest cognitio certa de origine et fine prophetiae, e. c. prophetia, quam habuit Caiphas, Balaam vel Pharao in somnio quoad septem vaccas et spicas; Ioseph, qui somnium illud interpretari sciebat, prophetiam perfectam habuit.

90 III. Possibilitas. — Possibilitatem prophetiae negant iidem atque ex iisdem rationibus, qui miraculi possibilitatem reprobant. At theismus, qui tenet Deum absolute perfectum, omniscium etc, eorum argumenta facile refellere quit. Prophetias fieri posse, comprobat consensus omnium populorum, qui habent vates, oracula, haruspices etc. Iam *Cicero:*[2]) „Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam neque tam immanem atque barbaram, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat." Quod ipse homo multa futura saltem divinare et coniecturare potest, eo fortius Deus, qui omnia scit et valet; et hanc facultatem hominibus tribuere potest, prout vult.

IV. Notae et criteria genuinae prophetiae. — Ut prophetia agnoscatur vera, oportet habeat praecipue has notas:

91 1. *Eventus debet approbare praedictionem* ita, sicut propheta praedixit. — Sed bene notetur, *prophetas hincinde videre, sive in una visione sive in pluribus, res futuras, quae eventurae sint non eodem tempore vel saeculo, immo non in eodem ordine, quo videntur.* Videre potest prius personam futuram vel eventum futurum primarium, posterius demum personas vel eventus secundarios, vel prius substantiam rei, postea circumstantias, vel una prophetia spectare potest ad eventus complures, velut praenuntiatio excidii urbis Ierusalem a Christo facta concernit etiam interitum mundi. Omnia haec momenta respicienda sunt inquirenti, an et quatenus prophetiae adimpletae sint. Praesertim perpendendum est, prophetiam ali-

[1]) miscell. qu. 6. n. 8.
[2]) de divinat. 1, 1.

quam posse esse condicionatam et ideo evenire, aut non evenire, si condiciones adimpletae sunt aut non; non est necessarium, condiciones explicite adiungi. Ionas propheta a Deo iussus erat proficisci in Ninive et praedicere: „adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur“ (3, 4 ss). Revera Ninive non subversa est, quia Ninivitae poenitentiam fecerunt, sicut Deus postulavit. Praedictio non adimpleta est, quia erat dumtaxat condicionata, etsi Scriptura condicionis non expresse mentionem facit. Ideo ex eo, quod haec prophetia effectu non probata est, non concludere licet, Ionam non fuisse verum prophetam vel nuntium a Deo missum.

Similia legimus in vitis complurium Sanctorum e. c. S. Bernardi et S. Vincentii Ferrerii; ille praedixerat, Christianos victoriam ab Turcis reportaturos esse; quod non evenit, quia Christiani multum graviterque peccaverant; hic praenuntiavit, brevi mundum interiturum esse ob peccata hominum; sed homines poenitentiam fecerunt et ideo Deus mundo pepercit. Idcirco uterque ut pseudopropheta diffamatus est, sed uterque ab ecclesia catalogo Sanctorum adnumeratus est. Praeterea in revelationibus privatis veris revelationibus et prophetiis falsae immixtae esse possunt, sive quia revelationes verae non recte scriptae sunt sive quia figmenta subiectiva, etsi bona fide, ut inspirationes divinae putatae sunt. Ex his omnibus non iam concludere fas est, alias revelationes et praedictiones eiusdem personae esse falsas.

2. *Prophetia ipsa debet se referre ad res naturaliter nullatenus* 92
cognoscendas, ergo revera occultas, remotas et futuras, quae nondum in causis suis existunt, ita ut ab hominibus peritis sagacibusque facile coniici valeant. Id praesertim fit: a) Si praedicuntur res dependentes a voluntate aliorum sive Dei sive hominum. — b) Si res praedictae post multos annos, immo saecula, adimplendae sunt. — c) Si propheta rem futuram non solum in genere, sed etiam quoad circumstantias singulas, immo usque ad minutissima describit, e. c. si cuius personae futurae nativitatem, locum, tempus, condiciones animae et corporis, res gerendas, mortis circumstantias sigillatim praevidet et praenuntiat.

3. *Verba prophetiae* oportet esse non aequivoca, ambigua, obscura, sed clara, distincta, determinata.

4. Propheta eloquia sua edere debet non dubitanter, nutanter, sed confidenter et asseveranter, tranquillo animo.

5. Prophetia data esse debet ad finem gravem et religiosum, non curiositatis, lucri, vitii, fraudis causa.

6. Utile est, ad eandem personam vel religionem divinitus approbandam non unum dumtaxat, sed plura vaticinia existere.

7. Eo credibilior est prophetia, si propheta floret eximia sanctitate, vel si simul praeditus est dono miraculorum et aliis charismatibus, vel si ipse per alias prophetias praenuntiatus est et in vita eius hae prophetiae manifesto impletae sunt, vel si Deus in eius favorem signa extraordinaria patrat.

V. Prophetia ut criterium revelationis.

1. Prophetia quae gaudet omnibus condicionibus ad genuinam 93
prophetiam pertinentibus et revera et manifesto impleta est eventu,

eatenus *est criterium securius quam miraculum*, quia ratio humana facile intelligit, hic omnem errorem, fraudem, illusionem etc absolute deesse, et quia saepe adimpletionem propriis oculis videre possumus, ut patet ex prophetiis a Christo editis.

94 2. Altera ex parte contra prophetiam *maiores difficultates* obstare videntur. Vix enim serio negari potest, possibilem esse et non raro contingere etiam naturalem praedictionem rerum futurarum. Immo concedendum esse videtur aliquas personas, praesertim in nonnullis regionibus velut in Scotia et Westfalia, eiusmodi indole praeditas esse, id est facultate „clarae visionis" (clairvoyance, Hellsehen).

Exempla non pauca enumerantur in periodicis spiritisticis et occultisticis, velut in „Die übersinnliche Welt", quorum diversa volumina ipsi perlegimus. Ibidem invenimus facta, de quorum veritate dubitandi ratio sufficiens non est, praesertim cum coram iudicio publico a testibus multis et fide dignis approbata sint.

At tales visiones et praenuntiationes spectant dumtaxat ad res brevi subsecuturas velut mortes, calamitates. Ceterum nihil prohibeatur, quominus divinam illuminationem extraordinariam admittamus, etsi hae gratiae hominibus acatholicis et quoad acatholicos donantur; nam etiam eorum salutem Deus serio vult, et hae visiones videntem ipsum et alios ad actus fidei in Deum et contritionis excitare possunt. Nullibi autem legimus de visionibus et praedictionibus eorum hominum, quae ad eventus post saecula eventuros spectant. Libri antiquorum Graecorum, Romanorum etc multum nuntiant de oraculis, vaticiniis, magis etc, sed non de aliquo nuntio et viro Dei extraordinario, qui post tempora longinqua appariturus sit et vere apparuit secundum praedictiones velut Iesus Christus. Prophetiae israeliticae unicae sui generis in toto mundo sunt.

95 3. *Prophetiae per se non necessario datae esse debent ad revelationem vel religionem aliquam* vel *personam aliquam tamquam nuntium divinum approbandum.* Plurimi Sanctorum christianorum res occultas et futuras praenuntiarunt, et eo ipso seipsos ut divinitus inspiratos confirmaverunt. At permulti nunquam dixerunt, se a Deo vocatos esse ad munus extraordinarium, quamquam verbo, opere, exemplo bono multum ad honorem Dei et religionis christianae augmentum conduxerunt, et praedictiones eorum ad hoc cooperatae sunt. Certe autem religio, in qua eiusmodi signa extraordinaria frequentia videmus, vera esse videtur, saltem verior quam aliae, in quibus talia non vel rarissime reperimus.

96 4. *Si in religione aliqua, quae ex aliis rationibus gravissimis non vera esse videtur, talia vaticinia occurrunt, nondum sequitur, eam esse veram, sed certe hoc sequitur, si in confirmationem et commendationem eius talia fiunt et eventu probantur*, sicut iam Benedictus XIV. disserit (cfr. n. 66). In historia Eliae prophetae legimus: Ozochias rex Samariae misit principem quinquagenarium cum quinquaginta

militibus, ut prophetam caperent. Eliae sedenti in vertice montis princeps dixit: „Homo Dei, rex praecepit, ut descendas.“ Hic respondit: „Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo, et devoret te et quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de caelo et devoravit eum et quinquaginta, qui erant cum eo.“ (4 Rg 1, 9 ss). Elias appellavit ad Deum, ut se confirmaret nuntium divinum; certe talis non fuisset, si ignis devorans de caelo non descendisset.

5. Sed *si Deus Eliam non exaudivisset, non sequeretur, ipsum* 97
non esse verum Deum vel monotheismum, quem Elias profitebatur, non essse verum; nam ex eo quod Elias non est propheta Dei, nondum sequitur, religionem fidemque eius monotheisticam non esse veram. Similiter non sequitur, religionem christianam vel catholicam non esse veram, si quis christianus vel catholicus ad confirmationem suae fidei a Deo postulat miraculum vel aliud signum, et non exauditur. Nam eiusmodi petitio est praesumptio et tentatio Dei.

Obiectiones. — Multae obiectiones, quae contra cognos- 98
cibilitatem prophetiae verae in lucem prodiere, iam ex dictis refutatae sunt, e. c. a) *Homines prudentes saepe futura praedicunt*, non solum necessaria, e. c. obscurationem solis, sed etiam libera, quae reapse eveniunt. — R.: Haec praedictio est aut fortuita aut solet spectare ad res mox futuras, quae in causis iam existunt et ideo facile cognosci possunt. — b) *Etiam daemones et oracula antiqua ediderunt vaticinia.* — R.: Vaticinia oraculorum facta sunt ludibrio omnibus ob aequivocationem responsorum; eloquia praecisa, quae revera contigerunt postea, revocanda sunt partim ad experientiam et sapientiam eorum, qui ea ediderunt, partim ad influxum diabolicum. Daemones per oracula locutos esse, Patres unanimiter docent et approbatur eo, quod a morte Christi, qui venit ad opera diabolica dissolvenda, oracula obmutuere. — c) *Per homines morientes, lunaticos, magnetisatos, hypnotisatos, spiritistas et eos, qui praediti sunt dono visionis clarae (clairvoyance, Hellsehen), et alios huiusmodi non raro futura praedicuntur, quae vere accidunt.* — R.: Omnis talium praevisio, in quantum vera est, spectat tantum ad res, quae iam in causis existunt vel brevi fiunt. Ceterum etiam peccatores et acatholici eiusmodi gratiis a Deo donari possunt velut Balaam, Caiphas. Sed hoc non fit, ut eorum religio et fides confirmetur. Ars legendi cogitationes aliorum est aut fraus, aut naturaliter declaranda ex gestibus et signis, per quae alter cogitationes suas manifestat. Res sub lite adhuc est, utrum phaenomena spiritistica sint realia an fraudes an proveniant ex influxu diabolico. Certe multa fallacia occurrit; item diabolus cooperari videtur, quia spiritus apparentes negant existentiam vel saltem aeternitatem inferni. Sic iam ex fine impuro multa eiusmodi facta apparent non ut revelationes divinitus oriundae. Item differunt veri prophetae a „mediums“ spiritisticis eo, quod erant viri corporibus robustis et

mentibus sanis, cum „mediums" soleant esse personae nervosae et hystericae, praesertim mulieres. Sic nullatenus eiusmodi facta serio comparari possunt cum vera prophetia, et non est difficile, genuinam prophetiam a talibus phaenomenis discernere.

Cfr. *Perrone*, l. c. c. 3, a. 2. — *Gutberlet*, l. c. II. § 13. et „Der Kampf um d. Seele", 1899, 427 ss. — *Heinrich*, I. §§ 44 ss. — *Denzinger*, II. 402 ss. — *Jungmann*, l. c. 124 ss. — *Schanz*, II, 393 ss. — *v. Schmid Al.*, 342 ss. — *Wilmers*, 136 ss. — *Gatti*, II, 522 ss. — *Leitner Fr.*, Die prophet. Inspiration, 1896, 10 ss. — *Müller E.*, 157 ss. — *Ed. Koenig*, Das alttestamentliche Prophetentum u. die moderne Geschichtsforschung. Gütersloh 1910.

Pars II.

De religionibus non christianis.

99 Praenotanda. — Quidquid in hac et in tertia parte dicendum est, fundatur in authenticitate, integritate et naturali credibilitate librorum veteris et novi testamenti, praesertim pentateuchi et evangeliorum. Hae ostenduntur ab introductione in Scripturam S. et hic praesupponi debent. Ipsi critici infideles hodierni in dies magis coguntur plus concedere traditioni iudaicae et christianae seu approbare antiquissimam originem, authenticitatem, integritatem et credibilitatem horum librorum, praesertim evangeliorum synopticorum et scriptorum fere omnium testamenti novi.[1])

100 Sicut supra (n. 33) disseruimus, Deus primis parentibus se revelavit et eo ipso religionem positive condidit. De religione paradisica, de eius corruptione et praevaricatione hominum fusius agit dogmatica specialis. Putandum est, Deum etiam postea hominibus lapsis se revelasse, et sic revelationes et promissiones primitivas fusius explicuisse, id quod Scriptura quoad Noë, Abraham etc, Mosen et prophetas et totam religionem israeliticam explicite attestatur. Deus operatus est etiam inter Paganos, etsi minus. Haec scientia de rebus divinis sic tradita per peccatum quidem obscurata et mutilata est, sed non totaliter sublata est. Quod ostendunt tractatus sequentes. Consentaneum est primo agere de formis verae religionis, deinde de falsis religionibus; nam falsum melius cognoscitur, si antea verum consideratur, quia est deturpatio veri.

§ 1. De religione patriarchali.

101 1. Religio patriarchalis est illa forma verae religionis, quae a peccato Adae usque ad Mosen duravit. Eadem dicitur subinde religio naturalis vel religio in statu naturali, non ideo quasi origo

[1]) Cfr. *Harnack*, Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius, I. 1897. pag. VIII et 234 ss. Idem: Wesen des Christent. 1902, 14 ss. — *Theol. Studien u. Kritiken*, 1898, 71 ss. — *Protestant. Monatshefte*, 1897, 177 ss; 1899, 299. — *Theol. Rundschau*, 1898, 5 ss. — *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1899, 263 ss.

fuerit pure naturalis et tunc temporis gratia supernaturalis ad salutem non opus fuerit vel reapse data non sit — Abel, Noë etc fuere amici Dei peculiares, quare certe ornati erant gratia sanctificante; Abraham iustificatum fuisse, Scriptura expresse docet (Gn 15, 6; Rom 4, 2; Iac 2, 23) — sed vocatur religio naturalis, quia revelatio supernaturalis minus crebra et ampla erat quam antea in paradiso et postea sub Mose et prophetis. Etiam tunc Deus non cessavit immediate se revelare hominibus, e. c. Cain, Abel, Noë, Abrahae, Isaac, Iacobo, et renovavit revelationem primitivam, immo ampliavit, e. c. manifestavit, semen mulieris, quod contriturum erat serpentis caput, fore semen Abrahae, Isaaci, Iudae. Item dicitur religio naturalis, quoniam imprimis eas veritates religiosas, praecepta moralia et ritus tenebat, quae lumen rationis ex se ipso cognoscere potest.

2. Haec religio docuit et coluit unum Deum, creatorem, do- **102**
minum et gubernatorem caeli et terrae, Deum bonum, iustum, sanctum, remuneratorem virtutum et vindicem vitiorum. Hoc elucescit praesertim ex diluvio universali, quod sub Noë in poenam super humanitatem peccaminosam evenit. Nota autem bene, hoc factum esse ad mulctanda peccata carnis, non ob polytheismum; qui ergo tunc nondum viguit. Eundem coluit fide, oratione, sacrificiis, observatione potissimum praeceptorum decalogi. Item tenuit spiritualitatem, libertatem et immortalitatem animae, mercedem, aut poenam alterius vitae. Hanc immortalitatis fidem Genesis vario modo innuit, e. c. dicens, hominem esse creatum ad Dei imaginem et similitudinem et postea mandatum Dei transgressum esse, vel patriarchas post mortem collectos esse ad suos patres, vel eo quod Deum Abrahae dicentem facit: „ego protector tuus sum, merces tua magna nimis“ (15, 1). — Praeterea crediderunt in existentiam angelorum bonorum et malorum eorumque conversationem cum hominibus. Diu vixerunt in monogamia, quia Gn 4, 19 expresse dicitur, Lamech primum duxisse duas mulieres. In speciale signum foederis Deus Abrahae eiusque posteris circumcisionem praecepit. — Patriarchae, etsi aliqui non sunt sine macula, omnes magni fuere tum constanti fide in Deum verum, partim in medio gentium idololatrarum habitantes, tum fiducia et spe in Deum eiusque providentiam viva. Eventus, quos nos legibus naturalibus vel benignitati aut malitiae hominum adscribere solemus, deduxerunt illi ex immediata gubernatione divina, sicut patet praesertim ex historia Iosephi aegyptiaci.

N o t a. *Falsa est ergo opinio rationalistica, patriarchas, immo Israelitas antiquos,* **103**
ignorasse immortalitatem animae. Voces: congregari ad populum suum, colligi ad patres etc, quibus Genesis utitur quoad mortem et sepulturam patriarcharum, proxime significant id, quod patriarchae mortui in altera vita erunt et vivent apud cognatos antea defunctos; non autem exprimunt solum — sicut Rationalistae obiiciunt — sepeliri in eodem sepulchro familiae. Genesis expresse distinguit inter has notiones. Legimus e. c. de Isaac (35, 29): „Mortuus est, et appositus est populo suo . . et sepelierunt eum Esau

et Iacob filii sui"; cfr. 15, 15; 49, 29. De Abraham scriptum est (25, 8 s): „Mortuus est . . congregatusque est ad populum suum, et sepelierunt eum . . in spelunca duplici, quae sita est in agro Ephron filii Seor Hethaei e regione Mambre." Abraham ergo congregatus est ad populum suum, etsi sepultus est in Chanaan, non in Mesopotamia apud patres suos. Similiter „infernus" ille, in quo iuxta antiquos Israelitas defuncti habitabant, est locus et status alterius vitae, non sepulchrum, sicut Rationalistae praetendunt. Iacob patriarcha, etsi censebat, filium suum Ioseph laceratum esse a bestiis, ergo non sepultum esse, tamen exclamavit (Gn. 37, 35): „Descendam ad filium meum lugens in infernum." Concedimus, pentateuchum minus loqui de mercede aeterna quam de temporali; patriarchae et Israelitae primitivi enim erant nomades, ergo populus, etsi non barbarus, tamen minus excultus: sed eorum animos potentius movent promissiones donorum temporalium quam spiritualium, quare Deus potius saecularia munera pollicitus est et corporales poenas minatus est. Monotheismus ethicus, purus et vivus patriarcharum impossibilis est sine fide immortalitatis. Legimus etiam, Henoch cum Deo ambulasse, et Deum eum tulisse (Gn 5, 24); quomodo id cogitari potest sine fide immortalitatis? Haec fides ubique et semper stat et cadit cum theismo. Saltem indirecte ergo iam Genesis satis hanc fidem docet, etsi testimonia directa desunt. Pentateuchus ex professo primarie historiam populi Israel tradit, non eius fidem describit. — Cfr. *Vigouroux*, Le Bible et les découvertes modernes en Palaestine, en Egypte et en Assyrie. Nach d. 4. Aufl. übersetzt von Ibach. 1885, III, 1, 7, 2 s, (2. B.). — *Lüken*, l. c. 407 ss. — *Fischer*, l. c. 98 ss, 128, 153 ss, 330. — *Zeitschrift für kath. Theol.* 11, 447 ss. — *Knabenbauer*, Das Zeugnis des Menschengeschlechtes für die Unsterblichkeit der Seele. 1878.

104 3. *Item falsum est dictum aliquorum, patriarchas non revera vixisse, non esse personas concretas, historicas, sed tantum figuras mythologicas*, cum omnia, quae Scriptura de iis tradit, nonnisi mythi sint, sicut similia legimus quoad multos alios populos. Absque dubio id quod Scriptura refert, valde imperfectum est, sed in genere verum esse, ipsi moderni critici in dies plus concedunt. Inquisitiones modernae et praesertim inventiones multae in Graecia, Asia Minore, Babylonia, Palaestina, Aegypto etc factae luce clarius ostenderunt, permulta, quae antea ut mythi putata sunt, revera evenisse, et mythologias traditionesque populorum, etsi non paulum corruptae sunt, continere nucleum veritatum, praesertim cum traditiones diversarum gentium et terrarum plus minusve consentiant. Inter omnes constat, traditiones multarum gentium docere, Deum vel deos terram et mundum fecisse, primos homines felices et grandaevos fuisse, cum diis familiariter conversatos esse, sed peccasse, mandata deorum neglexisse, ideo ab iis punitos esse, cum hominibus totum mundum in peius perversum esse etc. Scriptura narrat de decem patriarchis (Adam usque ad Noë), de diluvio etc; similia autem referunt traditiones populorum complurium.[1])

105 a) Quod specialiter attinet A b r a h a m etc, dicimus a) *Falsum est dictum aliquorum patriarchas non revera vixisse, sed personas mythologicas* seu deos fuisse. E. c. inter alios *Otto Hauser*[2]) censet, Abraham fuisse nihil aliud nisi lunam claram deificatam, Lot lunam obscuram, Sara fuisse deam b a b y l o n i c a m Ischthar=

[1]) Cfr. *Lüken*, l. c. *Alfred Jeremias*: Das Alte Testament im Lichte des alten Orients[3]. Leipzig 1916, 6 ss, 87 ss, 104 ss etc. — *Rud. Kittel*: Die alttestamentl. Wissenschaft in ihren wichtigsten Ergebnissen[3], Leipzig 1917, 8 ss.

[2]) Geschichte des Judentums, Weimar 1921, 74 ss.

Astarte; similiter Isaac, Iacob etc; duodecim filios Iacobi fuerunt duodecim signa Zodiaci deificata (arietem, taurum, geminos etc); similiter Moses et Iosue etc tantum figurae mythologicae sunt, sicut narrationes de habitatione Israelitarum in Aegypto et exitu eorum sub Mose dumtaxat mythologiae esse dicuntur etc; Abraham migrasse ex Chaldaea in Chanaan nihil aliud est nisi quod quidam dii babylonici postea etiam in Chanaan colebantur etc. Alii prorsus aliter sentiunt et eo ipso hanc sententiam reiciunt. Secundum *Daniel Voelter*, professorem theol. in Universitate Amstelodam.,[1]) pariter tota historia patriarcharum nihil aliud est nisi collectio mythorum, sed imprimis e x A e g y p t o oriundorum, quos Israelitae ex Aegypto in terram Chanaan ingressi invenerunt; postea hi dii facti sunt patres generis et populi Israel et servi Iahve; sic Abraham nihil aliud est nisi Nun, deus Aegyptiorum, Sara = Nunet, Isaac = Rê aut Amon-Rê; Rebecca = Hathor-Iusas, meretrix Rachab = Nephthys etc. Hoc probatur ex eo, quod aliquae similitudines occurrere dicuntur. At hae similitudines, si reapse tales sunt, dumtaxat externae et fortuitae et ex professo quaesitae sunt; eodem modo etiam probari posset, has personas idem esse cum diis et deabus Babyloniorum, immo Romanorum, Indorum etc. Praeterea saepe quidem legimus, ab antiquis homines esse deificatos, sed nullibi audimus, deos esse depositos et inter homines communes numeratos esse. Sed scimus, Abraham etc ab Israelitis postea consideratos esse ut homines alios communes. Revera unusquisque obiter tantum legens historiam Abrahae etc, praeiudiciis non captus, statim dicet, has personas habuisse carnem et sanguinem sicut alios homines, de facto vixisse; nam eorum vita et res gestae narrantur cum momentis minutissimis, cum peccatis et virtutibus non aliter atque quoad alias personas historicas. Tota traditio et literae populi Israel sexcenties ostendunt in Abraham etc ut auctores generis sui, ut personas individuales humanas; nullibi innuitur eos fuisse deos. Quare etiam alii viri docti et inquisitores rationalistici critici in dies plus traditioni antiquae assentiuntur. Idem dicendum est etiam de Adam, Abel, Seth, Henoch, Noë etc. Nunquam ab Israelitis tamquam dii culti sunt. Hi semper firmiter tenuere, historiam suam multo antiquiorem esse quam aetatem Mosis, patres eorum esse Abraham etc, eos ortos esse ex Chaldaea, in Chanaan intrasse, inde im Aegyptum descendisse, ibi diu moratos sub Mose iterum in Chanaan revertisse. Prorsus nihil est, quare negemus hanc conscientiam et fidem quadrare cum historia. Pariter non est, quare dubitemus de existentia patriarcharum ab Adam usque ad Noë, praesertim cum traditiones aliarum gentium similia referant.

b) Item reprobandum est, *Abraham, Isaac, Iacob non signi-* **106**
ficare nomina personarum individualium, sed nomina tribuum vel

[1]) Die Patriarchen Israels im Lichte der ägyptischen Mythologie[2]. Leipzig 1921.

gentium. Verum quidem est, etiam in Scriptura Veteris Testamenti non raro gentes et tribus designari nominibus individuarum personarum; Ioseph, Zabulon etc exprimunt non solum nomina filiorum Iacobi, sed etiam tribus, gentes, terras; „Israel" significat nomen filii Isaaci (Iacob), sed etiam totum populum descendentem ab eo. Immo legimus „Chanaan", qui fuit filius Chami, genuisse Hethaeum „Iebusaeum et Amorrhaeum, Gergesaeum" etc, id est gentes (Gn 10, 6 s, 15 s). Sed Abraham, Isaac, Iacob (Israel), Esau, Lot stricte et explicite distinguuntur a Madianitis, Ismaelitis, Edomitis, Moabitis, Ammonitis etc ab ipsis oriundis, cfr. Gn 19, 36 ss; 25, 1 ss, 12 ss; 36, 1. 8. 19. 43. „Israel" quidem non solum Iacob significat (cfr. Gn 32, 28), sed in locis sexcentis etiam populum ab eo oriundum; nullibi autem legimus de tribu Abraham, de tribu vel gente Isaac. Nomen Abraham etiam inter Babylonios occurrit, et Arabes adhuc hodie eum, id est unam personam individualem ut patrem singularum tribuum suarum designant.[1])

107 c) Similiter reicienda est opinio, quam *B. Baentsch*[2]) statuit, *Abraham fuisse personam quidem humanam* qui vixit circa 1000 annis ante Mosem, non autem egressum esse ex Chaldaea, *sed natu fuisse Chananaeum*, eo ipso non fuisse patrem populi Israel, et posteros eius non emigrasse in Aegyptum atque inde ut populum reversos esse in Chanaan; hanc esse fictionem artificialem, quae sit contra omnem historiam, quia per se impossibilis sit. Baentsch nullum argumentum aliud in medium profert vel proferre potest. Sed contra eum pugnat tota conscientia et traditio populi Israel, quae manifesto et saepissime in eius literis sacris et profanis exprimitur. Methodus vere historica autem postulat, ut eiusmodi traditiones communes et perennes magni aestimentur et retineantur, si non rationes gravissimae adversantur. At eiusmodi rationes heic prorsus desiderantur. Absque dubio haec traditio spectat res non quotidianas vel apud alias nationes nobis occurrentes; sed tota historia huius populi usque ad dies nostros quoad permulta momenta dissentit a regulis ab historicis de aliis populis constitutis. — Baentsch ostendit etiam in id, quod Deus, quem Abraham coluit, fuit benignus, cum quo quasi cum amico et patre familiariter conversabatur; Deus autem populi Israel fuit deus terribilis et sanctus, quem timebat et horrebat (p. 117, n. 53). Hoc concedi potest, sed respondendum est: Abraham, Isaac et Iacob nondum erant populus numerosus, sed tantum familia, et haec familia serviebat Deo fideliter et abhorrebat ab omni idololatria. A temporibus Mosis autem Israel erat populus amplus, qui Deo oboedire nolebat, sed saepissime contra eum vicariosque eius Mosem et Aaron murmurabat et non paulum ad idololatriam inclinatus erat. Quare necessarium erat Deum ostendere magis suam

[1]) Cfr. *Jeremias* l. c. 255 ss. — R. *Kittel*, Die alttestamentl. Wissenschaft etc 155 ss.
[2]) Altorientalischer und israelitischer Monotheismus, Tübingen 1906, 54 ss.

sanctitatem et iustitiam quam benignitatem. Ceterum ostendit etiam non raro suam misericordiam et bonitatem, eo quod precibus Mosis commotus populo parcebat et in deserto per multos annos miraculose nutriebat et satiabat. Baentsch ipse disserit (65 s), Mosem esse personam historicam et fundatorem religionis Israeliticae, quia talis persona fingi non potest postea, et talis religio necessario praesupponit ut auctorem personam concretam, sicut Buddhismus Buddha, Mohammedanismus Mohammed etc. Sed haec tota argumentatio etiam ad Abraham adhibenda est. Moses et Israelitae ab initio historiae suae firmissime agnovere Abraham ut patrem suum; hoc nunquam fecissent, et facere potuissent annis mille postea, si saeculo 13, vel 12 (secundum Baentsch) ex Arabia in Chanaan immigrassent et tunc demum audissent, Abraham Chananaeum ante 1000 annos similem monotheismum habuisse quem ipsos. Israelitae sub Iosue occupantes terram Chanaan eo ipso inimicissimi erant Chananaeis et radicitus eos evertere studuere; quare non est probabile Israelitas Chananaeum quendam, qui ante 1000 annos vixit, patrem suum declarasse. Non ea historia, quam Genesis tradit, artificiosa est, sed id quod Baentsch aliique somniant.

N o t a. Historiam patriarcharum nonnisi esse mythologiam inter alia ex eo deducitur, quod *illis temporibus primitivis et barbaris literae nondum inventae erant*, et sic solummodo traditiones orales praesto erant, hae autem, experientia teste, brevi degenerant et pervertuntur. — Resp. Omnino improbabile est, patriarchas, immo Israelitas usque ad Mosem caruisse usu literarum. Certum est iam circa an. 1400 a. Chr. n. in Chanaan complures principes et reges fuisse, qui sub dominio Aegyptiaco stantes cum regibus Aegypti Amenophis III et IV conversationem in literis habebant. Tota haec conversatio mutua in tabulis lapideis scripta annis 1887/88 inventa est in Tell el Amarna in Aegypto media.[1]) Immo iam 700 annis antea in Babylonia non pauci gavisi sunt arte legendi. Hoc manifeste sequitur ex statua lapidea anno 1902 in Schuster, urbe persica (olim Susa) reperta. In hac statua, quae oritur ex Babylonia et a Persis victoribus in Persidem transportata esse videtur, insculpta est in lingua babylonica tota lex, quam rex Hammurapi circ. a. 2100 ibi dedit. Haec lex continens 282 paragraphos, scripta publicata est omnibus ad legendum, ex quo patet, iam tunc temporis artem legendi satis notam fuisse. Accedit quod variae paragraphi huius legis loquuntur de contractibus ineundis de matrimonio et rebus familiaribus; hi contractus in scriptis facti esse videntur. Ex hac terra autem, ubi usus literarum non paulum divulgatus erat, eodem tempore Abraham egressus est. Is habuit 318 „expeditos vernaculos“ (Gn 14, 14), fuit ergo vir dives, immo princeps quidam, ex quo derivare licet non fuisse ineruditum, sed literis sui temporis imbutum. Iuxta Gn 38, 18 Judas, filius Iacobi patriarchae, habuit annulum, qui annulus ad sigillandum usitatus esse videtur, sicut mos antiquorum fuit; etiam hoc notitiam literarum praesupponit, praesertim cum sub ruinis Babylonis etc tales annuli sigillares inventi sint.[2]) Israelitas res graves, praesertim tabulas genealogicas literis mandasse diligenter, inter omnes constat.[3]) — Accedit quod dictus Hammurapi, rex Babyloniae, idem esse videtur cum Amraphel rege Senaar (Babylonis), qui secun- 108

[1]) *K. Miketta*, Die Amarnazeit, Palästina und Ägypten in der Zeit israelitischer Wanderung und Siedelung, Münster 1908. — Cfr. *Rud. Kittel*, Die alttestamentl. Wissenschaft in ihren wichtigsten Ergebnissen[3]. Leipzig 1917, 34 ss; p. 48 eiusmodi tabula depicta est.

[2]) (Cfr. *Benzinger*, Hebräische Archäologie, 1907, 179.)

[3]) Quod temporibus Abrahae usus literarum iam divulgatus erat, suspicandum est, iam eius maiores velut Sem et Noë literarum gnaros fuisse.

dum Gn 14, 1 ss cum aliis regibus in Chanaan ingressus est, reges Sodomae etc. vicit, sed ab ipso Abraha fugatus est.[1])

109 4. Quod autem iam Abraham etc gaudebant arte legendi et scribendi, a priori *probabile est, eos fecisse annotationes scriptas quoad res graviores*, genealogias, contractus, testamenta etc. Iam in libro Genesis invenimus eiusmodi notas, genealogias etc, quae in scriptis compositae et posteris in scriptis traditae esse videntur. Lib. Exod. narrat expresse, praecepta decalogi in tabulis lapideis insculpta fuisse. Qua de re similia de aliis legibus facta esse suspicandum est. Saltem libros Iosue, Iudicum, Samuelis et sequentes esse fontes puros historicos, concedunt etiam critici et hypercritici moderni velut Eduard Meyer.[2]) Unusquisque obiter tantum legens libros Genesis, Exod. etc brevi tempore cognoscet, eos non referre mythos, quales alibi copiosissimi e. c. apud Homerum occurrunt, sed enarrare res vere gestas idque eo modo, claritate, simplicitate, ut necessario iudicandum sit, has enarrationes oriri ultimo a personis, quae aut erant ipsi testes earum aut saltem nituntur eiusmodi testibus.

Cfr. *Ed. Koenig*, Die Geschichtsschreibung im Alten Testament, Berlin-Lichterfelde 1913. — *W. Lotz*, Abraham, Isaak und Jakob, Berlin 1910. — *Joh. Nikel*, Das Alte Testament im Lichte der altorientalischen Forschungen[4]-IV, Die Patriarchengeschichte, Münster 1921. — *Franz Feldmann*, Israels Religion, Sitte und Kultur in der vormosaischen Zeit, Münster 1916.

§ 2. De religione Israelitica antechristiana.

110 1. *Religio haec fuit forma religionis verae, fundata et conservata ex revelatione et gubernatione immediata divina.* — Auctor humanus religionis Israeliticae Moses fuit. Cuius tota vita et operatio extraordinaria ostendit, eum divinitus missum fuisse. Patravit enim multa miracula in Aegypto, dein populum Israel mirabiliter per Mare Rubrum traduxit eique in deserto per 40 annos cibum et potum divinitus porrectum praebuit. Post eius mortem Iosue et iudices, postea prophetae, religionem hanc conservavere, adiuti continuo dono charismatum, miraculorum et vaticiniorum. Tota historia populi Israel arcte cum eius religione cohaeret et est argumentum perpetuum atque evidens, religionem eam esse veram, supernaturaliter conditam et custoditam. Quotiescumque Israel confisus est Domino legesque eius observavit, hostes suos etiam superpotentes vicit idque ita, ut adiutorium divinum esset luce clarius. Quoties autem deos alienos coluit vel alia mandata Dei neglexit, non profuere ei arma, opes, copiae maximae (cfr. Idt 5, 17 ss). — Itaque

[1]) Alfr. *Jeremias*, Das Alte Testament im Lichte des alten Orients[3], Leipzig 1916, 284: „Daß Amraphel Hammurapi ist, darf als sicher gelten."

[2]) Geschichte des Altertums ed. 3. I/1., Stuttgart 1910, § 131, p. 227. „Völlig selbständig geschaffen ist eine wahre historische Literatur im Bereich des vorderasiatisch-europäischen Kulturkreises nur bei den Israeliten und den Griechen. Bei den Israeliten, die auch darin eine Sonderstellung unter allen Kulturvölkern des Orients einnehmen, ist sie in erstaunlich früher Zeit entstanden und setzt mit hochbedeutenden Schöpfungen ein."

superat religio mosaica omnes alias religiones antiquas conservatione pura monotheismi, intelligentia recta attributorum Dei, cognitione veri ordinis inter Deum et mundum atque homines, integritate et sanctitate legis moralis etc.

2. *Reprobanda est sententia rationalistica, Israelitas ab initio* 111
serviisse polytheismo et nonnisi sensim et posterius, nempe a temporibus Mosis, progressos esse ad monotheismum.[1]) Israelitas antiquitus semper unum Deum adorasse, praeter iam dicta hoc modo ostenditur: a) Scriptura veteris testamenti semper de uno tantum Deo loquitur et stricte prohibet, quominus alii dii colantur. — b) Saepissime Deus vocatur „Deus Abraham, Isaac et Iacob", „Deus patrum vestrorum" etc. — c) Hoc nomine exprimitur, ipsos patres huius populi fuisse monotheistas, id quod etiam elucet ex omnibus, quae de iis traduntur. Abraham ex Chaldaea egressus est, ut a polytheismo melius se custodiret. Quam minimum conversatus est cum incolis terrae Chanaan, quia serviebant diis; inter eos quasi peregrinus moratus est, ne idololatria eorum inficeretur. — d) Quare dii alii designantur „alieni" (iam Gn 35, 2 a Iacob patriarcha) vel „novi recentesque, quos non coluerunt patres eorum" (Dt 32, 17), quia (v. 12) „Dominus (Iahve) solus dux eius (populi Israel) fuit, et non erat cum eo deus alienus". — e) Lingua hebraica, ut notat Baethgen Fr.,[2]) non habet vocem pro „dea"; ex quo sequitur, Israelitas nunquam sicut gentes circumiacentes solitos esse colere deas; 3 Rg 11, 5 pro „dea" occurrit vox „Elohim", sed hoc est nomen masculinum. — f) Prophetae idololatriam non apte vocare potuissent adulterium, nisi Iahve fuisset deus Israelitarum primitivus, legitimus, antiquitus traditus.[3]) — g) Ipse serpens aeneus, cuius aspectus morbos sanaverat, non ab initio, sed tantum temporibus posterioribus, cum populus fere totus ad idololatriam defecisset, superstitiose cultus est. — h) Fr. Hommel[4]) ex nominibus Iacob, Ioseph, Iokebed (matris Mosis) etc ostendit, Israelitas iam ante Mosem Iahve sub

[1]) Ita praeter multos alios censent praesertim *Kuenen A.* (De Godsdienst van Israel; Haarlem 1869 s; I. 216 ss). — *Strauss* (Der alte und der neue Glaube 1872, 100). — *Wellhausen J.* (Skizzen u. Vorarbeiten, 1. Heft, 1884, 10 ss). — *Budde* (Die Religion des Volkes Israel bis zur Verbannung, 1900, 17 ss). — Item *Cornill, Baudissin, Spencer, Tylor* etc. — Secundum *Stade B.* (Geschichte des Volkes Israel. 1887, I, 405 ss) religio primitiva Hebraeorum fuit Totemismus. Item secundum *Smith W. Robertson* (Lectures on the Religion of the Semites, übers. von Stübe, Die Religion der Semiten, 1899, 3, 61, 101). — Secundum *Tiele* (Geschichte der Religion im Altertum, übers. von Gehrich, 1896, I, 290 ss) venerabantur sicut etiam Baylonii potissimum lunam (Sin.) — Secundum *Lippert* (Der Seelenkult in seinen Beziehungen zur althebräischen Religion, 1881, 134 ss) et *Schwally* (Das Leben nach dem Tode nach den Vorstellungen des alten Israel, 1892, 5 ss) fuit cultus animarum seu cultus manium religio primitiva Israelitica. Non aliter multi moderni.

[2]) Beiträge zur Semit. Religionsgeschichte. (Der Gott Israels und die Götter der Heiden, 1888, p. 265).

[3]) Baethgen, p. 163.

[4]) Die altisraelit. Überlieferung in inschriftlicher Beleuchtung, 1897, p. 115.

nominibus Iô, Iah, Iahu veneratos esse et secundum hunc sibi ipsis nomina imposuisse. Idem demonstrat, nomen Iahve non primum a Mose introductum esse, eo minus demum temporibus Iudicum — sicut Rationalistae volunt — quia alioquin non Iahve, sed Iihie sonaret.[1]) Pariter R. Kittel.[2]) — i) Ex nominibus propriis, quae nobis occurrunt in tabulis fictilibus sub ruinis Babylonis etc efossis clare elucet, omnes Semitas, etsi iam partim polytheistas, non servi-isse feticismo etc, sed monotheismo relative puro, praesertim illos, ex quibus Abraham (c. 2100 a. Chr. n.) prodiit. Ex his nominibus, quae plurima sunt theophora seu a diis deducta, ostendit Hommel, tempore iam antiquissimo gentem semiticam Arabiae meridionalis, quae habebat monotheismum longe puriorem quam Babylonii, immo essentialiter purum, in Babyloniam intrasse ibique propriam dynastiam fundasse; ex qua gente ortus est Abraham, qui postea in Chanaan emigravit.[3]) Similiter exponit,[4]) temporibus patriarcharum in Palaestina praevaluisse nomina propria arabica et cum ipsis monotheismum satis purum, postea autem nomina phoenicica et polytheismum, sicut etiam Scriptura docet, demum post patriarchas prorsus in polytheismum incidisse Chananaeos.[5])

112 Nota. *Rationalistae in ipsa Scriptura reliquias antiquae idololatriae, immo Feticismi, Animismi et Totemismi Israelitarum invenire volunt.*[6]) — 1. Cultus quidam religiosus, quo animas defunctorum prosequebantur, e. gr. epula funebria vel usus ponendi cibos super sepulchra. — Resp. Ex hoc non sequitur, religionem Israelitarum anteiahvisticam fuisse cultum animarum et manium. Hi usus partim erant civiles spectantes ad pietatem et honorem naturalem defunctorum, partim prodibant ex opinione superstitiosa, animas has egere his rebus vel posse vivis nocere, quare favor earum donis appetendus esset; quatenus erant religiosi ritus, non respiciebant ad defunctos, sed ad Deum, cum antiqui consuevissent, in omnibus rebus gravissimis Deum vel deos invocare iisque sacrificia offerre. Scriptura nullatenus innuit, Adam, Seth, Noë, Abraham etc a posteris ut numina cultos esse.[7]) — 2. Celebratio religiosa diei Sabbathi et neomeniarum

[1]) l. c. p. 101. — cfr. *Delitzsch Fried.*, Wo lag d. Paradies? 1881, 158 ss.

[2]) Die Religion des Volkes Israel, Leipzig 1921, 26 ss.

[3]) l. c. 56—118. — Cfr. *Dornstetter P.*, Abraham, Studien über die Anfänge des hebräisch. Volkes, 1902. (p. 240—279 enumeratur bibliographia de historia Israel, Aegyptiologia, Assyriologia etc copiosissima).

[4]) l. c. 222 ss.

[5]) Hommel, l. c. p. 86: „Aus den babylon. wie auch den südarabischen Eigennamen tritt uns der Glaube entgegen, daß die Gottheit alles Gute schenkt, daß sie segnet, schützt, errettet, hilft, erlöst; daß sie mächtig ist und in reinem Glanze erstrahlt; sie schafft und erhält alles, ist allwissend und gerecht und erhaben und ein König, mehrt und befiehlt, ist aber dennoch dem, der ihr anbetend naht, gnädig und barmherzig, wie ein Vater seinem Kinde, und erhört die Bitten derer, die zu ihm rufen und in frommer Furcht ihr dienen.“ — P. 201: „Diese Namen riechen absolut nicht nach Fetischismus und Totemismus. Sie sind besonders auch für die auf Abraham folgende Zeit bis in die Moses und noch in die Davids hinein die sichersten Marksteine für die Entwicklung der israelit. Religionsgeschichte.“

[6]) Cfr. *P. Torge*, Seelenglaube und Unsterblichkeitshoffnung im Alten Testam., Leipzig 1909.

[7]) Cfr. *Frey Joh.*, Tod, Seelenglaube und Seelenkult im alten Israel, 1898, pp. 29, 83, 120 ss, 229 ss. — *Grüneisen C.*, Der Ahnenkultus und die Urreligion Israels, 1900. Hic demonstrat cibos et potus mortuis esse datos nonnisi ad placandas animas, ne nocerent etc, et has animas vel spiritus putatos esse non entia superhumana, sed infrahumana;

(cfr. 4, Reg 4, 23; Osee 2, 11 etc). — Resp. Haec festa nihil probant, Hebraeos olim coluisse lunam et planetas sicut Babylonios. Sicut aliae gentes antiquae etiam Hebraei calendarium secundum cursum lunae computabant, quare neomenias seu dies novae lucis lunaris solemnes et eo ipso religiosas habebant seu Jahve sacrificia offerrebant. Cultus lunae vel planetarum apud illos non apparet. Solemnitas Sabbathina Iudaeorum eiusmodi fuit, qualis apud nullum alium populum veterem reperitur; quare institutio positiva divina necessario tenenda est. — 3. Usus quidam, qui praesertim a Shmit W. R. (l. c.) referuntur ad antiquum Totemismum, imprimis a) Nomina quaedam propria ab plantis vel animalibus velut a palma, oliva, camelo, bove, lupo, leone etc deducta. At haec relative paucissima sunt; ex 100 nominibus propriis in testamento vetere inveniendis vix unum ad bestias spectat, cum in Anglia nunc inter 100 nobis plus quam tria occurrant et certe Angli non Totemistae sint. Quatenus haec nomina imponuntur urbibus, nonnisi designant, ibi olim copiosa animalia et plantas eiusdem nominis viguisse; quatenus attribuuntur personis, dumtaxat exprimunt, hos homines quoad qualitates corporis vel animae similes fuisse illis plantis et bestiis, e. gr. pulchros quasi palmas, fortes ut leones etc.[1]) — b) Cultus quidam rerum naturalim, praesertim stellarum, fontium, veneratio imaginis bovis et serpentis aenei in deserto. — Hi cultus non occurrunt apud Abraham etc, sed temporibus posterioribus, et sicut Scriptura clare docet, ab exteris nationibus translati sunt; veneratio bestiarum vivarum nullatenus apparet, sed tantum cultus imaginum earum; nequaquam innuitur, serpentem aeneum in deserto cultu divino adoratum fuisse; vitulus conflatilis seu bos, quem Israelitae in deserto fecerunt et coluerunt, videtur fuisse nonnisi simulacrum Iahve, quia taurus apud Semitas fuit symbolum numinis virilis, et quia (Ex 32, 4—5) populus exclamavit: „Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ägypti", et quia ipse Aaron coram hoc simulacro aedificavit altare dicens: ‚Cras solemnitas Domini (Iahve) est.[2])" — c) Distinctio inter animalia pura et impura. Animalia impura velut sus, quorum carne vesci Hebraei stricte vetiti erant, dicuntur fuisse olim totems seu numina quaedam. — Hoc interdictum fuit medicinale innitens rectae vel saltem putativae opinioni, usum eiusmodi carnis esse noxium; varia animalia putata sunt fortassse ideo impura, quia sunt sordida vel devorant stercora et cadavera vel quia hominem eorum naturaliter taedet. Sacerdotes plerumque erant iidem medici, vel per has leges voluere Israelitas magis arcere a conversatione cum vicinis populis idololatris.[3]) — d) Sacrificia cruenta traduntur fuisse actus religiosi totemistici; non licuit privatim mactare animal totemisticum, sed interdum membra totius tribus convenerunt, celebraverunt festivitatem nationalem occidentes solemni ritu tale animal eiusque carnem in coena communi edentes. — Ridiculum est assevere, deos proprios ad vescendum mactari; Scriptura nihil clarius docet nisi id, quod hostiae loco hominis ad agnoscendum dominium absolutum Iahve placandamque eius iram immolatae sunt. — e) Incisurae quaedam in carne seu incisiones figurarum et stigmatum in cute (taetowieren, tatouer, to tattow), quae interdicuntur Lev 19, 28; 21, 5 etc, feruntur fuisse imagines totemisticae, sicut hodie Indiani Americae sibi imagines suorum totems in pelle inscribunt. — Hae incisiones fuerunt partim usus nonnisi funebrales; praesertim in oriente mos est, ut ad ostendendum dolorem et luctum de morte cognatorum vivi faciem, corpus et vestem deturbent (hic usus secundum auctores quosdam efficere dicitur, ne animae defunctorum vivos cognoscant neve eis noceant); partim fuere oblationes quaedam proprii sanguinis ad animos deorum conciliandos. Quas figuras Israelitae sibi

---

p. 276: „Die Frage, deren Aufhellung wir uns in diesem Buche vorgenommen hatten, ob der Animismus bezw. Ahnenkultus als die Religion des voriahwistischen Israel anzusehen sei, ist mit einem runden N e i n zu beantworten." — Ipse *Schwally* (l. c. 76) fatetur, reges antiquos Hebraeorum se non iam novisse et gessisse ut cultores manium, sed nonnisi ut cultores Iahve, et in toto testamento vetere ne unicum quidem locum inveniri, qui expresse impugnet cultum manium; occurrere ibi nonnisi rudimenta et reliquias eius non iam intellectas. Revera Scriptura saepissime reprehendit cultum Baal etc, sed nequaquam cultum manium.

[1]) Cfr. *Zapletal*, Der Totemismus und die Religion Israels. 1901. 20 ss., 63 ss.
[2]) Zapletal, 49 ss. — *Ed. Koenig*, Gesch. d. alttest. Rel. 1915, 63 ss.
[3]) Zapletal, 81 ss.

inciderint vel inusserint, vix investigari potest; usus superstitiosi ubique terrarum inveniendi certe etiam apud Hebraeos undique a Paganis circumdatos occurrerunt; sed ex hoc non sequitur, Israelitas antiquitus bestias coluisse. Idem dicendum est de daemonibus lemuribusque (lilith etc) quibusdam; nequaquam potest probari, has esse reliquias antiqui Totemismi.[1]) — 4. Nomen Elohim. Resp.: Hoc non probat, Judaeos olim coluisse complures deos, sed dumtaxat est pluralis maiestaticus apud orientales valde usitatus. Hoc nomine designatur saepe etiam deus singularis ethnicorum, e. c. Dagon (1 Reg 5, 7,) Chamos (Jdic 11, 24). Ceterum adiectiva et verba cum nomine Elohim coniuncta, quatenus Elohim significat Deum verum, fere semper adhibentur in numero singulari, non plurali.[2]) — 5. Occurrunt varia nomina propria, quae deducta sunt a Baal et Melech (Milk, Malik, Moloch) diis Chananaeis, e. c. Ierubbaal, Abimelech. Resp.: Haec nomina, etsi apud Israelitas nomina theophora sunt copiosa, immo plurima, inveniuntur raro. Nomina ad Baal spectantia summum septem sunt, prorsus desunt temporibus Abrahae usque ad Iosue. Melchisedech certe coaevus et amicus Abrahae fuit, sed etiam monotheista. Apud Phoenices apparent permulta nomina respicientia ad deos Melkart, Eschmun, Astarte, Baalat, Milkat, apud Hebraeos prorsus desunt. Ceterum Baal significat „dominus", Melech significat „rex", quare haec nomina etiam Deo vero imponi possunt nec necessario designant asseclam Baal vel Moloch. Itaque eiusmodi nomina habent etiam cultores genuini Dei veri vel eorum filii, e. c. Gedeon cognominabatur Ierubbaal (Iudic 6, 32): „Ex illo die vocatus est Gedeon Ierobaal, eo quod dixisset Ioas: ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram eius." Gedeon ergo hoc nomine vocabatur nonnisi eo, quod erat inimicus Baal eiusque aram subverterat. Saul et Ionathan certe Iahve adoravere, attamen filios suos appellabant Eschbaal, Meribaal (cfr. 1. Par 8, 33 s., 9, 39 s), David nominabat filium suum Abimelech = pater meus est rex. Immo 1. Par 12, 5 citatur nomen proprium „Baaliah" = Iahve est baal seu dominus, vel 1. Par. 6, 40 et 9, 12 „Melchiah" = Iahve est melech seu rex. Ceterum eiusmodi nomina mox evanuerunt et ipsis temporibus idololatriae maximae, e. c. sub Achab rege in regno Israel non inveniuntur.[3]) — 6. Teraphim seu idola, quae Rachel (Gn 31, 19) secum tulit ex Mesopotamia, et Michol, uxor David, domi habebat (1. Reg 19, 13). — Resp.: Ex hac superstitione, quam fovebant duae mulieres, non autem earum mariti — econtra expresse scriptum est, Iacob idola detecta sub terra fodisse (Gn 35, 4) — non sequitur, tunc temporis vel antea in Israel passim idola culta esse, sicut ex partiali superstitione aliquorum nostrorum dierum non manat, hodiernos christianos eiusmodi abusui adhaerere. — 7. Ezech. 20, 24 mentio est de idolis patrum et secundum contextum intelligenda esse videntur idola, quae Israelitae in Aegypto venerabantur. — Resp.: Haec idola erant secundum v. 7—8 non idola israelitica, sed aegyptiaca, quae Israelitae in Aegypto viderunt et coluerunt. Ceterum Israelitae ne in Aegypto quidem, etsi per multos annos et undique ab idololatris circumdati, prorsus obliti sunt Iahve sui; nam secundum Ex 1, 17 „timuerunt obstetrices (Hebraeorum) Deum", et apud eos non invenimus nomina propria, quae respiciunt ad deos aegyptiacos velut Osiris, Isis; immo nomina Ioseph, Iokebed sumpta sunt a Iô (Iâ, Iahve), ut vidimus.[4])

113 3. *Monotheismus Israelitarum fuit ab initio monotheismus „ethicus"*, id est Deus existimatus est esse ens personale, a mundo distinctum, bonum, iustum quidem, sed idem benignum, misericors, adiuvans hominem et exaudiens eorum preces, retribuens opera bona praemiis, et opera mala poenis. Id patet ex toto animo literarum eorum, ex historia Abrahae et posterorum eius. Is Deus interdixit non solum moechiam et furtum, sed etiam desiderium alienorum bonorum et mulierum (Ex 20, 14 ss). Idem non potest dici de eo monotheismo, qui plus minusve nobis occurrit etiam apud Paganos;

[1]) Zapletal, 106 ss.
[2]) Cfr. Baethgen, l. c. p. 131 ss.
[3]) Cfr. Baethgen, 140 ss.; Hommel, 303 ss.
[4]) Baethgen, p. 200; cfr. Vigouroux, III, 1, 2.

nam eorum monotheismus, quatenus talis nominari potest, plerumque erat „naturalisticus", id est Deus habitus est quaedam vis et res naturalis velut sol et luna, in quam nulla est relatio personalis, seu filialis, qualis est inter patrem et filium vel saltem inter dominum benignum et servum fidelem.

4. *Hic monotheismus erat „purus"*, id est: *Deus Israelitarum* **114** (El, Elohim, Iahve) *non toleravit iuxta se alios deos* sive superiores sive pares sive inferiores. Dicit de se ipso (Ex 20, 3—5: „Non habebis deos alienos coram me; non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem, quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles, ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes." Et 34, 12 ss: „Cave ne unquam cum habitatoribus terrae illius iungas amicitias, quae sint tibi in ruinam. Sed aras eorum destrue, confringe statuas lucosque succide. Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, Deus est aemulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne, cum fornicati fuerint cum diis suis et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas in immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsae fuerint fornicatae, fornicari faciant et filios tuos in deos suos." Veneratio ergo aliorum deorum strictissime prohibetur ut „fornicatio". Talia nunquam legimus in literis sacris Aegyptiorum, Babyloniorum etc. Nota bene, Deum per Mosem ad populum sic locutum esse in deserto ante introitum in terram Chanaan. Immo iam Abraham eiusmodi fidei fuit et praxis; nam statuit, ut Isaac filius suus in matrimonium duceret uxorem non ex Chananaeis idololatria infectis, inter quos habitabat, sed ex cognatione sua chaldaica, quae erat monotheistica (Gn 24); pariter Isaac idem praecepit filio suo Iacob (28, 1 ss), contristatus est autem valde cum uxore sua Rebecca, quia filius suus Esau uxores Hethaeas duxit (26, 34 s; 27, 46). Hic Deus postulavit, ut non solum principes et sacerdotes, sed etiam totus populus, nullo excepto, se solum adorarent et omnes alios deos detestarentur. Immo etiam advenae et peregrini sabbatum ut diem Domini Dei Israel observare debuerunt (Ex 20, 10). Hic Deus ergo toto caelo superavit deum summum Paganorum, quia non sicut hi alios deos, etsi minores, iuxta se sinebat.

5. *Deus, quem Israel colebat, non fuit deus mere nationalis seu* **115** *populi Israel, sed Deus universalis, creator et dominus caeli et terrae.* Hoc elucet ex primis capitibus Genesis, ubi creatio caeli, et terrae cum hominibus describitur. Cum homines facti essent „caro" (Gn 6, 3), delevit Deus „omnem substantiam", quam fecerit, diluvio (c. 6 ss). Ex hoc quoque sequitur, Deum existimatum esse ut deum et dominum omnis terrae, omnium hominum et populorum. Etiam post diluvium unus solus Deus nominatur, quamquam cap. 10 multae linguae, familiae et nationes enumerantur. Hic Deus confudit linguam hominum et divisit eos in universas terras (Gn 11, 1 ss). Idem

promisit, se esse benedicturum in semine Abrahae omnes nationes terrae (Gn 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4). Deus ille, qui locutus est cum Abraham, et qui dicitur „Deus Abrahae, Deus Isaac et Deus Iacob" (Ex 3, 6), quo tempore populus Israel adhuc in Aegypto morabatur, creditus est ut Deus et dominus caeli et terrae. Etiam cum Deus in monte Sinai populo Israel decalogum cum die Sabbati praescriberet, addidit (Ex 20, 11): „Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia, quae in eis sunt" et professus est se sic ut Deum totius orbis terrarum. — Praesertim nomen Iahve (Iahu, Iaho) exprimit, Deum Israelitarum esse Deum universae terrae, Deum κ. ε. Hoc nomen Mosi a Deo ipso revelatum est idque iam ante exitum populi ex Aegypto. Cum enim Moses, cui pascenti oves in deserto Deus apparens mandatum educendi populum ex Aegypto dedisset, interrogaret (Ex 3, 13 s): „Si dixerint mihi: Quod est nomen eius, quid dicam eis, dixit Deus ad Mosen: Ego sum qui sum; ait: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos." Eiusmodi nomen sublime Dei apud nullam aliam nationem, nedum temporibus tam antiquis, id est saeculo 15. a. Chr. n. habetur. Concedi potest, non omnes Israelitas, ne omnes sacerdotes et principes quidem, praesertim iam temporibus Mosis sibi conscios fuisse, Deum suum esse Deum universalem, Deum κ. ε.; absque dubio haec veritas magis elucet ex praedicatione et scriptis prophetarum posteriorum. Sed certe iam libri Genesis, Exodus etc hoc clare docent, et certe iam sub Mose cognoscere poterant et cognoscebant Deum suum plus esse quam deos Aegyptiorum etc, potestatem, maiestatem, iustitiam etc ostendere, quam nullus deus gentium aliarum ostendit; idea Dei Israelitici ab initio fuit idea Dei unici et universalis; paulatim magis exculta est, sicut apparet ex psalmis et libris propheticis, eo fortius ex Novo Testamento. Praesertim apud prophetas Deus apparet ut dominus omnium populorum, qui omnes dirigit secundum beneplacitum. Iam apud Amos, qui dicitur esse primus propheta, qui prophetias scripsit, legimus (9, 7): „Numquid non ut filii Aethiopum vos estis mihi filii Israel, ait Dominus (Iahve)? Numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, et Palaestinos (Philistaeos) de Cappadocia (Kaphtor, Creta? Cyprus?), et Syros (Aram, Aramaei) de Cyrene?" (Kir, Caucasus? Media?). Cyrus rex Persarum nominatur „Christus" Is 45, 1: „Haec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiciam ante faciem eius gentes" etc. „Suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum" etc (2 Par 36, 22).

116 6. *Deus et monotheismus et cultus populi Israel est unicus sui generis, non habens similem inter omnes populos antiquos.*

a) *Deus est persona praecise circumscripta, non confundenda cum aliis diis.* Dei aliorum populorum sunt vires et res naturales (sol, luna, fulgur etc); quare essentialiter idem sunt apud diversos populos, sicut hae vires et res ubique terrarum idem sunt. Ideo alii in alios transeunt plus minusve et inter se confundi possunt. Sed

Iahve nullatenus confundendus est cum Amon, Marduc, Baal, Iove etc.

b) *Nam omnes hi dii summi facti sunt summi et quodam modo unus Deus ex speculatione philosophica de natura rerum eiusque viribus.* Sicut hae efficiunt unum corpus, unum mundum et universum, cuius partes res singulae sunt, sic summus Deus quasi omnes deos in se comprehendit, vel sicut sol lunam omnesque stellas superat. Iahve autem nunquam ut sol, nunquam ut totus mundus, sed ut eorum dominus et creator, ut immense eos transcendens putatus est.

c) Vel apud Paganos aliquis deus localis, deus alicuius civitatis, ad deum summum vel unicum elevatus est, *quia civitas huic deo sacra alias civitates sibi subiecit et sic potestatem sui dei ostendit.* Immo ex rationibus politicis interdum reges velut fortasse Amenophis IV. (circa finem saeculi 15. a. Chr. n.) rex Aegypti monotheismum quendam introduxerunt probandi causa, suum deum summum Amon eundem esse cum diis populorum a se victorum, ut populi hi libentius se submitterent.[1]) In Israel nullus rex eiusmodi fecit, immo non raro principes, reges, etiam sacerdotes Iahve reliquerunt et alienis diis servierunt.

d) *Summi dii Gentium iuxta se tranquille alios deos minores* **117** *toleravere,* sicut sol lunam et stellas non perturbat; nam hi dii, summi et inferiores, nihil aliud erant nisi stellae aliaeque res et vires naturales deificatae; hae res et vires autem per saecula pacifice perdurant. Sed Iahve nullum alium deum iuxta se toleravit, immo imperavit, ut Israelitae omnes alienos deos tollerent, eorum imagines et sacra delerent; sub poena gravissima iussit Chananaeos victos occidi, ne Israelitae ipsi eorum superstitione inficerentur. Talia apud nullum alium populum legimus.

e) *Dei Gentium,* quia erant res et vires naturales deificatae, *fingebantur ut imagines vel colebantur ut plantae et animalia,* quae repraesentabant. *In Israel autem strictissime interdictum fuit facere et colere imagines,* quia Iahve non erat res vel vis naturalis personificata; animalia colere abominatio iudicata est.

f) *Iahve* etsi, id quod nemo negat, persona singularis erat; nominabatur idem *Elohim, ergo in forma plurali.* Simile legimus de nullo deo Paganorum, quamquam permulti erant, dii et deae, sicut res naturales permultae sunt, masculi et feminae. Iahve, El, Elohim nunquam ut femina putata est. Nomen Elohim significare videtur, Deum Israelitarum omnia ea valere et efficere, quae valent et efficiunt innumerabiles dii Gentium.

g) Non ignoramus etiam Paganos deos suos coluisse ut personas, quae sunt bonae, benignae, misericordes, iustae, liberales, preces exaudiunt, hominibus succurrunt, actus bonos remunerant, actus malos mulctant, et eatenus cultum eorum esse ethicum. *At*

[1]) Cfr. *A. Erman,* Die Kultur der Gegenwart v. P. Hinneberg Berl. 1906, I/III 33 f.

in his omnibus nullatenus aequant Iahve (El). Iam Abrahae dixit (Gn 17, 1): „Ambula coram me et esto perfectus." Pariter postea: „Sancti estote, quia ego sanctus sum" (Lv 11, 44; 19, 2). Hic sanctus Deus postulat quidem, ut omnes caeremoniae et sacrificia praescripta, personae offerentes earumque dona sint integra et munda, sicut lex praecipiebat, sed haec mundities, sanctitas et iustitia legalis non sufficit sine munditia cordis; Deus postulat non tam sacrificia externa quam oboedientiam, humilitatem, amorem practicum in proximum. Iam ad Saul, primum regem populi, locutus est Samuel (1 Sm 15, 22): „Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut oboediatur voci Domini? Melior est enim oboedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum."

118 h) *Cultus polytheistici consentiebant cum inclinationibus et desideriis ethicis et religiosis vulgi*, quia concedebant imagines, usus et ritus magicos, superstitiosos, immo obscoenos et impudicos. Quare Gentes nunquam a diis proprie defecerunt; non raro quidem adhaerebant aliis, etiam alienis, sed manserunt in his polytheistae. *In Israel autem vulgus usque ad tempora exilii babylonici nunquam ex corde intimo Iahve suo adhaerebat*, sed magis in opere externo, quia timebant gravia iudicia Dei vel poenas temporales a lege minatas; qua de re non raro a Iahve apostatabat et deos populorum finitimorum colebat, qui cultus concupiscentiis carnalibus indulgebat.

i) Sicut apud omnes antiquos populos, sic etiam in Israel religio inseparabiliter cum re publica coniuncta erat. Sed apud Gentes res publica religionem prorsus absorbebat; rex vicem gerebat deorum, cultu religioso affectus est, non raro inter ipsos deos numeratus est. Non tantopere in Israel. *Iahve ipse rex esse voluit.* Cum populus Samueli diceret, „constitue nobis regem . . . sicut et universae habent nationes, displicuit sermo in oculis Samuelis . . . Dixit autem Dominus ad Samuelem . . .: non te abiecerunt, sed me, ut regnem super eos" (1 Rg 8, 5 ss). Iahve vituperavit et graviter mulctavit etiam regum peccata, misit ad eos prophetas, ut eis peccata obicerent et iudicia Dei, immo reprobationem et mortem minitarentur, velut Samuelem ad Saul, Nathan ad David, Eliam ad Achab et Ochoziam (cfr. 1 Sm 13, 13 ss; 2 Sm 12, 1 ss; 3 Rg 18; 4 Rg 1, 3 ss). Eiusmodi apud reges Aegyptiorum, Babyloniorum etc omnino impossibile fuisset. Apud hos omnesque alios populos paganos invenimus quidem vates, hariolos, auspices etc, sed non prophetas, qui iustitiam et voluntatem Dei etiam coram regibus et principibus publice et fortiter praedicabant, etsi non solum eis, sed etiam vulgo displicebant, calumnias, labores, immo mortem pati debebant. Talem animum dii dare non poterant, quia erant vires naturales personificatae, non verae personae, quae vivebant, sed Iahve erat „Deus fortis vivus" (Ps 41, 3); erat revera Iahve = qui est, qui aderat et operabatur.

k) *Religio Israel* unica sui generis est, quia *fundata et conservata est per personas* easque tales, quae animo religioso, pietate, fide, fiducia et fidelitate in Deum longe superabant vulgus; erant personae extraordinariae, seipsas sentiebant et designabant ut instrumenta, immo nuntios Dei, qui per eos se revelabat, agebat, voluntatem suam pronuntiabat. Iam Abraham, pater populi, talis persona fuit, pariter Isaac, Iacob, Ioseph, postea Moses, Samuel, Elias, Elisaeus ceterique prophetae. Se esse Dei organa et nuntios, probaverunt extraordinariis signis, praesertim Moses, Elias et Elisaeus. Omnia haec apud Aegyptios, Babylonios etc non occurrunt. Eorum dii fuerunt figmenta mentis humanae, non fuerunt vivi, quare non poterant se revelare, mittere nuntios suos, evocare personas extraordinarias et per eas operari. Literae Babyloniorum etc dicunt quidem deos se revelasse, sed non probant hoc revera factum esse, sicut manifesto videmus in Israel.

l) *Israel fuit populus electionis, a Deo ex omnibus nationibus* **119** *electus*. Cum eo pepigit foedus speciale, designavit ei terram, in qua habitaret et se custodiret a commercio cum aliis populis. Iam de Abraham legimus (Gn 12, 1 ss): „Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam et benedicam tibi et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi atque in te benedicentur universae cognationes terrae." Ubi legimus similia de aliis gentibus? Ubi audimus talia, qualia de Mose scripta sunt? Has non esse fictiones, probant eventus. Abraham revera in magnum populum factus est; in eo, in monotheismo Israelitico, in Iesu Christo ab eo oriundo revera universae nationes benedictae sunt. Per Mosen hoc foedus cum toto populo sub signis extraordinariis et miraculis inauditis pactum est. Hoc foedus utrimque, a parte Dei et a parte Israel, liberum fuit, quasi foedus matrimoniale. Quare Israel sponsa et coniux Dei vocatur, et apostasia a Iahve ad deos alienos fornicatio et moechia designata est (cfr. Ir 3, 1 ss; 13, 27; Ez 16, 8 ss; Os capp. 1, 2, 3, 4, 5, 7, 9).

m) *Relatio Israel ad Deum* ex his rationibus *fuit personalis et filialis modo extraordinario, qualis non erat apud Gentes ad deos suos*. Ubi apud Babylonios, Aegyptios, Indos, Graecos, Romanos etc inveniuntur verba, affectus, desideria velut Ps 41, 2 ss: „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima ad Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? Haec recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. In voce exultationis et confessionis, sonus epulantis. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confite-

bor illi salutare vultus mei, et Deus meus." De fide et spe in Deum mentio est etiam in libris Paganorum, sed agitur de bonis temporalibus dandis, non de fide, spe, amore, affectu, desiderio, unione cordium, qualis est filii in parentes, sponsae in sponsum; de exultatione, gaudio, delectatione cordis, soli libri sacri Israelitarum loquuntur (cfr. Ps 31, 7; 32, 1 s; 41, 5; 44, 16; 46, 2; 62, 6; 99, 2; 131, 16 etc).

n) *Religio israelitica praecellit religionibus paganis etiam eo, quod multum commendat caritatem in proximum*, misericordiam, patientiam, curam in infirmos, viduas, orphanos, pauperes, clementiam in servos, etiam in peregrinos, immo in animalia. Quod elucet ex multis locis psalmorum, prophetarum, praesertim ex libro Tobiae et libris sapientialibus. Odium et persecutio inimicorum, de quo saepius mentio est, spectat inimicos, paganos etc, quatenus sunt inimici veri Dei, idololatrae, quorum conversatio vitanda erat, quia periculosa religioni jahvisticae.[1])

120 7. *Ex rationibus naturalibus nequit probari, quomodo Israelitae iique soli ex omnibus Semitis, immo ex cunctis populis, receperint et retinuerint purum monotheismum.* — Inepti sunt conatus et studia Rationalistarum. Ponamus hic expositionem, quam Pfleiderer[2]) habet, praesertim cum permulti item vel similiter censeant. Reiicit opinionem, quam protulit Renan, scil. Semitas instinctu monotheistico esse praeditos, admittit nonnisi instinctum quendam henotheisticum, id est: Semitae, qui non tam phantastica vel poëtica indole quam Indogermani, sed indole potius practica et ethica erant, minus totam naturam, sed potissimum stellas colebant; habebant ergo pauciores deos quam illi; praeterea tenebant strictam absolutam monarchiam politicam et regibus suis omnimoda submissione oboediebant. Ex hac naturali praedispositione et ex eo, quod inter stellas sol vel luna quasi unica et singularis est, singulae gentes vel tribus inter alios deos inferiores unum deum summum quasi dominum ceterorum deorum, deum gentis *κ. ε.* habebant, scil. Babylonii Bel, Assyrii Assur, Moabitae Chamos, Chananaei Baal, Philistaei Dagon, Arabes Allah etc et Israelitae Iahve. Iahve fuit primo nihil nisi deus tempestatum terribilis, deus deserti arabici, qui super Sinai sedebat, deus belli (dominus exercituum seu spirituum seu virium naturalium). Quia ex invocatione Iahve seu ex oraculo ab eo edito Israelitae de Aegyptiis aliisque hostibus triumphum reportaverant, in dies crescebat auctoritas et cultus eius, et Israelitae ex motivis nationalibus et politicis, ex amore patriae et ex odio contra populos finitimos paulatim ei soli adhaerebant ita, ut denique fieret deus unus Israeliticus, ille Deus, qui, sicut Scriptura solet dicere, populum

[1]) Cfr. *Joh. Nikel*, Das Alte Testament und die Nächstenliebe, Münster 1913. — *Joh. Döller*, Das Weib im Alten Testament, Münster 1920.

[2]) Religionsphilosophie, ed. 1, 1878, p. 356 ss, 565 ss: ed. 2, t. II, 1884, p. 118 ss; editio 3, 1896, p. 46 ss aliquatenus quidem differt a prima et secunda, sed essentialiter idem dicit.

ex Aegypto eduxit. At Iahve adhuc erat nonnisi Deus nationalis Israel, non Deus universae terrae seu Deus κ. ε. Quia is erat in praxi unus Deus, sensim etiam in theoria factus est unus Deus seu Deus universalis; ex praedispositione ethica et religiosa Israelitarum debuit Iahve seu Deus unus nationalis necessario fieri Deus κ. ε. Ad hanc transmutationem idearum religiosarum plurimum valuere singuli viri amore patriae, ingenio, eloquentia, verbo et opere maxime eximii, praesertim Moses et ceteri prophetae. Hi erant primo communes vates vel sortilegi; postea sub primis regibus fiebant scholae prophetarum quasi oracula nationalia; denique saeculo 8., postquam cursu temporis ex indole naturali Israelitarum cultus Iahvisticus mitior et sublimor et intimior factus est, prophetae apparebant ut doctores populi vel organa ingenii pure ethici et religiosi, qui genuinum monotheismum et religionem veram etiam inter plebem adhuc idololatram atque superstitiosam continuo propagabant. Postremo temporibus post exilium Babylonicum scripta priorum prophetarum ob auctoritatem suam putata sunt divinitus inspirata. — Haec theoria est prorsus insufficiens. Pfleiderer bene facit (ed. 1. pag. 358) addens, problema, quomodo Hebraei ex polytheistica 121
veneratione naturae postea ad tam sublimen religionem se evexerint, difficile esse ad exponendum neque unquam omnino solvi posse. Nam a) Non satis declaratur, Semitas revera magis quam alios naturaliter instructos fuisse ad monotheismum universalem excolendum. Pfleiderer ipse concedit, Semitas a cogitatione speculativa, unum dumtaxat Deum totius mundi esse posse, magis alienos fuisse quam Indogermanos,[1]) immo prorsus alienos. Porro nullatenus probari potest, Semitas vel Israelitas ethica dispositione naturali inter alios homines florere. Babylonii, Phoenices etc non minus quam alii, fortasse magis quam Indi, Romani, Persae, Germani etc, vitiis immersi erant, Iudaei praesertim duris cordibus erant, non raro a monotheismo defecerunt, sicut Scriptura saepissime eis obiicit.[2]) b) Etiam apud Indogermanos etc fere omnes gentes habent deum

[1]) „Nur in diesem praktischen Sinn des ausschließlichen Sondergottes der Einzelvölker läßt sich von einem ‚monotheistischen Instinkt der Semiten' reden; dagegen keineswegs im theoretischen Sinn einer Erkenntnis des Einen allgemeinen Weltgottes; von dem theoretischen Gedanken der göttlichen Einheit, der ja von dem seiner Allgemeinheit unzertrennlich ist, waren vielmehr die Semiten ursprünglich sogar viel weiter entfernt als die Indogermanen; denn von der monistisch-spekulativen Gottesidee der letztern finden wir bei jenen nie und nirgends eine Spur." (Ed. 1, 360; ed. 2, II, 120) — Similiter *Chamberlain H. S.* (Die Grundlagen des 19. Jahrhunderts, 1899, I, 224, 391, 220); putat et ipse Hebraeos olim fuisse polytheistas, sed putat Semitas esse absque omni metaphysico motu et indole philosophica, et Iudaeorum religiosas indigentias esse valde tenues et mancas.

[2]) *Budde* (l. c.) censet, religionem Israelitarum ideo factam esse ethicam, quia Iahve, qui antea erat Deus Kenitarum, gentis ad Sinai sitae, cui adhaerebat Iethro, socer Mosis, libere in Deum assumpserint et retinuerint. At saepissime homines vel populi sua sponte recipiunt aliam religionem neque eo ipse magis ethici fiunt. Quaestio manet eadem: quare hic cultus Kenitarum Iahvisticus animos inclinavit ad ideas ethicas? quare solos Israelitas, non alias gentes in deserto arabico ad Sinai inhabitantes?

summum quendam sibi proprium, item non raro forman regiminis stricte monarchicam, attamen mansere polytheistae. — c) Nequaquam demonstratur, quare inter Semitas soli Hebraei seu posteri Abrahae, et Israelitae seu filii Israel (Iacobi), facti sint et manserint monotheistae. Quare non Assyrii, Babylonii aliique Semitae circumiacentes? Nonne Abraham iussu Dei ex Chaldaea a Semitis inhabitata, ubi in ipsam suam familiam idololatria ingressa erat, exire debuit, ut ab hac abominatione custodiretur? (Gn 12, 1 ss). Cur Moabitae et Ammonitae, quorum pater Lot, cognatus Abrahae, erat, non monotheismum secuti sunt? Quare non Ismaelitae, Madianitae aliaeque gentes deserti arabici, quae et ipsae ab Abraha ortae sunt? Quare uni Israelitae seu filii Iacobi unum Deum coluere, quare non Edomitae, filii Esavi, fratris Iacobi? Nonne idololatria familiam Iacobi intrare studuit? Nonne Rachel, uxor Iacobi, descendens a Laban, patre suo et propinquo Abrahae, furata est idola patris sui adducenda secum in Palaestinam (Gn 31, 19)? Nonne populus Israel semper valde inclinavit ad recipiendos cultus turpes gentium finitimarum? Cur Deus continuo Israelitas fame, bello etc castigare debuit, ut revocaret eos ad religionem veram? Qua de re in omnibus his solus populus Israel venerationem Dei unius conservavit? Responsionem aptam Pfleiderer dare nequit, immo ipse fatetur, semper magnum periculum fuisse, ne Hebraei ad cultus vicinos omnino deficerent. Responsionem unice sufficientem edit B. M. V. in iubilo cordis exaltabunda exclamans: „Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiae suae, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula“ (Lc 1, 54). — d) Quare non Moabitae, Ammonitae aliaeve gentes circa Sinai in deserto arabico habitantes monotheismum suscepere?[1]) — e) Israelitae terram Chanaan ingressi per pauca saecula caruere regimine uniformi, sed singulis 12 tribubus praeerant propria capita,[2]) non raro fuit lis inter has tribus: quare singulae tribus non statuere sibi deos sibi speciales sicut Philistaei etc? quare omnes unum et eundem Iahve retinuere? — f) Populi minores a fortioribus circumdati et impugnati ab his solent vinci et cum eis commisceri: quam ob rem parvus Israel, etsi per multa saecula oppugnatus ab potentibus Aegyptiis, Babyloniis, Persis etc autonomiam politicam custodivit? — g) Gradus altior cultus civilitatisque consuevit absorbere gradum humiliorem; cultura Aegyptiorum et Babyloniorum valde superavit hebraicam; qua ratione non poterat eam submovere et eo ipso religionem Iahve tollere, etsi Israelitae diu in Aegypto et Babylonia versabantur? Immo Chananaei ab Israelitis ingredientibus absorpti

[1]) Id concedit ipse *Pfleiderer* (l. c. ed. 3. p. 48), *Wellhausen* (l. c. 12 s) addens, propter ipsam religionem Israelitas nunquam venisse ad rempublicam firmam excultamque.

[2]) De eorum polytheismo cfr. *Ed. König*, Gesch. d. alttest. Rel. 1915, 120 ss.

sunt, etsi humanitate longe superiore gaudebant.[1]) — h) Non licet serio comparare Mosen ceterosque prophetas cum hariolis aliarum gentium; nonne patravere miracula genuina, nonne vaticinia eorum etiam post multa saecula eventu probata sunt? Ipse Pfleiderer cogitur confiteri (ed. 1, 567), nusquam in historia inveniri analogiam directam ad illam prophetiam hebraicam, qualis erat ab saeculo 8. — i) Tota theoria rationalistica nititur modernis hypercriticis hypothesibus quoad libros et historiam veteris testamenti; sed eas carere basi solida, ostendit fusius introductio in hos libros.[2])

8. *Falsum est, religionem Israeliticam oriri a religione Babylonis*, fere nihil aliud esse nisi eius imitationem[3]) immo hanc perfectiorem vel saltem parem esse illi. Certe Babylonia gavisa est maiore humanitate, cultu, civilitate quam Israel; religio eius dici potest etiam antiquior, et absque dubio variae similitudines inveniuntur, sed ex hoc nondum sequitur, religionem Babylonicam esse fontem religionis Israel; eo minus sequitur, esse huic parem, eiusdem, immo maioris perfectionis et dignitatis. 122

a) Absque dubio Babylon iam multo ante Abraham valde floruit, fuit civitas et regnum perpotens, cuius dominium, lingua, artes, literae usque ad Asiam Minorem, Syriam, Arabiam, Chanaan, immo Aegyptum, se diffuderunt, ita ut reges Aegypti in literis suis cum civitatibus exteris lingua babylonica uterentur. Id luculenter patet ex literis in Tell-el Amarna detectis, et ex legislatione regis Hammurapi ex temporibus Abrahae (cfr. n. 108).[4]) *Sed ex hoc non sequitur etiam eius religionem praestare ceteris.* Polytheistae, Atheistae etc artibus, literis etc longe superare possunt et non raro superant Monotheistas, immo Christianos; verumtamen Monotheismus non tantum melior, sed solus verus est. Nemo negat Graecos quoad artes liberales multo anteponendos esse Israelitis, sed non quoad religionem et cultum Dei.

b) Certe literae sacrae Babylonis, quae scriptae sunt partim ante annum 2000, multo antiquiores sunt quam Pentateuchus a Mose compositus. Sed omnes concedunt eum hausisse ex traditio-

---

[1]) Id concedit etiam *R. Kittel*, etsi moderno hypercriticismo non paulum indulget (Die alttest. Wissenschaft etc. 178).

[2]) Ipse *Schwally* (l. c. 75) concedit, religionem Iahvisticam ab initio praetendisse, se esse unicam neque ullam praeter ipsam esse admittendam; et illam tam cito et tam fortiter se extendisse, ut eo tempore, quo Israel in historiam ingrediebatur, religionem naturae animisticam principialiter iam superavisset: „Die Iahvereligion trat indessen von vornherein mit dem Anspruche alleiniger Berechtigung auf. Und sie griff so rasch und nachdrücklich um sich, daß in der Zeit, als Israel in die Geschichte eintritt, die animistische Naturreligion im Prinzip bereits überwunden ist."

[3]) Cfr. *Friedr. Delitzsch*, Babel und Bibel. Erster Vortrag ed. 5. Leipzig 1905. — Die große Täuschung, Stuttgart 1920. Contra eum *Ed. König*, Moderne Vergewaltigung des Alten Testamentes. Bonn 1921. — *Joh. Theis*, Friedr. Delitzsch und seine „Große Täuschung." Trier 1921.

[4]) Cfr. *S. Landersdorfer*, Die Kultur der Babylonier und Assyrier, München[3] 1918. — *A. Jeremias*, Das Alte Testament etc.

nibus antiquissimis, quae non solum oretenus, sed etiam in scriptis exstitisse videntur (Denz. n 1999). His traditionibus etiam Babylonii niti videntur. Absque dubio religio eorum qua polytheismus antiquior est quam monotheismus Abrahae et Mosis; *sed de monotheismo babylonico vix serio mentio esse potest; nedum de monotheismo et religione perfectiore.*

c) Concedere etiam possumus Mosen etc aliquas leges, ritus sacros, modum sacrificandi, artem fabricandi arcam foederis et postea templum, sumpsisse a Babylone. Non obstat, quod secundum Scripturam Deus ipse Mosi etc sic dictavit; nam Moses, Salomon etc cognoverunt hanc esse voluntatem Dei, et Deus media humana, quatenus praesto et utilia sunt, adhibere solet. Sed *negamus ex his aliisque factis sequi, cultum babylonicum esse proprium fontem cultus israelitici.* Absque dubio „Nebo" est nomen dei babylonici et montis, in quo Moses mortuus et sepultus est. Forsitan nomen „Sinai" cohaereat cum „Sin" (luna), deo, qui praesertim in Ur et Harran, unde Abraham profectus est, colebatur. At ex hoc non derivandum est, Israelitas olim Sin et Nebo adorasse. Hi montes ita nominari potuere iam multo ante Mosen et Abraham; et si revera in iis olim Sin et Nebo colebantur, nondum sequitur, etiam Abraham, Mosen etc id fecisse, vel monotheismum Israelitarum oriri ex Babylone.

123 d) *Monotheismus Babylonis, quatenus de facto exstitit, prorsus alius fuit atque monotheismus Abrahae et Mosis, nedum prophetarum posteriorum.* Hic nixus est revelatione positiva; et antiquitus traditus erat ut revelatus, et revelatione divina continua magis excultus est. Ille potius fuit monotheismus syncretisticus, ex speculatione philosophica et rationibus politicis ortus est, et eo ipso viguit potius in theoria vel in scriptis et decretis quam in praxi, vel apud doctos et sacerdotes et principes, non apud vulgum. Sub rege Hammurapi urbs Babylon, cuius deus specialis erat Marduc, hegemoniam super totam Babyloniam adepta est; haec victoria deo Marduc adscripta est, et ut deus potentissimus, summus, immo unicus, ut dominus totius mundi celebratus est, ut urbes et gentes subiectae facilius et libentius regno babylonico se submitterent. Marduc fuit sol personificatus et deificatus; sol autem stella summa est, in totum mundum influit; ab eo praeprimis aetates anni, ver, hiems etc, calor et frigus, fruges terrae etc dependent; quare valde congruum erat adorare eum ut deum summum et unicum, cum totus cultus Babyloniae esset cultus stellarum et astronomia valde floreret et magni aestimaretur. Sed sub aliis regibus et temporibus Sin (luna) vel Ischthar (venus) et etiam Nebo eundem honorem nancti sunt.[1]) Marduc, Sin etc, quamquam ut summus vel unicus deus declarati sunt, quiete alios deos iuxta se toleraverunt. Hi dii erant stellae, res et vires naturales deificatae, ideo etiam cultus fuit et mansit natura-

[1]) Cfr. *A. Jeremias*, Monotheist. Strömungen innerhalb der babylon. Religion. Leipzig 1904.

listicus (cosmicus, solaris etc), sicut stellae et hae res ipsae. Considerati et invocati sunt quidem ut personae; sed si preces non exaudiebant, ad hoc per magicas artes coacti sunt, non aliter atque dii Paganorum. Quare eorum cultus non fuit ethicus vel saltem non pure ethicus, sicut supra (n. 113) ostendimus de Iahve (El). Quod apparet praesertim ex eo, quod

e) *In Babel* astrologia dominata est supra omnia. *Non* 124
proprie dii, sed astra, stellae, quae personificatae erant, regebant res politicas, civiles et privatas. Imagines solis et lunae crebro inveniuntur; quia erant symbola deorum, simul cum diis fingebantur. *In Israel* stricte interdictum fuit facere sculptile vel „omnem similitudinem quae est in caelo desuper" (Ex 20, 4). *Non stellae, sed Iahve ipse credebatur regere res terrestres et sortes hominum.* Etiam Israelitae observabant stellas, celebrabant diem septimum (Sabbatum) et neomenias, sed his diebus adorabant Iahve, non solem, lunam etc. Eatenus cultus Iahve diametraliter distat a cultu Marduc etc, et pure ethicus est, non naturalisticus.[1])

f) *In Babylon rex quasi deus fuit*, scil. is deus, quem ipse cole- 125
bat, praedicabat et ad colendum praescribebat. Quare cultus huius dei (Marduc etc) crevit et decrevit cum hoc aut illo rege; cum alia dynastia alius deus ut summus et unicus, qui solus omni fiducia gaudebat, elevatus est, velut Nebo a rege Asurbanipal.[2]) In Israel David, loco Sauli rex factus, eundem Iahve ut Saul coluit, immo plus coluit in gratiarum actionem pro possessione regni. Hic Iahve fuit, qui Ahiam prophetam ad Ieroboam misit, et ei dixit: „Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis et dabo tibi decem tribus" (3 Rg 11, 31), etsi Salomon aedificaverat Iahve praeclarum templum. Nam *in Israel Iahve isque solus proprius rex et dominus invisibilis fuit*, qui regem visibilem constituit secundum beneplacitum, reges impios deposuit aliosque instituit; nuntii Iahve erant prophetae, non reges, ne sacerdotes quidem, qui in aula regum morabantur; prophetae in Babel desunt.

g) Absque dubio id quod Genesis refert de *creatione mundi*, 126
similitudinem quandam habet cum eo, quod libri sacri Babyloniorum tradunt. Sed haec similitudo potius est quoad verba, ideae autem et res prorsus aliae sunt. Genesis solemniter incipit: „In principio creavit Deus caelum et terram;" „et creavit Deus hominem ad imaginem suam, . . . benedixitque illi Deus et ait: Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam;" „viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona." (Gn 1, 1, 27 s. 31.) *Secundum Babylonios autem Deus non creavit mundum, sed mundus ortus est ex chaos primitivo*, et se evolvit per varias formas ad mundum nostrum; non mundum ipsum, sed mundum, qualis nunc est,

[1]) Cfr. *Fr. Wilke*, Die astralmytholog. Weltanschauung und das Alte Testament 1907.

[2]) Cfr. *Jeremias*, Monotheist. Strömungen etc 28 ss.

formavit Marduc, idque ex chaos iam praeexistente. Ortus mundi nititur ergo ideis materialisticis, darwinisticis, evolutionisticis. Dii produxerunt homines, non ut dominarentur in terram, sed ut aedificarent sibi templa pulchra, in quibus commode habitarent. *Homines ergo a diis facti sunt, ut dii ipsi perficerentur.* Haec theoria non iam theistica, nedum monotheistica, sed potius materialistica et pantheistica dicenda est.

127 h) *Non aliter res se habet quoad diluvium.* Similitudo concernit ipsa verba aliqua. At ideae toto caelo distant. Secundum Gn 6—8 misit Deus diluvium, ut castigaret homines sceleratos, et misertus est iusti Noë; per hoc extraordinarium iudicium super totum humanum genus ostendere voluit posteris, quantum malum sit peccatum. Secundum mythologiam babylonicam autem dei ad arbitrium et ex mera libidine diluvium produxerunt, et in hoc consilio uni alios deceperunt et dolo ceperunt; immo postea ex timore aquarum multarum se gesserunt ut pueri timidi, et postea sacrificium a Noë oblatum avide degustaverunt.[1])

i) *Preces quaedam poëticae* („psalmi poenitentiales") babylonicae antiquissimae dicuntur esse fontes et exemplaria psalmorum poenitentialium biblicorum. — Absque dubio haec poëmata lamentantur de peccatis vel rectius de eorum sequelis et orant liberationem. *Sed agitur solummodo de redemptione a laboribus, morbis et a morte, non de cognitione peccatorum, contritione et propositis et emendatione animi.*[2])

128 k) *Observatio quaedam diei septimi* vel Sabbati etiam in Babel invenitur. At aliter in Israel. Dies Sabbati est hic dies laetitiae, laetitiae in Deo, cui specialia sacrificia offeruntur, dies gratiarum actionis pro creatione mundi per septem dies et liberatione a iugo Aegypti. Ibi Sabbatum est dies nefastus, quo sacrificia

[1]) *A. Jeremias*, mythologiae babylonicae noviter detectae peritissimus scribit: „Was die Sintflut anlangt, so ist ja die Verwandtschaft mit der babylon. Erzählung sogar im Wortlaut einiger Stellen nachzuweisen, so daß man hier auf Grund gemeinsamen geistigen Besitzes eine bestimmte literarische Anlehnung an eine babylonische Vorlage annehmen muß. Aber auch hier liegt das Wertvolle der bibl. Erzählung nicht im Gemeinsamen, sondern im Trennenden. An Stelle der mythologischen Götterwelt, die sich gegenseitig belügt und überlistet und launisch über die Menschen schaltet, die in kindischer Angst vor der Flut und dann wieder in gierigem Verlangen beim Opfer Noahs erscheint, finden wir in der Bibel den zürnenden Gott, der die Welt richtet und der sich des Gerechten erbarmt. Die biblische Sintflutgeschichte trägt bis auf den heutigen Tag in sich die Kraft, das Gewissen der Welt zu wecken, und der biblische Erzähler hat sie in dieser pädagogischen sittlichen Absicht niedergeschrieben. Davon wissen die außerbiblischen Sintflutgeschichten nichts." (Der Einfluß Babylons auf das Verständnis des Alten Testamentes. Gr.-Lichterfelde 1908, 31).

[2]) *A. Jeremias* (Monotheist. Strömungen etc 35). „Man nannte diese Dichtungen nach biblischer Analogie Busspsalmen. Die Benennung Busspsalmen ist nur statthaft, wenn man unter Busse die Auferlegung einer Sühne versteht. Sie klagen über Folgen der Sünden und bitten um Fortschaffung der Folgen. Busse im Sinne von Sündenerkenntnis, Reue, Gelübde der Besserung kennen sie nicht." — Cfr. *Jos. Hehn*, Sünde und Erlösung nach biblischer und babylon. Anschauung. Leipzig 1903.

omittebantur, magi deos non interrogabant, rex omni pompa abstinebat etc.[1])

9. *Falsa est opinio, Israelitas monotheismum religionemque* 129
suam puram sumpsisse ex religione persica vel systemate Zoroastri. Hic (Zarathustra) dicitur docuisse annis 559—522 a. Chr. n.; videtur ergo floruisse tempore regis Cyri, quo Israelitae exules erant in Babylonia, et iam pridem monotheismo adhaerebant.[2]) *Religio mosaica* ergo certe multo antiquior est religione Zoroastri longeque eam, quae tum est dualismus tum ignem pluresque deos colit, superat. Econtra probabilissimum est, Zoroastrum doctrinam suam hausisse ex libris Iudaeorum; ipse Max Müller[3]) censet, religionem persicam notionem de Deo suam puriorem derivasse ex doctrina mosaica. De influxu Parsismi in Iudaismum *Erik Stave*, professor theol. protestant. Upsalae in Suecia[4]), inquisitionem doctissimam fecit, et censet, monotheismum israeliticum nullatenus a Parsismo oriri, econtra ex eo quendam dualismum transsumptum esse, scil. iuxta Iahve angelos et daemones auctoritate et potestate quadam, etsi minore, pollentes; praeterea eschatologiam persicam influxum habuisse in Israel. Sed ipse disserit, iam in libris sanctis iudaicis multo antiquioribus eiusmodi doctrinas proponi; ostendit quoque doctrinas iudaicas similes partim alium sensum habere, et hunc influxum minus oriri a contactu directo Iudaeorum cum Persis quam a motibus universalibus saecularibus et religiosis temporum post Alexandrum Magnum (277). Parsismus (Mazdaismus) minus influxit in religionem iudaicam quoad ipsas ideas quam quoad earum explicationem et redactionem in systema.[5]) Praetera hic influxus non est certus, sed dumtaxat probabilis, sicut ipsi iudices illi critici dicunt, qui ex officio scriptum a Stave elaboratum examinaverunt (5). Accedit quod non certum constat, quando illae partes Avestae, quae doctrinas similes continent, ortae sint (34, 41 s, 52). Stave ipse varios modernos criticos affert velut Spiegel, E. Meyer, Geldner, Iames Darmesteter etc, qui censent, Avestam demum sub Cyro vel post Cyrum, immo post Alexandrum Magnum exaratum esse (44). Darmesteter,[6]) quem ipse Stave nominat inquisitorem indole valde critica,[7]) putat, religiones

[1]) Cfr. *Jos. Hehn*, Siebenzahl und Sabbat bei den Babyloniern und im Alten Testament. Leipzig 1907.

[2]) Cfr. *A. Jeremias*, Monotheist. Strömungen, 45.

[3]) Theosophie, 47.

[4]) Über den Einfluß des Parsismus auf das Judentum, Haarlem 1898. Cfr. *Margoliouth G.*, The Earliest Religion of the Ancient Hebrens (The Contemporary Review 1898, tom. 74, 581 ss).

[5]) „Die Juden haben, auch was die Angelogie anbetrifft, die Lehren der Perser nicht einfach recht und schlecht übernommen, sondern nur die Ausbildung ihrer eigenen Lehren davon beeinflussen lassen" (217 s).

[6]) Le Zend=Avesta. chap. 6: La légende de Zoroastre (Annales du Musée Guimet tome 24, Paris 1893).

[7]) „Selbst ein so kritisch veranlagter Forscher wie Darmesteter" (p. 145).

semiticas iam in antiquissimam redactionem Avestae influxum habuisse, et biblium esse eius typum.[1])

Notetur, *ipsum Stave*, etsi valde laudat Mazdaismum eiusque monotheismum, quo nullus alius populus paganus puriorem habere dicitur, *non oblivisci addere eum esse minorem quam monotheismum israeliticum.* Ahura Mazda (Ormuzd) quidem est creator caeli et terrae et hominum, sed non omnium rerum; nam animalia nociva, insectae etc non ab ipso, sed ab Angra Mainyu (Ahriman), a principio malo, creata sunt; eius potestas est quasi dei alterius. Ahura Mazda non pariter deus ethicus est sicut Iahve, sed plus minusve naturalisticus; pariter bonum et malum nimis naturalistice considerantur. Iahve non solum deus summus, sed etiam deus unicus est; non pariter Ahura Mazda effertur; apud Israelitas ex temporibus exilii babylonici Iahve in dies plus ut deus unicus celebratur, apud Persas et Armenos brevi alii dei velut Mithra, Anahita, Haoma ita admissi sunt, ut Ahura Mazda parvi aestimaretur, vel totaliter evanesceret. Accedit quod Ahura Mazda cultus esse videtur nonnisi a sacerdotibus et nobilibus, non a vulgo, quod idola adorabat, apud Israel autem saltem ab exilio babylonico etiam a plebe Iahve ut unicus deus colebatur (118 ss).

10. *Religio mosaica non fuit religio absolute perfecta, sed tantum prodroma et praeparatoria ad religionem christianam.*

130 a) *Non fuit perfecta.* — Haec propositio in genere sequitur ex verbis S. Pauli (Hbr 7, 19): „Nihil ad perfectum adduxit lex." Imperfecta fuit doctrina theoretica, e. c. de Deo, quia solum monotheismus abstractus tenebatur, sed Trinitas divinarum personarum nonnisi plus minusve obscure innuebatur. Item invenimus opiniones non satis claras de statu animae in scheol post mortem hominis. Etiam lex moralis continuit multa, quae quidem apta erant ad Iudaeos a consuetudine cum gentibus arcendos, sed hominem iustificare et meliorem reddere non poterant, immo ansam dabant multorum peccatorum; quare S. Paulus (Gal 4, 9) ea dicit „egena et infirma elementa".

b) *Non omnibus hominibus ad salutem necessaria fuit.* — Id apparet praesertim ex missione Ionae prophetae ad Ninivitas sceleratos. Ionas debuit praedicare, ut poenitentiam facerent et ad Deum verum redirent, non, ut legem mosaicam reciperent et custodirent.

c) *Religio mosaica praeparatoria ad religionem christianam fuit.* — S. Paulus (Gal 3, 24) scribit: „Lex paedagogus noster fuit in (εἰς) Christo", et (Rom 10, 4): „Finis legis Christus." Sicut sacrificia antiqua fuere „exemplar" vel „umbra" vel „parabola" (Hbr 8, 5; 9, 9) novorum, ita etiam tota lex mosaica non minus quam religio patriarcharum fuit typus et figura religionis christianae, id

[1]) „Vorbild des Avesta", 8, 2 s.

quod Christus et apostoli expresse dixere (cfr. Io 3, 14; 1 Cor 10, 1 ss; Hbr 9, 1 ss). Pulchre ait *S. Augustinus*,[1]) in vetere testamento novum latere et in novo vetus patere. „Testamentum vetus velatio est novi testamenti et testamentum novum revelatio est veteris testamenti." *S. Thomas:*[2]) „Lex vetus disponebat ad Christum sicut imperfectum ad perfectum, unde dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione ad perfectionem, quae erat futura per Christum . . . Unde legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quae erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum." — *S. Bonavent:*[3]) „Lex praegnans erat evangelio." „Ab evangelio (lex) distinguitur secundum tria praedicta, quia in lege erant promissa temporalia et praecepta exterius regulantia et sacramenta figuralia." Lex fuit „lex gravitatis, evangelium vero lex suavitatis".

11. *Religio mosaica per Christum partim adimpleta partim abrogata est.*

a) *Partim adimpleta est.* — Rom 10, 4: „Finis legis Christus." 131
In Christo ipso adimpletae sunt multae prophetiae et typi. Christus (Messias) futurus fuit quasi centrum et anima totius legis, in quem tota lex tendebat, et quem patriarchae et prophetae praenuntiabant, et in quem omnes sperabant, et a quo omnem salutem exspectabant. Ipse Christus ait de se (Mt 5, 17): „Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere", id est: legem perficere, excolere, ampliare, sublimare sublimatamque ad omnes populos extendere et gratiam dare ad eam perfecte observandam. Christus retinuit omnes veritates religionis verae naturaliter vel supernaturaliter revelatas ideoque ab omnibus hominibus custodiendas, e. c. doctrinam de Dei existentia, essentia, creatione mundi; item praecepta moralia decalogi, sed omnia haec adimplevit eisque maiorem lucem et robur dedit. *Scotus:*[4]) „In lege nova moralia eadem quae tunc." „Potest intelligi verbum Christi: Non veni solvere etc, quia decalogus simpliciter manet, sed perfectius exponitur quam Iudaei intelligunt."

b) *Partim abrogata est.* — Iam Dn 9, 27 prophetaverat, Messiam instituturum esse novum pactum (testamentum) simulque periturum esse cultum mosaicum: „Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium et erit in templo abominatio desolationis et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio." Et S. Paulus (Hbr 7, 18 s) annuntiavit: „Reprobatio quidem fit praecedentis mandati (antiquae legis) propter infirmitatem eius et inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum." Secundum Eph 2, 14 Christus

[1]) Quaest. in Heptateuch, 2, 73; M. 34, 623; sermo 300, c. 3; M. 38, 1377.
[2]) 1, 2. qu. 99, a. 6.
[3]) 3. d. 40, qu. 2.; et qu. 3.
[4]) 3. d. 40, n. 3; 4. d. 3, qu. 4, n. 19.

solvit „medium parietem maceriae" inter Iudaeos et Gentiles et fecit utraque unum. Abrogavit omnes leges pure rituales, iudiciarias et caeremoniales; hae enim erant leges nationales datae ad Israelitas a conversatione cum idololatris gentibus stricte removendos; ideo non apte aliis, nedum omnibus populis, praescribendae fuere. Eaedem erant magna ex parte nonnisi typi, qui in Christo ipso adimpleti erant; itaque eo ipso evanescere debuere, sicut umbra et tenebrae cessant orta iam plena claritate lucis diei.

Cfr. *Petavius*, Opus de theol. dogmatibus, de incarn. Verbi, l. 16. c. 9. — *Haneberg*, Geschichte der bibl. Offenbar. ed. 3. 1863. — *Gutberlet*, l. c. I. 77 ss. — *Hettinger*, l. c. I. 308 ss. — *Nicolas*, I. 288 ss. — *Döllinger*, Heidentum und Judentum. 1857. p. 735 ss. — *Zschokke*, Theologie der Propheten des Alt. Bundes. 1877. — *Schanz*, II. 185 ss. — *Wilmers*, 176 ss. — C. *von Orelli*, Die Eigenart der bibl. Religion. 1906. — *J. Hehn*, Die biblische und die babylonische Gottesidee. Leipzig 1913. — *Norb. Peters*, Die Religion des Alt. Test. in ihrer Einzigartigkeit unter den Religionen der Alt. Orients (Religion, Christentum etc. 5. Teil). — *Joh. Nikel*, Alte und neue Angriffe auf das Alte Testament, Münster 1908. Idem: Der Ursprung des alttestamentl. Gottesglaubens 1908. — Die Pentateuchfrage 1921. — Dictionnaire apologétique etc, III, 695.

§ 3. De religionibus Paganorum in genere.

132 I. Notio et Nomina. — Vox Paganismi complectitur illos cultus religiosos, qui venerantur falsos deos vel falsum deum, non Monotheismo theistico adhaerent. — Pagani secundum etymon illi sunt, qui habitant in pagis procul ab urbibus, scil. rustici. Paganismus est ergo religio rusticorum. Cum enim cultus deorum posterioribus temporibus imperii Romani in urbibus iam derelictus esset et tantum in pagis apud rusticos perduraret, asseclae eius pagani vocati sunt. In usu dicendi Scripturae et Patrum iidem appellantur goiim, gentes, gentiles (ἔθνη) id est nationes non Israeliticae, quia praeter populum electionis omnes aliae gentes idolis servierunt; unde Paganismus nominatur etiam Gentilismus, Ethnicismus.

133 II. Genera Paganismi. — Paganismus habet sexcentas formas, quae plerumque inter se plus minusve cohaerent et aliae in alias pertranseunt. Solent distingui: 1. *Animismus*, qui putat, existere innumerabiles animas (numina, spiritus) invisibiles plus minusve potentes, quae habitent ubique, in aëre, arboribus, bestiis etc et quasi sint animae rerum corporalium. Homines primitivi enim dicuntur censuisse, omnes res esse animatas a spiritibus quibusdam sicut homines ipsos, et homines feruntur hos spiritus coluisse, ne sibi nocerent. — 2. *Totemismus* (derivatus a voce Indiana totem) est secundum Zapletal[1]) forma quaedam religionis apud nonnullas gentes Americae septentrionalis et Australiae centralis vigens, secundum quam gentes, genera tribusve originem suam deducunt ab aliqua bestia vel planta vel alia re; ex hac re e. gr. ex lupo (totem) nomen suum capiunt, eandem cultu quodam divino prosequuntur, omnia individua eiusdem speciei (e. gr. lupos) ut cognatos

[1]) Der Totemismus u. die Religion Israels. Freiburg i. d. Schweiz, 1901. p. 1.

suos tractant. — 3. *Feticismus* (a vocabulo Portugallico feitiço = factitius) occurrit praesertim apud populos nigros Africae, colit obiecta varia sensibilia velut lapides, conchas existimans in eis sedem locasse et inesse spiritum quendam superiorem. — 4. *Schamanismus* credit, esse daemones et spiritus seu deos quosdam hominibus saepissime perniciosos, quos solus schaman seu sacerdos quidam placare potest magiis et veneficiis. Ita sentiunt praesertim gentes Sibiriae. — 5. *Sabaeismus* imprimis solem, lunam stellasque veneratur, e. gr. Babylonii (Astrolatria). — 6. *Cultus animalium* velut tauri (Apismus, praesertim in Aegypto), serpentis (Ophitismus). Per haec animalia, praesertim per serpentem interdum intellecta sunt daemonia (Satanismus). — 7. *Idololatria propria*, quae deos sibi fingit in forma humana (anthropomorphismus) per imagines easque adorat. — 8. *Manismus*, *Apotheosis*, *Euhemerismus*[1]) colit maiores, heroes, imperatores etc. — 9. *Polytheismus*, qui plures deos novit; *Dualismus* religiosus Persarum et Manichaeorum, qui tenet duo principia summa, unum bonum et alterum malum sibi adversantia; *Pantheismus*, qui totum mundum, speciatim hominem, cum Deo identificat, e. gr. Brahmani. Hic pantheismus sicut etiam dualismus Gnosticorum et Neoplatonicorum, qui inter Deum et mundum fere nullam relationem mutuam admittit, vix religio nuncupari possunt, sunt potius systemata philosophica, opiniones speculativae doctorum; probabilissime exorti sunt ex reactione quadam falsa rationis humanae contra absurditates et ineptias polytheismi. Eo minus *Buddhismus* proprius religio vocari quit, cum neget veritates duas fundamentales religiosas, scil. existentiam Dei et immortalitatem animae; est nihilismus.

III. Origo Paganismi. — *Paganismus et Polytheismus prodierunt ex apostasia a Deo et vera religione et puriore idea cultuque Dei.*

1. Causae.

a) Paganismus et Polytheismus per se peccata gravia et gra- 134
vissima sunt. Sicut omne aliud peccatum *aversio a Deo et conversio ad creaturas* sunt. Hoc primo loco fit per voluntatem, quae Deo servire, mandata eius custodire non amat. Voluntas mala studet id persuadere intellectui eumque variis rationibus motivis inclinare; ea re homo in dies magis a Deo se avertit, ad creaturas se convertit; creaturae fiunt quaedam idola, quae homo colit, eaque tanta et talia, quantis et qualibus cor apponitur. *Accedit diabolus*, qui secundum Scripturam et SS. Patres ad omne peccatum plus minusve cooperari videtur. Hoc fuisse videtur praesertim quoad magnam et universalem apostasiam, qua in Paganismo quasi totus mundus a Deo defecit. Verba Apc 12, 9: „diabolus et satanas, qui seducit

[1]) Euhemerus, circa 300. a. Chr. n. teste S. Augustino (civit. Dei 6, 7; 1, M. 41, 184) primus docuit, deos olim fuisse homines mortales.

universum mundum", imprimis Paganismum et idololatriam spectare videntur. Immo SS. Patres dicunt, *paganos per idola et deos ipsos daemones coluisse.* Sicut in omni quidem peccato aversio a Deo et conversio ad creaturam occurrit, sed in uno plus ostenditur aversio a Deo, in altero plus conversio ad creaturam, similiter etiam quoad diversas gentes et formas paganismi. Quo tempore, quo modo, qua via, quo ordine singulae gentes in hos errores, et ineptias lapsae sint, non certo constat et vix unquam elucebit. Moderni philosophi, psychologi et historici critici et hypercritici statuere quidem quasdem leges et regulas, sed hae nullatenus certae sunt; immo sicut videbimus, magna ex parte falsae sunt, quoniam procedunt ex praeiudiciis subiectivis non probatis, praesertim ex axiomate, primos homines fuisse prorsus rudes incultosque, immo ex brutis se evolvisse. Forsitan dicendum sit:

135 b) Homo in sensibilibus obstrictus naturaliter pronus est, Deum modo humano seu anthropomorphistice sibi fingere. Hoc nondum vitium est, praesertim cum Scriptura ipsa loquatur de auribus, oculis etc Dei. Ideo inclinat naturaliter, habere signa et symbola varia Dei cultusque divini, e. c. imagines. Item non reiiciendum est, ex omnibus rebus et in omnibus creaturis existentiam, omnipotentiam etc Dei videre, quippe cum Scriptura ipsa proclamet: „Caeli enarrant gloriam Dei" (Ps 18, 2), et: „Plena est omnis terra gloria eius" (Is 6, 3). Omnia hactenus licita sunt, dummodo theoria et praxis teneant, Deum non esse sicut homines vel creaturas, sed immense supra mundum elatum, ab eo infinite distinctum, purum spiritum, et dummodo haec symbola ne ipsa numina divina habeantur neve colantur. At homo peccando voluntarie et interne defecit a Deo et convertit cor ad creaturas, aestimavit opera pluris opifice. Ideo successive obscuratus est intellectus eius, non potuit retinere puram ideam Dei absolute spiritualis, invisibilis et supermundani. *Ita paulatim confudit et mutavit symbolum et rem, creaturam et creatorem, exaltavit creaturas et humiliavit creatorem.* Primo existimavit, vim et ens quoddam quasi mysteriosum et divinum, numen quoddam, contineri in rebus eximiis, e. c. in lapidibus de caelo lapsis, in igne, fulgure, sole, animalibus; veneratus est hoc numen in rebus dictis, et postea ipsas res numina putavit et coluit, praesertim illas res et vires naturales, quae velut sol, fulgur, ignis, ei multum prodesse aut nocere poterant. Primo fabricavit sibi symbola et imagines Dei, ut Deum quasi semper secum haberet et oculis cerneret; deinde censuit, Deum ipsum vel numen aliquod in his imaginibus habitare et cum eis quasi hypostatice se univisse; postremo eas ipsas divinas iudicavit et coluit. Dii in dies habebantur hominibus similiores, praediti eorum defectibus et vitiis. Et sic perventum est eo, ut homines ipsi, primo mortui velut maiores, reges, legislatores, qui vivi maxima auctoritate gavisi erant, deinde etiam vivi, ut numina colerentur. Immo non solum homines, sed etiam

eorum virtutes (Apollo = sapientia), et vitia (Aphrodite, Venus = amor, impudicitia) tamquam dii venerationem obtinuere. — *Ex apotheosi et adoratione creaturarum eo ipso polytheismus secutus est.* Quia multae res habebantur divinae, hae autem inter se differunt, consequens fuit, multos deos et deas statuere, sicut in terra sunt multae res, masculinae et femininae, superiores et inferiores, homini utiles et perniciosae, bonae et malae. — Attamen in omnibus his erroribus populi existimarunt, deos esse entia personalia plus minusve mundum transscendentia.

2. *Probatur thesis:*

a) *ex Scriptura S.* — Haec docet, homines primo per multa **136** saecula verum Deum coluisse, sed postea ad cultum numinum se convertisse. Scriptura S. non innuit, homines ante diluvium sub Noë factum deos vel idola veneratos esse; tantum dicit, homines fuisse prorsus carnales (Gn 6, 1 ss). Secundum Sap 14, 13 idola „non erant ab initio". Rom 1, 21 ss: „Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium." Scriptura (Ps 95, 5) dicens: „Omnes dii gentium daemonia", vel Bar 4, 7 „immolantes daemoniis, et non Deo"; 1 Cor 10, 20: „quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo", docet daemones plurimum valuisse ad idololatriam introducendam, immo effecisse, ut ipsi in idolis adorarentur cultu divino.

b) *ex traditione et mythologiis populorum.* — Pagani sibi conscii **137** manserunt, temporibus prioribus religionem puriorem viguisse. De religione Romanorum citat S. Augustinus[1]) locum Varronis Pagani: „Dicit etiam (Varro), antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius dii observarentur." — Mythologiae et poëmata gentium unanimiter mentionem faciunt de aetate aurea, qua dei olim immediate cum hominibus in terra conversabantur, sed iidem dicuntur postea se recepisse idque ob malitiam hominum. Praeterea occurrit nobis in omnibus mythologiis deus aliquis aliis diis superior, quasi Deus unicus aeternus, auctor et dominus totius caeli et terrae, deorum et hominum. Apud antiquos Aegyptios, etsi habuere permultos deos, tamen apparet unus Deus κ. ε., de quo legimus: Deus est unicus, solus ab initio, est spiritus, Deus est unicus et solus et nullus alius iuxta eum; Deus est unus, qui omnia fecit, est spiritus spirituum; Deus fuit ab initio, est aeternus, fuit, cum nihil erat; fecit ea, quae sunt, postquam ipse erat; Deus est pater initio-

[1]) civit. Dei 4, 31, 2; M. 41, 138.

rum etc.[1]) Iuppiter a Romanis dictus est: „Iuppiter optimus maximus, summus exsuperantissimus divinarum humanarumque rerum rector factorque arbitrio", vel „Deus deorum, qui solus potens". Pontifices eum invocavere: „Iuppiter optime maxime sive quo alio nomine te appellari volueris"[2]) (quibus verbis innuitur, summum Deum apud gentes varias esse eundem, etsi nomina eius differunt). Populi Africani Feticismo dediti non ignorant unum ens summum, hoc nunquam tractatur ut Fetich communis, sed hi Fetichs putantur spiritus inferiores ab ente summo creati.[3]) Quo magis elucescunt mythologiae gentium, quo altius ascendimus ad earum statum primaevum, eo fortius patet, olim eas coluisse pauciores deos, immo unum dumtaxat Deum idque veneratione perfectiore. Facile potest probari et non raro ostenditur ab ipsis criticis modernis, diversos deos eiusdem terrae nihil aliud esse nisi unum et eundem deum, qui habet diversas proprietates et operationes, et ideo sub diversis nominibus et titulis coli velut in Aegypto Ra, Ptah, Ammon. Item, eosdem deos coli apud diversos populos sub aliis nominibus. Itaque multi docti rationalistae, praesertim Max Müller, designant ut religionem originalem *Henotheismum seu Cathenotheismum.* Hic non est monotheismus purus absolutusque, sed nonnisi relativus, tenet quidem unum Deum, sed hunc unum Deum putat successive tum solem tum lunam tum hanc vel illam rem et vim naturalem. At hic cathenotheismus est nonnisi forma religionis iam degener seu transitoria inter purum monotheismum et polytheismum, necessario praesupponit monotheismum absolutum. Homines ideam unius Dei non retulissent modo ad caelum fulgens[4]) modo ad fulgur etc, nisi eis persuasum fuisset, unum dumtaxat Deum existere et existere posse. — Idem dicendum est de *Praeanimismo*, de quo plus postea. — Similiter censent alii velut B. Baentsch,[5]) praesertim in Babylonia et
138 Aegypto, plus minusve autem etiam in Syria, Phoenicia et Chanaan monotheismum saltem eatenus viguisse, quatenus unus deus ut deus summus colebatur, et alios deos, qui iuxta eum adorabantur, nonnisi ut deos partiales seu ut partes dei summi habitos esse; praesertim sacerdotes ita cogitasse et in unum solum Deum credidisse dicuntur; hoc fuisse „mysterium de caelo et terra", vel mysterium deorum magnorum, de quo Babylonii loquuntur (33).

---

[1]) Cfr. *Brugsch H.*, Religion und Mythus der alten Ägypter, 1885, pars 1. pag. 96 ss. — *J. Hehn*, Wege zum Monotheismus, 1913.

[2]) *Tertullian.* ad Scapulam 4; M. 1, 703. — *Preller*, Röm. Mythologie, ed. 3. 1881. t. I. 241, 206. — *Formby*, D. Monotheismus d. Offenb. u. d. Heident. 1880, 76 ss.

[3]) Cfr. *Ehni* (Theol. Studien u. Kritiken, 1898, 588 s).

[4]) Caelum fulgens vocatur in lingua sanscritica Dyu, Deva; cum quo nomine cohaeret in lingua graeca *Ζεύς, θεός;* in latina Juppiter (Diespiter, *Ζεὺς πατήρ*,, Deus); in linguis germanicis antiquis Tius, Zio, Tiw; in lingua lithavica Diewas, in prussica antiqua Deiws. Ex quo facto simul patet, omnes gentes indogermanicas olim coluisse unum eundemque Deum. Cfr. *Gutberlet*, l. c. I. 69.

[5]) Altorientalischer und israelitischer Monotheismus. Tübingen 1906, 1 ss, 42 ss.

3. Digna notatu est opinio, quam diebus nostris profert prae- 139
sertim A. von Ow.[1]) Secundum eum Paganismus prodit ex cultu manium vel maiorum et originaliter nihil aliud fuit nisi homotheismus. Hoc docent etiam alii. Sed A. von Ow dicit *hos maiores fuisse Adam, Evam, Abel, Seth, Noë, Ioseph Aegyptiacum eiusque uxorem Aseneth, Mosen etc, etiam Hom nepotem Iapheti, filii Noë.* Homines non obliti erant protoevangelii, id est verborum Dei ad Adam, ex semine mulieris oriturum esse salvatorem; sed non potuere exspectare eius adventum, et ideo putavere tales maiores, qui aliis magnae saluti fuerant, praesertim Noë, Ioseph, sed etiam alios velut Seth, hunc salvatorem esse, coluerunt eos paulatim ut deos. Ioseph eiusque uxor colebantur ut Osiris et Isis; Moses qui Aegyptiis magno incommodo fuerat et signa miraculosa fecerat, immo ossa Iosephi secum asportaverat (Ex 13, 19), colebatur ab Aegyptiis ut Set-Typhon, qui inimicus erat Osiri. Set nihil aliud est nisi Seth, filius Adae etc. Hom (Haoma, Soma, Om), nepos Iapheti, voluit primus esse ipse salvator, immo deus, et idem est cum Haoma, deo Persarum, immo cum Brahma = Parahaoma = summus Haoma. Etiam Buddha = illuminatus, quo nomine nuncupatur Çakyamuni, auctor Buddhismi, nihil aliud est nisi Brahma = Haoma = Hom (Om), et hunc Buddha = Hom (Om) colunt monachi Buddhistae sexcenties exclamando: „Om mani padme hum" = benedictus es, Om, in pretioso flore „lotus". Hic „Om" idem est cum Odin (Wodan), summo deo germanico, et cum deo aliquo aliarum gentium. Et sic Hom, prius pseudopropheta, primus apostata a Deo, immo primus pantheista, colitur ex multis saeculis plus minusve in multis formis Paganismi. Hoc ostendit A. von Ow disertissime et doctissime, pervestigans et inter se comparans mythologias variorum populorum. Dissertatio eius ab unis prorsus reiecta est, ab aliis laudatur velut a Sven-Hedin, et Estlin Carpenter, Hegglin S. I. etc.

IV. Falsae opiniones de Paganismo.

1. *Falsa est sententia rationalistica* (Tylor, Spencer, Lippert etc), 140
Polytheismum fuisse religionem hominum originalem, immo Animismum, Manismum, Feticismum, Euhemerismum, Totemismum etc esse fundamentum omnis religionis.

a) *Nititur falsa praesuppositione*, homines fuisse ab initio non multo elatiores brutis, carentes omni scientia et religione, immo absque usu linguae articulatae, et demum successive se evolvisse ex hoc statu tristi. Anthropologia naturalis clare ostendit, homines non oriri a simiis, sed toto caelo differre a brutis, praeditos esse ratione et intellectu, quare ab initio poterant dare sibi ipsis linguam sufficientem et intelligere veritates religiosas primitivas quasi per

[1]) Hom, der falsche Prophet aus noachitischer Zeit. Leutkirch 1906. — Brahma-Wodan. Indogermanistische Zusammenhänge, Regensburg 1915. — Joseph von Ägypten und Aseneth. Regensburg 1918.

se ipsas notas et naturaliter insitas. Item certissime historia docet, antiquissimos populos, quos novimus, scil. Aegyptios et Babylonios etc, humanitate magna fuisse imbutos. Etiam moderni incolae Africae, Australiae etc prae se ferunt linguam optime excultam, unde liquet, eos stetisse olim in gradu culturae ampliore quam nunc. — b) Ex eo, quod hodie gentes quaedam humilis condicionis adhaerent Feticismo etc, colunt lapides, bestias, vel saltem existimant, spiritum aliquem in iis habitare, non sequitur, idem censuisse primos homines. Nam hi populi sunt degeneres, sicut etiam Rationalistae ipsi concedunt.[1]) — c) Sicut vidimus, traditiones multorum populorum polytheisticorum ostendunt, apud eos antiquitus cultum perfectiorem viguisse. Tiele (l. c. p. 10) notat, Australiae aliquas gentes hodie fere nihil nisi spiritus vel animas defunctorum venerari, etsi, sicut earum mythologiae demonstrant, olim deos sublimiores noverant. — d) *Manismus, Euhemerismus seu cultus animarum, cultus manium non potest fuisse religio primitiva.*[2]) Invenimus quidem plerumque
141 curam quandam mortuorum praesertim morem honorandi defunctos cognatos, reges etc epulis et ludis funebralibus, vel usum imponendi cibos potusque in eorum sepulchra, vel metum mortis mortuorumque. Sed hi actus non sunt actus religiosi colentes cultu divino ipsos mortuos, sed partim sunt actus pure naturales, actus pietatis humanitatisque erga mortuos, partim nituntur opinionibus falsis de statu animarum a corporibus separatarum. Non raro enim censent homines indocti, animas, etsi invisibiles, tamen quodammodo corporales esse, et ideo post mortem non aliter ac in vita habere voluptates et indigentias sensibiles, et versari circa sepulchrum vel posse nocere vivis. Ideo ponunt in sepulchra defunctorum cibos, potus, dona, arma, instrumenta, immo equos et servos et mulieres, quibus illi in vita utebantur. Hoc modo etiam intendunt animas mortuorum conciliare, ut sic ipsi ab earum insidiis praeserventur. Quae sententia aliaeque huius generis occurrunt nobis etiam apud populos et homines valde litteratos, immo adhuc hodie; est ergo superstitio quidem, sed non idololatria stricta. Etiam Rationalistae eximii negant, cultum animarum vel regum defunctorum fuisse religionis formam primordialem. Sicut Pfleiderer[3]) animadvertit, ex eo quod Zeus, Iuppiter, Zio, Dyaus etc (caelum fulgens) vel Phaëton, Perseus, Osiris, Melkarth (sol) unum et eundem deum nationum diversarum significant, sequitur, ut hi non fuerint olim reges; nam secus incomprehensibile esset, vitam et sortes eorum ubique fere easdem fuisse. — e) *Animismus quivis non fuit religio originalis.* Ridiculum est asserere, homines adhuc rudes non potuisse distinguere inter res

[1]) Ita *Tiele*, Geschichte der Religion im Altertum, 1896, I. 9; dicit, religiones vivas populorum incultorum non posse probare, quam religionem olim Ägyptii etc tenuerint.
[2]) Ita praesertim *Lippert* falso docuit, cfr. Die Religionen der europ. Kulturvölker, 1881, 1 ss.
[3]) Religionsphilosophie, ed. 2. t. II., 1884, 13 ss.

animatas et non animatas ideoque omnes ut a spiritibus inhabitatas considerasse et tum coluisse. Quod homines barbari vel pueri saepe alloquuntur res non animatas quasi animatas, non putant eas animatas; non raro etiam homines eruditi loquuntur cum suis armis, instrumentis, canibus etc quasi cum personis, non ignorantes ea esse irrationalia. Etiam Max Müller,[1]) Pfleiderer (l. c.) etc respuunt eam opinionem, quae censet, homines primitivos ex ignorantia brutali omnes res existimasse animatas et nonnisi ex metu et rationibus egoisticis coluisse; cum ipsa animalia perfectiora inter res vivas et mortuas discernere possint, eo fortius homines id valuere. Quare tenent sententiam quandam mitiorem. Homines primo fuere tamquam pueri, et ex phantasia puerili-poëtica saltem res naturales gravissimas et admirabiles velut solem, fulgur, tempestatem iudicarunt vivas, praesertim cum fulgur sit simile serpenti igneo, et sol sit quasi oculus lucidus caeli vel auriga splendidus caelum percurrens etc; deinde ex stupore quodam et reverentia de immensa vi et magnitudine harum rerum consideravere eas ut entia superterrestria, superhumana et divina. — At etiam haec theoria praesupponit ideam deitatis, per se sola religionem ab initio condere nequit. — Praeterea *falsa sunt principia fundamentalia alia, quibus nituntur Animismus, Manismus* etc; e contrario *inveniuntur populi primitivi minime exculti, qui non norunt Animismum* etc, *verumtamen norunt monotheismum.* Hoc statim videbimus.

2. *Repellenda est etiam theoria ab A. Lang proposita, Praeanimismum quendam monotheisticum fuisse religionem primam notam.*

a) *Monotheismus populorum multorum primitivorum.* — A. 142
L a n g, natione Scotus, primo plene consensit cum Tylor aliisque et cum eis docuit, monotheismum ubique prodiisse ex formis animisticis. Cum primum legisset narrationes missionarii cuiusdam de incolis Australiae occidentalis, quae contra hanc theoriam erant, putavit missionarium non recte retulisse. Sed in studiis suis alias similes narrationes inveniens, obstupefactus rem diligentissime inquisivit et *ultimo sibi persuasit, non iam tenendam esse propositionem dictam a Tylor multisque aliis passim defensam.*[2]) Ostendit varias gentes Australiae, insularum Asiae, et Africae, quae velut Buschmanni et Hottentotti etc, in infimo gradu humanitatis stant, pariter Indianos Americae, plus minusve loqui de uno magno Deo, qui ab aeterno est, mundum hominesque fecit, vult et praescripsit bonum, malum odit, leges morales dedit, bonum praemiis, malum autem poenis retribuit. Norunt et colunt quidem etiam alia numina, sed haec minoris potestatis sunt, ipsa a Deo facta sunt, ab eo dependent et aliter colenda sunt.

b) Praeterea A. Lang ostendit, fundamenta, quibus nititur Animismus, non esse solida.

[1]) Anthropol. Religion 71 ss.
[2]) The Making of religion. London 1898, et in aliis scriptis.

143 a) *Animismus ut axioma docet:* Conceptus Dei ut spiritus demum obtineri potuit, postquam idea spiritus ex phaenomenis somni, somnii et mortis se evolverat. *Lang ostendit primitivos populos quaestionem metaphysicam, an numen summum sit spiritus, neque affirmare neque negare, cum de hac re nunquam inquisivissent.* Deus est eis nihil aliud nisi ens summum existens, quod non moritur sicut homines, et quod oculis videri non potest, quia habitat in caelo vel alibi, longe remotus ab hominibus. — β) Item falsum est dictum, ex idea spiritus vel animae se explicuisse tum cultum spirituum naturalium seu spirituum in rebus naturalibus inhabitantium, tum cultum defunctorum, maiorum et manium, et ex his formis religiosis ortum esse monotheismum. Nam hi populi primitivi neque spiritus naturales neque defunctos et manes venerantur, sed norunt unum Deum summum, et sic eorum monotheismus neque ex Animismo neque ex Manismo prodire potuit. — γ) Pariter reiciendum est assertum, primitivos populos ignorasse propriam ethicam et leges ethicas, non egisse ex motivis vere ethicis, sed dumtaxat ex egoismo vel ex timore et pavore spirituum naturalium et manium ductos esse. Nam apud omnes hos populos primitivos occurrunt nobis non solum leges morales, sed hae leges proveniunt ex voluntate summi numinis, quod omnes praevaricationes scit et punit, observationem autem praemiis afficit, sive in hac vita sive post mortem. Leges morales in genere eaedem sunt atque apud nos; vituperant merum egoismum, laudant amorem in proximum. Has propositiones, quae principia a Tylor, Wundt etc toti mundo pronuntiata radicitus evertunt, Lang exemplis non paucis confirmat.

144 c) *Adversarii, etsi directe et ex professo offensi, partim tacuere,* sicut ipse Tylor, et sic concessere, se nihil habere ad respondendum. Alii obiectiones varias fecerunt praesertim, has gentes primitivas ideas suas monotheisticas recepisse a missionariis christianis. Sed iam primi missionarii aliique Europaei, qui cum illis conversabantur, tradunt eos has ideas iam antea habuisse. A. Lang ipse ostendit, Indianos Americae septentrionalis iam ante adventum primorum missionariorum Iesuitarum (anno 1633) in numen summum credidisse. Nam proponit ex annis 1558—1622 quinque testimonia virorum doctorum non missionariorum, qui unanimiter tradunt, se hanc fidem apud illos iam invenisse.[1]) δ) *Praeanimismus ab A. Lang propositus.* A Lang non solum probat, apud populos primitivos, quales adhuc vivunt, inveniri monotheismum, qui novit et colit unum summum Deum, qui est immortalis pater, magister, dominus, fabricator mundi, sed etiam multos mythos absurdos, ineptos, phantasticos, immo obscoenos, et sic monotheismum eorum non esse purum. Hunc monotheismum impurum dicit Praeanimismum, quia

[1]) Cfr. *P. W. Schmidt S. V. D.* Der Ursprung der Gottesidee. I. Münster 1912, p. 203; idem fusius proponit obiectiones alias ab A. Lang vel a se ipso repulsas (173—411).

praecessit Animismo, qui occurrit nobis alibi. Lang non dicit, hunc Praeanimismum fuisse religionem originalem, ex qua postea ortus est monotheismus purus Israelitarum et Christianorum; item non negat, monotheismum purum prodire a revelatione positiva, sed nonnisi docet: Ethnologia nihil certi scit et forsitan nihil certi scitura sit de religione originali, sed nonnisi statuere potest: Praeanimismus dictus, in quo iuxta ideas monotheisticas summas currunt multa elementa humilia, prima vel antiquissima forma religionis est, quae probari potest. Possibile est, antea viguisse monotheismum purum, qui deturpatus sit in Praeanimismum; sed id non iam probari potest. Ad hoc respondeatur:

α) Gaudemus, quod A. Lang revelationem positivam cum monotheismo puro non a priori excludit vel ut non possibilem reprobat.

β) *Reprobandum est assertum, via ethnologica non posse probari monotheismum purum* et revelationem originalem positivam.

Nam αα) Ethnologia, non aliter atque aliae scientiae naturales **145**
vel historicae, non solum colligit et statuit res vel facta, sed etiam ex eis concludit ad propositiones, quae merae experientiae non iam accessibiles sunt. Per se quidem possibile est, religionem humiliorem se evolvere ad superiorem, sicut possibile est, religionem superiorem degenerare ad inferiorem. At non est probabile, Praeaminismum inferiorem se explicuisse ad Monotheismum purum. Hoc exspectandum esset apud populos excultiores velut apud Babylonios, Aegyptios, Graecos et Romanos. Sed hi populi ne ad illum quidem Monotheismum imperfectum progressi sunt, quem A. Lang ipse statuit apud populos primitivos barbarosque Australiae, Africae (Hottentottos) etc. Nam dicti populi humanitate summa imbuti lapsi sunt in Polytheismum nefandum omnis generis apud populos primitivos non inveniendum, vel in Scepticismum, Materialismum, Pantheismum; nullus philosophus graecus vel romanus purum Monotheismum cum creatione mundi ex nihilo profert.

ββ) Ex eo quod dicti populi barbari prae se ferunt tantas **146**
ineptias, et tam incapaces sunt incumbendi ad studia metaphysica, *declarari non potest, quomodo ex sese pervenire potuerint ad Monotheismum relative perfectum, nisi admittimus revelationem positivam originalem.*

γγ) Ethnologia ostendit quoque, *mythologias* populorum non paucorum et inter se longe distantium loqui *de aetate aurea*, qua dii cum hominibus in terra visibiliter conversabantur, homines fuisse innocentes et beatos, et ex hoc statu felici peccato elapsos esse. Non raro loquuntur etiam *de creatione mundi*, de paradiso quodam deliciarum, de primo peccato, de diluvio super omnem terram similiter atque Genesis. Etiam ex hoc concludere licet in revelationem positivam primis hominibus datam.

δδ) Ad ethnographiam spectat etiam consideratio *populi Israel.* At eius religio monotheistica nullatenus derivari potest ex regulis ab ethnographis constitutis, sicut supra vidimus.

γ) *Ex quo elucescit, Praeanimismum dictum non esse religionem primam nobis notam.* Sed ex factis ab ipsis Lang aliisque ethnographis concessis statuere debemus, Monotheismum purum talem, qualem liber Genesis tradit, esse hanc religionem et religionem originalem eamque ex revelatione positiva divina oriundam.

147 3. *Falsa est sententia rationalistica, Paganismum esse formam religionis verae relative perfectam.* Inter alios praesertim patroni scientiae religionum comparativae tenent continuum evolutionismum et progressionismum religionis. Homines, primo fere atheistae, quia prorsus inculti, servierunt generibus humillimis religionis, scil. Feticismo etc, tunc acceperunt Monotheismum, praesertim Iudaei, tunc Christianismum, et quidem prius Catholicismum seu formam religionis christianae inferiorem, postea Protestantismum seu formam sublimiorem; denique omnes homines incurrent in portum religionis perfectissimae, nempe in Pantheismum vel in religionem naturae purae et merae humanitatis. Itaque religiones Gentilium pro suo tempore non minus relative verae fuere quam religio christiana pro saeculis posterioribus. — *Haec sententia absurda est.* Nam a) *Defendit religionis progressionismum falsum,* iuxta quem religio necessario et perpetuo progreditur simul cum cultura humana. Falsa est opinio, culturam populorum singulorum semper progredi, nunquam regredi; populi Africae etc, quos nunc dicimus barbaros, haereditate acceperunt linguas optime excultas, ex quo patet, eos olim cultura sublimiore esse imbutos quam hodie. Non minus falsum est, religionem parallele progredi cum cultura humana et civili; antiqui Romani et Graeci humanitate et artibus liberalibus etc Iudaeos longe superaverunt, at puritate religionis valde inferiores sunt. Reiiciendum est dictum, monotheismum necessario ex polytheismo prodire. Monotheismus christianus hodiernae Europae non prodiit ex polytheismo Romanorum, Graecorum, Gallorum, Germanorum, sed ex monotheismo Iudaeorum; at hic non ex evolutione religionis naturali exorta est, sicut vidimus. Quare moderni polytheistae Africae etc ex se ipsis nullatenus monotheismo appropinquant? Item reprobanda est propositio, religionem necessario et perpetuo progredi. Islamismus prodiit ex Iudaismo et Christianismo et iis multo posterior est, verumtamen omnibus numeris valde inferior est. — b) *Haec sententia excusat et sanctificat omnes ineptias, blasphemias, obscoenitates, crudelitates religionibus et cultibus Paganorum inhaerentes.* Nam hae non minus necessariae et suo modo bonae sunt secundum hoc systema quam sublimitas et maiestas et pulchritudo religionis christianae. — c) *Tollit omnem religionem* statuendo pantheismum vel religionem purae naturae humanitatisque finem et formam religionis perfectam.

4. *Falsa est sententia, Paganorum religiones nihil fuisse nisi errores et vitia.* Ultrasupranaturalistae, scil. Pseudoreformatores, Iansenistae, Traditionalistae, asserunt, Paganos ex eo, quod exclusi erant a revelatione divina supernaturali, a Deo esse totaliter derelictos, ita ut prorsus non potuerint cognoscere existentiam et attributa Dei etc vel elicere actum saltem naturaliter bonum. Has opiniones redarguit dogmatica specialis. Secundum Scripturam non pauci extra populum electum viventes noverant et timebant verum Deum, e. c. Iethro, Agar, Iob, Ninivitae. Etiam historia profana ostendit, populos ethnicos cognitione divinarum rerum aliqua esse gavisos et actus ethice bonos varios exercuisse. 148

Immo dici potest *de quodam christianismo ante Christum, non solum apud Patriarchas et Israelitas, sed etiam apud Paganos.* Nam Christus „erat lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum“ (Io 1, 9); „et ipse erit exspectatio gentium“ (Gn 49, 10). *S. Augustinus* (retract. I, 13, 3; M. 32, 603): „ipsa res quae nunc „Christiana religio nuncupatur, erat“ apud antiquos „nec defuit ab initio generis humani.“ Inter Paganos invenimus varios conatus restituendi monotheismum et religionem originalem, praesertim apud Persas (Zoroaster = Zarathustra). Ubique terrarum occurrit nobis spes in salutem, in adventum salvatoris, immo Dei ipsius in terra, qui annuntiabit veritatem et dabit redemptionem a malis. Hoc factum est praesertim per cultum Osiris et Iris; per mysteria Isis, Mithrae etc; his cultibus saltem fides et spes et desiderium in redemptionem per Deum ipsum faciendam et venturam conservata et excitata sunt. Hi cultus potissimum saeculo primo, secundo et tertio christiano in toto oriente et occidente propagati erant. Immo non raro tenebatur quaedam trinitas summorum deorum, qui simul unus Deus esse videbantur. Omnibus his modis Christo eiusque religioni via munita est etiam inter Gentes. Hoc demonstrant praesertim Luecken, A. v. Ow in libris supra citatis, sed etiam alii velut antea I. N. Sepp.[1]) Etiam moderni critici acatholici passim loquuntur de quodam Christo ante Christum, de fide in redemptionem, de fide quadam in Trinitatem inter Paganos, sed censent, ex his elementis prodiisse mere naturaliter religionem christianam. Hoc falsum esse, infra videbimus. Sed Deum et Christum etiam Paganis se revelasse, inter eos operatum esse ad fidem et religionem christianam praeparandam concedi potest. Sed haec praeparatio potius fuit negativa, cum apud Patriarchas et Israelitas esset etiam positiva. Ex hoc elucet: 149

V. Finis Paganismi. — Providentia Dei, qui omnia disponit suaviter, religiones Paganorum cum omnibus somniis, abominationibus et spurcitiis toleravit et sivit simulque effecit, ut genus humanum attingeret gradum altum cultus humanitatisque. 150

[1]) Das Heidentum und dessen Bedeutung für das Christentum. 1853.

Eo hominibus persuadere voluit, ipsos esse absolute impotentes, ex viribus naturalibus sibi salutem et quietem animorum parare, ut sic intentius ad Deum clamarent et ab eo solo redemptionem et auxilium exspectarent.

Cfr. *Gutberlet*, I, 56 ss. — *Döllinger*, 54 ss. — *Lüken*, Die Traditionen des Menschengeschlechtes oder d. Uroffenbarung Gottes unter den Heiden, 2, 1869. — *Fischer Engelb.*, Heidentum und Offenbarung, 1878. — *Stiefelhagen*, Theologie des Heidentums, 1858. — *Werner K.*, Die Religionen und Kulte des vorchristl. Heidentums, 1871. — *Schneider*, Naturvölker, 1886, pars 2, 347 ss, 413 ss. — *Pesch*, Der Gottesbegriff in d. heidn. Religionen des Altertums, 1885; Der Gottesbegriff in d. heidn. Rel. der Neuzeit, 1888. — *Schanz*, II, 32 ss. — *Borchert*, Der Animismus, 1900. — *W. Schmidt*, l. c. per totum. — *A. Seitz*, Natürl. Religionsbegründung etc. 434 ss.

§ 4. De Buddhismo et Islamismo in specie.

Ex sexcentis religionibus non christianis nunc existentibus praeter Iudaismum nonnisi duas consideremus, scil. Buddhismum et Mohammedanismum: illum, quia a philosophis multis recentioribus extollitur summis laudibus et quoad multa religioni catholicae similis est simulque permultos asseclas habet, immo ut Neobuddhismus nunc etiam in Europa et America propagatur; hunc, quia etiam hodie propagatur.

I. De Buddhismo.

151 1. Auctor Buddhismi est Siddharta, filius regis Indorum, qui vixit circa annum 500. a. Chr. n., et dicitur Buddha seu illuminatus vel Çakyamuni = eremita ex genere Çakya. Hic ex consideratione miseriae humanae commotus recepit se in solitudinem, associavit sibi brevi discipulos multos, quibus dedit leges et constitutiones ordinibus monasticis similes. Doctrina praecipua est: Dolor et miseria vitae humanae oritur ex passionibus et cupiditatibus cordis, ex desiderio et amore vitae, lenitur vel cessat per abstinentiam, moderantiam et suppressionem cupiditatum, immo ipsius vitae et existentiae. Homo, qui omnes has inclinationes exstinxerit, intrabit in Nirwana. „Nirwana" significat „nihil", id est annihilationem omnimodam, est pro Buddhista genuino in vita resignatio absoluta et indifferentia in omnes eventus, post mortem dissolutio et annihilatio etiam animae;[1]) plebi utique Nirwana nihil aliud est nisi vita aeterna caelestis plena gaudiis et voluptatibus carnalibus.

152 2. *Buddhismus condicionibus a vera religione requisitis nullatenus sufficit.* — Non habet dogma proprium, per se atheismus est, negat veritates duas cardinales religionis verae, scil. existentiam Dei et immortalitatem animae; non novit creationem nec gubernationem mundi per Deum. Quia non admittit Deum, per se nec habet cultum divinum, non orationes, templa, sacrificia etc, at admittit reincarnationem mortuorum in aliis hominibus. Nihil aliud est nisi phi-

[1]) Cfr. *Müller Max*, Selected essays, London 1881, vol. II, 160 ss. — *Stimmen v. Maria-Laach*, 1887, t. 32, 23 ss.

losophia ethica cum exercitiis asceticis. Ex his rationibus magnopere placet quidem rationalistis, naturalistis, occultistis, et atheistis nostrorum dierum; hi summis encomiis efferunt Buddhismum ut religionem purissimam, quae docet bonum facere et malum vitare ex mero amore boni aut odio mali, nulla ratione habita ad Deum vel remunerationem aeternam. At haec ethica non est tam sublimis quam celebratur. Mandat quidem, ut animalia humane tractentur, sed nihil facit ad sublevandam condicionem tristem plebis, qua orientales gravantur; non prorsus tollit divisionem hominum in classes inter se absolute distinctas; non evexit sexum femininum ad sortes meliores, immo ei introitum in Nirwana denegat; non redemit Indos et orientales ab inerti quietismo, econtra hunc promovit; non favet cultui atque humanitati, quia litteras et bonas artes negligit. Quare etiam rationalistae et materialistae sobrii Buddhismum parvipendunt, e. c. Ed. de Hartmann, Oscar Peschel.[1]) Quia Buddhismus proprius per se est atheismus[2]) et nullatenus satisfacit indigentiis religiosis hominis, certe breviter prorsus periisset, nisi mox formam omnino aliam assumpsisset. Simulatque Buddha obiit, ipse et discipuli eius praecipui ut numina culti sunt. Plebs retinuit polytheismum, construxit templa, instituit sacerdotes, immo colit boves et simias, intellexit per Nirwana caelum voluptatibus sensualibus plenum.

3. Certe Buddhismus numerat plurimos asseclas et propagatus 153
est fere per totam Asiam orientalem. At hoc non probat originem divinam vel veritatem eius. Non omnes, qui dicuntur Buddhistae, reapse Buddhistae sunt. In imperio Sinensi Buddhismus est alius atque in ceteris terris. Crebro omnes Sinenses et Iaponenses vocantur Buddhistae et sic ad 500 milliones Buddhistarum numerantur. At in Sina plurimi incolae adhaerent religioni de Congfutse, alii sunt aut Taoistae aut Buddhistae; in Iaponia constant Confucianismus et Schintoismus praeter Buddhismum; permulti adhuc tenent

[1]) *Ed. de Hartmann*, scribit (Das relig. Bewußtsein der Menschheit, Berlin 1882, p. 350): „Dieser Indifferentismus hat die zum Buddhismus bekehrten Völker wie ein täglicher Opiumgenuß narkotisch eingelullt, hat ihre Tatkraft quietistisch gebrochen und jede Regung gesteigerten Kulturbedürnisses durch seine Verachtung von Wissenschaft, Kunst und materiellem Gedeihen gelähmt; so hat er diesen Völkern ihre gesunden Instinkte unterbunden; sie aus dem lebendigen Prozeß der Geschichte geschaltet, sie gewaltsam in träumerischer Unwissenheit erhalten und dadurch den unfehlbaren Keim zum Verfalle auch des religiösen Lebens gepflanzt.“ — *O. Peschel* (Völkerkunde, ed. 6, Leipzig 1885, p. 290): „Der Buddhismus hat auch nichts getan, die Inder von dem Wahne der Wiedergeburten zu heilen; er hielt diese Lehre vielmehr fest, ja er hat sie wie einen Krankheitsstoff auch auf fremde Völker übertragen . . . Der Buddhismus behielt den Götterhimmel der Veden bei und gönnte den mongolischen Stämmen ihre Lust am Schamanenspuk . . . Werden die Bekenner der Lehre Goatamas (Buddha) auf mehr als 400 Millionen geschätzt, so rechnet man dazu das gesamte chinesische Volk, welches dem Dienst von Himmel und Erde sowie dem der Abgeschiedenen huldigt, Congfutse aber noch immer als den sittlichen Gesetzgeber verehrt und eigentlich vom Buddhismus nur das Buddhabild, zu andern Götzen einen Götzen mehr, angenommen hat.“

[2]) Cfr. *Müller Max*, Natürl. Rel. 26, 100. — *Tiele*, 154.

Schamanismum. Secundum H. A. Krose S. I., qui nititur fontibus certissimis, Buddhismus circa annum 1900 nonnisi 120 milliones asseclarum numerat, cum Christianismus 549 milliones habeat.[1]) — Buddhismus respondet bene sensui quietistico multorum orientalium, docet, non solum Brahmanos et membra classium superiorum perfectionem et salutem plenam posse assequi, sed et vulgus commune. Ex his rationibus pure naturalibus propagatio eius lata et conservatio diuturna satis declarari possunt.

154 4. *Ne Neobuddhismus quidem modernus inter populos Europae et Americae propagatus probat Buddhismi dignitatem, bonitatem, veritatem.* Nihil aliud est nisi eclectismus quidam ex thesibus buddhisticis commixtus cum modernis erroribus, immo ineptiis. Atheistae, Pantheistae, Monistae, Materialistae, Agnosticistae, Indifferentistae, Occultistae, Theosophi etc temporum nostrorum invenerunt suas ideas plus minus iam apud Buddhistas Asiae; quare pervestigant et citant eorum libros sacros, ut sic suos errores auctoritate antiqua et nomine claro eorum confirment, et instituerunt in urbibus maioribus societates neobuddhisticas cum biliographia et literis periodicis amplis.[2]) Hic Neobuddhismus, qui partim retinet absurditates Indorum quoad triplex vel quadruplex corpus humanum, et multiplicem animam, quae pro libitu e corpore exire et invisere potest stellas, solem, lunam, martem etc, et qui etiam docet absurdam metempsychosim, triste argumentum est, quam profunde etiam homines alias doctissimi et eruditissimi labi possint, si reprobant religionem christianam et catholicam. In superbia sua occludunt oculos luci revelationis, non volunt oboedire Deo se revelanti et ecclesiae, malunt amplecti absurditates et ineptias, quas permulti alii atheistae etc illudunt. Summis laudibus extollunt modernum criticismum, sed ipsi silentio praetermittunt, quod moderni critici pervestigatores Buddhismi eum valde parvipendunt.

155 5. *Neobuddhistae non raro Buddhae eundem locum et dignitatem attribuunt atque Christo*, immo eum Christo anteponunt. Quin etiam efferunt, de patrono suo similia praedicari, quae Scriptura S. de Christo docet, velut eum iam antea praenuntiatum, in stabulo natum esse, multa miracula patrasse etc. At de nativitate, aetate, vita, morte, doctrina ipsius Buddhae paulum certum scimus; fere omnia, quae de eo referuntur, ex saeculis posterioribus, immo postchristianis, oriuntur, et commixta sunt cum fabulis et ineptiis absurdissimis, quascumque fingere potest phantasia indica, id quod omnes scrutatores concedunt. Ceterum *similitudo nonnisi quoad paucas res et mere externa* est. Multo maior est dissimilitudo, immo oppositio. Etiam Buddha et asseclae eius loquuntur de redemptione

[1]) *Stimmen aus M. Laach*, 1903, t. 65, 203 s.

[2]) Cfr. *Minges Parth.* „Zur Bekämpfung des Okkultismus". „Zur modernen theosophischen Bewegung" (Theol. prakt. Monatsschrift, Passau 1915, 765 ss; 1916, 95 ss, 158 ss).

a malo, sed nonnisi de tali, ut homo in omnibus, quae accidunt et cor hominis afficere possunt, tranquillus maneat ad instar Stoicorum. Nullatenus autem cogitat et intendit mutationem et renovationem animi vel imitationem perfectionum Dei, virtutes humanitatemque veram, meliorationem hominis ipsius et aliorum, sed tantummodo quam primum et summum ingressum in Nirwana. Amor in omnes creaturas, de quo loquuntur Buddhistae, prorsus alius est atque amor, quem praedicat Christus; nam est solum amor, qui generet tranquillitatem animi a parte aliorum, non amor, qui eos ad statum meliorem et veram beatitudinem evehere vult; potius est egoismus, quia non procedit ex motivis altruisticis, nedum ex motivis transscendentalibus. Christus et ipse loquitur quidem de abnegatione sui ipsius, de odio mundi; sed hic mundus solummodo est mundus perversus, peccaminosus, inimicus verae virtutis et Dei. Per se doctrina Christi et religio christiana fovet Optimismum, Buddha autem Pessimismum; ille vitam affirmat, promittit vitam aeternam Deo similem, hic vitam negat, tendit in nihilismum; Christianismus et Buddhismus habent se ergo invicem sicut affirmatio vel positio et negatio, sicut thesis et antithesis.

6. Certe apud Buddhistas, praesertim apud sectarios de Dalai- **156**
Lama in Tibet, multi usus et ritus occurrunt, quos etiam Christiani, praesertim Catholici, habent, velut baptismus quidam, confessio peccatorum, sacrificia pro mortuis, claustra, rosaria, tonsura etc. At ex hoc non sequitur, sicut pauci fabulantur, religionem christianam ortam esse ex Buddhismo. Doctrinae principales et fundamentales, quibus ritus Christianorum vel Buddhistarum nituntur, prorsus aliae sunt. Similitudo nonnisi pure externa est. Non potest ostendi, hos ritus Buddhistarum esse tam antiquos quam religionem christianam; quare probabilius est, Buddhistas nonnulla ex Christianis, qui iam saeculo 4., 5. et 6. in Persia et India copiosi erant, sumpsisse.[1]) Ceterum multi eiusmodi ritus sunt naturales, et sic religionibus variis commercio mutuo carentibus communes esse possunt.

II. De Mohammedanismo.

1. Mohammed natus est anno 571 p. Chr. n. Meccae, in urbe **157**
Arabiae. In aetate 40 annorum in crebras visiones et exstases sive ex valetudine infirma sive ex proclivitate naturae sive ex fraude incidit. Tum sibi visus est accipere mandatum divinum, ut gentes Arabiae partim polytheismo adhaerentes ad cultum veri Dei reduceret. At nullatenus se probare potest nuntium divinum nec miraculis nec sanctitate vitae; mores eius crudelitate et luxuria maculati sunt; homo sine fuco et fallaciis Mohammed certe non est, licet fortasse se ipsum non minus quam alios deceperit. Primo cum

[1]) Hoc concedit etiam *Zöckler Otto* Protestans (Askese und Mönchtum, 1897' p. 20 et 76).

doctrinam suam in medium proferret, fere undique adversarii contra eum surrexerunt. Anno 622. Mecca Medinam fugit ibique bene receptus est (Hedschra); a quo facto nova religio magnopere crevit, quare Mohammedani ab eodem numerum annorum computant.

158 2. *Religio Mohammedana*, quae continet elementa a Polytheismo, Iudaismo et Christianismo sumpta, *dignitate longe inferior est ipso Iudaismo*. Tenet quidem monotheismum, at nonnisi abstractum, non concretum seu trinitarium. Hic unus Deus non est Deus bonitatis, caritatis et iustitiae infinitae, sed quasi despota asiaticus crudelis, qui ad libidinem et voluntatem regnat et infideles obdurare poenisque immanissimis castigare gaudet. Gubernatio mundi per Deum usque ad fatalismum caecum (Kismet) exaggeratur. Bonos exspectat quidem retributio aeterna, sed caeli voluptates mere carnales sunt. Etiam doctrina moralis valde ieiuna et tenuis est, postulat fere nihil nisi opera externa velut orationes per diem quinquies faciendas, ieiunium per mensem Ramadhan, peregrinationem Meccam instituendam, non autem internum animum, conversionem vel renovationem cordis. Cultus est absque sacrificio et sacerdotio. Mohammedanismus concedit polygamiam, tolerat servitutem, sexui muliebri locum vilem assignat, favet formae regiminis civilis absolutae et despoticae. Interdictio usus imaginum explicationi artium obstat. Fatalismus inertiam, levitatem animi et fugam laboris et studii proprii promovet. Ex his rationibus Islamismus culturam florentem parere nequit. Per breve dumtaxat tempus cultus humanitatisque gradum amplum vidit. At hoc factum est contra principia huius religionis, omnes philosophi arabici Corano adversabantur; econtra ubique terrarum Mohammedani culturam antea vigentem everterunt.

159 3. Certe Mohammedanismus rapide propagatus est et adhuc per gentes Africae diffunditur. At haec celeris propagatio et conservatio diuturna non est criterium eius veritatis. Religio haec ingressum habuit fere tantum apud populos semibarbaros vel degeneres, qui tum impotentes sunt eius ineptias detegere tum ad religionem puriorem se evehere nequeunt vel nolunt, quia polygamiam et dissolubilitatem matrimonii retinent. Populi humani et vividi Mohammedanismo fortiter restiterunt vel mox eum iterum reiecerunt. Propagatus est per vim armorum et per promissionem blandimentorum sensualium. Ceterum brevi in multas sectas dilapsus est. Mohammedani in Persia et India a Mohammedanis Arabiae omnino differunt.

160 Nota. — *Prorsus falsa est opinio aliquorum Rationalistarum, Islamismum munire vias ad religionem christianam* et aliquando populos sibi subiectos ad Christum esse adducturum. Econtra historia docet, Islamismum, quocumque pedes direxit, Christianos odio letali persecutum esse, partim Christianismum radicitus evertisse. Etiam ille Islamismus, qui nunc est, religioni christianae obstacula maxima ponit. Multo facilius populi ethnici Africae religionem christianam suscipiunt quam gentes Africae

septentrionalis a Mohammedanismo infectae. Nam hic favet polygamiae, quae ubique terrarum religionis christianae impedimentum potentissimum est; item doctrinae eius praecipuae, e. c. monotheismus abstractus, doctrina Christum esse nonnisi hominem et prophetam minorem quam Mohammed, Mohammed esse prophetam supremum, prophetam κ. ε. — Summum dici potest: Mohammedanismus est religio perfectior quam Ethnicismus, et eatenus Gentilismo praeferendus est. — Ex eo, quod Africani a Mohammedanismo non corrupti proniores sunt ad religionem christianam amplectendam quam ab eo depravati, evidenter apparet falsitas nonnullorum sententiae, Islamismum habere missionem divinam ducendi ad cognitionem veri Dei eas nationes, quae non sunt maturae ad doctrinam Christi sequendam.

4. *Ceterum Islamismus est religio essentialiter, etsi non pure, mono-* 161
theistica. Tenet existentiam unius Dei personalis mundum transcendentis et a mundo essentialiter et infinite diversi eiusque attributa praecipua velut libertatem ad extra, omnipotentiam, aeternitatem, infinitatem, etiam misericordiam et iustitiam, quamquam quoad haec peccat sive per defectum sive per excessum. Pariter docet creationem mundi a Deo ex nihilo eiusque temporalitatem et gubernationem per Deum; credit etiam miracula et prophetias esse possibiles, revera fuisse et esse et criteria esse revelationis positivae, quam quoque amplectitur, etsi etiam Mohammed organum eius accipit. Item retinet immortalitatem animae; videtur etiam credere in resurrectionem mortuorum; certe credit in retributionem aeternam, etsi quoad modum eius errat. Ex quo patet Islamismum longe superare Materialismum, Pantheismum, Naturalismum etc permultorum nostri temporis, qui eum flocci faciunt. Certe etiam eum spectant prophetiae Scripturae, aliquando omnes gentes se conversuras esse ad Christum et futurum esse unum pastorem et gregem. Revera suspicari licet, Moslemin, si Deus ad eos mittit apostolos christianos sanctos, qui effulgent dono miraculorum etc, potius ingressuros esse in sinum matris ecclesiae quam Materialistas, Monistas etc nostros, qui omnem ordinem et revelationem supernaturalem, miracula, prophetias divinitus oriundas irrident.

Cfr. *Gutberlet*, II, 49 ss. — *Tiele*, Kompendium etc, 148 ss, 101 ss. — *Hettinger*, I, 406 ss, 429 ss. — Schanz, II, 53 ss, 272 ss. — *Wilmers*, 260 ss, 571 ss. — *Silbernagl*, Der Buddhismus, 1891. — *Hardy*, Der Buddhismus, 1890. — De Buddhismo eiusque pessimismo et cultura ethica cfr. etiam „Stimmen v. Maria-Laach", 1897. t. 53, 20 ss, 127 ss, 240 ss, 505 ss. — *W. Ph. Englert*, Christus und Buddha, 1898. — *Döllinger*, Mohammeds Religion, 1838. — *Grimme*, Mohammed, 1892—1895. — *Walther Glawe*, Buddhistische Strömungen der Gegenwart, Groß-Lichterfelde 1913. — *A. Seitz*, Mohammeds Religionsstiftung, Paderborn 1921. — *W. Knieschke*, Kismet oder Vorsehung, Groß-Lichterfelde 1916. — *O. Wecker*, Christus und Buddha, Münster 1908. — *Otto Maas O. F. M.*, Der Buddhismus in alten und neuen Tagen. Hamm 1913. — *Gottfried Simon*, Der Islam und die christliche Verkündigung, Gütersloh 1920. — Dictionnaire apologétique etc II, 1135 ss. — *J. Lippl*, Der Islam nach Entstehung etc 1922.

§ 5. De religione iudaica postchristiana.

Religio mosaica fuit tantum praecursor religionis christianae, 162
per Christum partim adimpleta, partim abrogata est. Quare post Christi mortem *non iam est religio vera et eo ipso religio reproba facta*

est.[1]) Populus Israel reiecto Christo ut Messia cessavit esse populus electus, factus est populus reprobus. Adhuc exspectat adventum Messiae, et eatenus religio haec est aedes nondum confecta; sed quia Messias non iam venturus est, haec aedes eo ipso imperfecta manere debet, facta est ruinosa, corpus exanime. Etsi religio iudaica ex condicione et fine est aliquid particulare et nationale, tamen eius asseclae inter omnes populos dispersi sunt. Omnia instituta, in quibus fundata erat, velut arca, templum, sacrificia, sacerdotes, ex annis plus quam 1800 perierunt. Ex tempore mortis Christi non iam apparuit verus propheta, qui populum consolaretur et meliora tempora annuntiaret. Surrexerunt quidem multi pseudoprophetae et pseudomessiae, sed nullus potuit miracula patrare vel alio modo se probare nuntium divinum, econtra populum credulum in perniciem maiorem proiecerunt. Lex mosaica, quam Iudaei adhuc in manibus habent, maxima et essentiali ex parte, scil. qua lex iudiciaria et caeremonialis, observari nequit. Omnia haec manifesto demonstrant, populum iudaicum cum religione sua a Deo esse reprobatum, sicut iam Daniel praedixit. — Secundum voluntatem Dei populus hic usque ad finem mundi permanebit. Iudaei, semper tenentes libros suos antiquissimos sacros, attestantur, vaticinia Messiana in iis contenta esse authentica seu vaticinia ante eventum praenuntiata, non postea a Christianis fabricata, sicut *S. Augustinus* notat:[2]) „Propterea adhuc Iudaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas Litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas Christiani composuimus, ut cum evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas, per quos praedictum videretur, quod praedicamus: hinc eos convincimus, quia omnes ipsae Litterae, quibus Christus prophetatus est, apud Iudaeos sunt .. Codicem portat Iudaeus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant."

163 Nota. Quod supra notavimus de monotheismo Mohammedanorum eorumque conversione futura (n. 161), eo fortius tangit Iudaeos, quatenus non sunt Rationalistae etc. Eorum reditum ad ecclesiam Scriptura explicite praedixit (cfr Os 3, 5; Is 59, 20; Rom 11, 25.)

Cfr. *Hettinger*, l. c. 433 ss. — *Döllinger*, l. c. 854 ss. — *Schanz*, II, 266. — *Wilmers*, 475 ss.

---

[1]) Abrogatio legis per se ipsa facta est per mortem Christi, promulgata est die Pentecostes; attamen per aliquod tempus licuit legem observare, id quod ipsi apostoli partim fecerunt, sed haec observatio non iam necessaria fuit. Perpulchre ait *Scotus* (4. d. 3, qu. 4, n. 5): „Lex vetus non erat mala sicut est idololatria, et ideo non debuit subito repelli . . . sed debuit synagoga cum honore sepeliri, ut ostenderetur fuisse bona pro tempore suo."

[2]) Enarr. in ps. 56, 9; M. 36, 666.

Pars III.

De religione christiana (demonstratione christiana).

Postquam vidimus, inter religiones nunc vigentes Paganis- 164
mum et Iudaismum postchristianum et Mohammedanismum esse religiones falsas, disseramus, Christianismum veram religionem esse. Demonstrabimus, Iesum Christum fuisse nuntium divinum, immo Deum ipsum, cum in eo multa vaticinia antiquissima adimpleta sint, et cum ipse ad probandam suam divinam missionem et divinitatem miracula multa patraverit multasque genuinas prophetias ediderit, et cum tota eius vita et persona fuerit extraordinaria, superhumana, supernaturalis. Demonstratur ergo, personam et opus Christi esse divinum; itaque hic tractatus demonstratio christiana dicitur. Haec demonstratio est apologetica, quare Scriptura S., praesertim evangelia, considerantur non ut libri divinitus inspirati, sed tantum ut libri naturaliter valde credibiles.

§ 1. Errores moderni de Christo eiusque religione.

I. Errores.

1. Quoad Christum, eius personam et religionem ex dimidio 165
saeculi 18. usque ad dies nostros, *tot tanti et tales errores et lites exortae sunt, quot quantae et quales nunquam fuere ex origine Christianismi.* De Christo eiusque persona, dignitate, naturis iam a saeculo 1. vehementer disputatum est et acerrimae fuere controversiae cum Doketis, Gnosticis, Arianis, Nestorianis, Monophysitis etc. Sed omnes hi plus minusve tenuere eius divinitatem, etsi in declaratione errabant, aut saltem eum agnoverunt ut creaturam vel hominem extraordinario modo gratiis, scientia, virtute, potestate, supernaturaliter a Deo ornatum, quibus nullus angelus vel homo gaudebat. Moderni autem Rationalistae, Naturalistae, Monistae, Occultistae etc etiam quoad personam et opus Christi omnem ordinem supernaturalem reprobaverunt, et sic eum putant merum nudumque hominem naturalem, quamquam indole, scientia, virtute, potentia mere naturali eximia et extraordinaria instructum. Eo ipso non essentialiter, sed summum gradualiter ab Mose, Buddha, Confucio, Mohammedo, Zoroastro, Luthero, aliisque institutoribus religionum differt; immo secundum non paucos viros mulieresque modernos ab his superatur; non raro enim praesertim Buddha et Buddhismus Christo et Christianismo praefertur. Id fit non solum a Buddhistis, Iudaeis, Mohammedanis etc natis, sed etiam a Christianis natis, postea apostatis.

2. *Hic motus tristis ortus est a Naturalismo et Deismo, qui sae-* 166
culo 17. *et 18. floruit* primo in Anglia, deinde in Gallia (Encyclopaedistis), et inde praesertim in Germaniam ingressus est et per Chr. Wolff philosophum († 1754) longe diffusus est. *H. Samuel Rei-*

marus († 1768), professor gymnasii Hamburgensis, composuit „Fragmenta", in quibus religionem prorsus naturalem systematice defendit, revelationem et ordinem supernaturalem omnem ex professo reiecit et impugnat; in Fragmento septimo agit de Christo eiusque doctrina, respuit omnia vaticinia messiana, omnia miracula Christi disserendo ea esse ab apostolis ficta. Reimarus ipse hoc opus non publicavit metu theologorum, sed post eius mortem G. E. Lessing († 1781) cum notis edidit. Cfr. *A. Schweitzer*[1]). Reimarus invenit permultos asseclas et discipulos, imprimis *E. G. Paulus*, professorem Univ. Heidelberg.[2]) et *David Friedr. Strauß*.[3]) Reimarus et Paulus evangelia quatuor admiserant ut fontes historiae Christi, sed omnia supernaturalia praesertim miracula repellere conati erant, omnia exponentes mere naturaliter. Strauß recte intellexit, hoc non possibile esse; quare contendit, evangelia non narrare historiam, sed dumtaxat mythos, qui contineant ideas religiosas; has ideas ex velaminibus mythicis enucleare studens tota evangelia et totam vitam Christi dilaceravit et pervertit. In Gallia imprimis *E. Renan* in scriptis potius poëticis quam historicis (Vie de Iésus etc) fidem Christi supernaturalem subvertit.

167 3. Alii non solum consenserunt cum Reimaro, Strauss, Renan etc in reprobanda traditione de persona Christi et eius religione, sed etiam *positive statuere studuerunt, quid revera Christus fuerit, quid docuerit*, quae sit essentia propria religionis ab eo fundatae. Ad hunc finem critice consideravere fontes historiae Christi, imprimis evangeliorum. *Unanimiter reprobavere evangelium S. Ioannis* ut fontem historicum, cum Ioannes non sit historicus, sed solummodo theologus, non det historiam, sed dumtaxat theologiam, id est reflexiones, quas ipse aliique saeculo secundo vel tertio de persona Christi eiusque doctrina excogitaverint; eo ipso evangelium quartum non ab apostolo Ioanne, sed ab alio compositus esse dicitur. *Chr. H. Weise* († 1866) proposuit hypothesim a posteris criticis rationalisticis usque ad dies nostros unanimiter acceptam, *Marcum scripsisse ante Mathaeum et Lucam et eorum fontem esse.* Marcus autem et ipse putatur usus esse duobus fontibus originalibus, id est uno, qui continuit res a Christo factas, et altero, qui tradidit verba et sermones Christi (Logia). Res a Christo gestas praecipuas Marcus in evangelium suum, quale nunc est, assumpsit; alii Synoptici, scil. Mathaeus et Lucas, praeter res iam a Marco narratas praesertim verba et sermones Christi assumpsere, ea ex Logiis dictis exhaurientes. Sed Synoptici praeterea etiam multa alia in dictis duobus fontibus non contenta assumpsisse feruntur, praesertim miracula; sed haec non iam historica sunt, sed dumtaxat legendae, quae a Christianis primi

[1]) Von Reimarus zu Wrede. Eine Geschichte der modernen Leben-Jesu-Forschung. Tübingen 1906. — *Jos. Engert*: H. S. Reimarus als Metaphysiker, Paderborn 1908.
[2]) Das Leben Jesu als Grundlage einer reinen Geschichte des Urchristentums 1828.
[3]) Das Leben Jesu für das deutsche Volk bearbeitet 1864.

vel secundi saeculi ad personam Christum ornandam et illustrandam inventa et ficta sunt; exprimunt ergo non ea, quae Christus ipse fecit, sed quae ecclesia primitiva de eo cogitavit; et ita *proponunt nobis non Christum historiae, sed Christum fidei, scil. fidei antiquae.*

4. Deinde *studuerunt invenire Christum historicum.* Tres sy- **168**
noptici, praesertim Marcus (Ioannes a priori ut merus theologus prorsus exclusus erat) critice inquisiti, exquisiti et excerpti sunt, ut ea tantum statuerentur, quae dicti duo fontes originales tradebant, et omnia alia ut a Christianis ficta et addita reprobarentur, praesertim miracula. At narrationes miraculosae non omnes prorsus reiectae sunt, sed naturaliter expositae sunt velut multae sanationes morborum et expulsiones daemonum (per suggestionem etc). Ad Christum historicum facilius et certius inveniendum alii velut *E. Schuerer, W. Bousset, I. Wellhausen* etc incubuerunt ad studium Iudaismi temporibus Christi, alii velut *K. H. Weizsaecker, O. Pfleiderer, A. Harnack, P. Wernle* ad studium Christianismi primorum saeculorum, immo alii etiam ad studium religionum alienarum velut Buddhismi; opinati sunt, ad personam Christi eiusque doctrinam et religionem magis illustrandam et explicandam etiam inde momenta varia adhibita esse. Haec studia ostenderunt, antiquiores oppugnatores divinitatis Iesu Christi nimis excessisse, praesertim eo quod evangelia synoptica ponerent in saeculum secundum vel tertium et ea reprobarent ut fontes nullius prorsus ponderis historici. In dies magis reditum est ad traditionem antiquam, praesertim per *A. Harnack.* Secundum eum Marcus evangelium suum scripsit probabiliter paulo post ann. 60 et certe ante a. 70, Mathaeus brevi post a. 70; evangelium Lucae et Actus Apostolorum conscripta sunt post a. 60 et ante a. 70, vivente adhuc S. Paulo; evang. Ioannis non post an. 110; Marcus, Mathaeus et Lucas ipsi auctores sunt scriptorum sibi attributorum.[1]) Eo ipso evangelia synoptica composita sunt ab auctoribus, qui ipsi vixerunt et conversati sunt cum Christo ipso vel saltem cum iis, qui cum eo erant, facta eius ipsi viderant, verba eius ipsi audiverant; et sic sunt fontes historici momenti non parvi.

5. Alterea ex parte etiam *Harnack, Pfleiderer, Wernle* etc **169**
multique alii theologi protestantes velut *G. Pfannmueller, O. Holtzmann, Iuelicher, Io. Weiss* etc C h r i s t u m p u t a n t t a n t u m m o d o h o m i n e m n u d u m, etsi extraordinarium, reprobant ex vita eius omnia miracula propria aliasque res supernaturales, praesertim divinitatem, praeexistentiam, conceptionem et nativitatem ex virgine intacta. Omnia huiusmodi, quatenus non naturaliter declarari possunt, ut spuria et legendas censent. Ratio ultima est: Miracula aliaque supernaturalia impossibilia sunt, ergo reiicienda, ubicumque occurrunt, etsi testes fide dignissimi velut synoptici referunt. In hoc omnes Rationalistae consentiunt.

[1]) Neue Untersuchungen zur Apostelgeschichte u. z. Abfassungszeit der synoptischen Evangelien, Leipzig 1911, 81 ss, 93.

170 6. Valde autem dissentiunt quoad ea, quiset quid Christus revera fuerit, quid docuerit et voluerit, quae sit essentia et substantia eius doctrinae et religionis. Criterium certum et obiectivum non habetur, relinquuntur nonnisi iudicia subiectiva. Multi velut Harnack opinantur, Christum nonnisi docuisse evangelium de regno Dei, Deum esse nostrum patrem benignum, in quem habeamus filialem amorem, fiduciam etc. Sed alii respuunt hanc expositionem, sentiunt aliter, unusquisque apud Christum id invenire vult, quod ipse est vel magni aestimat: moderni Socialistae putant eum reformatorem rerum socialium eximium, Neobuddhistae praedicatorem redemptionis per perfectam abnegationem et annihilationem sui ipsius, Pantheistae perfectum pantheistam, unum cum Deo, a Deo prorsus absorptum; Antisemitae inimicissimum Iudaeis, qui ne genuinus quidem Semita sit, sed oriatur ab Ariis seu Indogermanis; alii putant eum esse praedicatorem et asseclam amoris in proximum mere humani et naturalis; Occultistae, Spiritistae, Theosophi, Rationalistae, Pacifistae, Pseudomystici etc suas ideas et artes apud eum inveniunt. Sic Christus similis est Scripturae S., in quo unusquisque quaerit et invenit dogmata sua.

171 7. Quia sic ideae et res inter se diversissimae eaeque omnes in gradu extraordinario in Christo esse putantur, nullus autem homo communis vel normalis haec omnia praestare potest, mirum non est, quod alii velut *E. Rasmussen*, *G. Lomer*, *J. Baumann* credunt, eum non fuisse sana mente, sed enthusiastam et exstaticum, hallucinantem, immo epilepticum et hominem prorsus mente captum, cuius consideratio non ad philosophos vel theologos, sed ad psychiatros spectat.

172 8. Pariter alii velut *A. Kalthoff*, *P. Jensen*, *A. Drews*, *Fr. Steudel*, *W. B. Smith* non sine rationibus probare studuerunt, Christum non exstitisse, esse personam mere fictam seu personificationem idearum abstractarum velut deos mythologiarum. Alii velut *E. von Hartmann*, *W. von Schnehen*, etiam *O. Pfleiderer*, non adeo progressi sunt, sed saltem arbitrantur, de persona et factis Christi nos non multum certi scire. Tam profunde lapsa est moderna ars critica et theologia acatholica. Volunt esse Christiani, sed sine Christo, saltem sine Christo Deo, undequaque et passim negantes eius divinitatem. At fides in Christi divinitatem ab initio ecclesiae veritas fundamentalis Christianismi existimata est, etiam a parte Iudaeorum, Paganorum aliorumque omnium adversariorum non christianorum. Quare iam *Strauss* eumque sequentes alii velut *E. v. Hartmann* aperte dicunt, se et nos non iam esse Christianos. Irrident et illudunt eos, praesertim theologos protestantes, qui in omni negatione veritatum fundamentalium christianarum adhuc Christiani

esse volunt. Sic ars critica moderna inquirendo „Christum historicum" ad scepticismum, immo ad nihilismum quoad personam et doctrinam eius pervenit. Reprobantes eius divinitatem et quaerentes solum hominem historicum, etiam humanitatem e manibus amisere; cum reprobatione originis supernaturalis et divinae religionis christianae adeo progressi sunt, ut nesciant, quid Christus docuerit, et voluerit.

II. Redargutio.

1. Redargutio horum errorum nefandorum ex tractatibus se- 173
quentibus elucebit. Negationem existentiae Christi refellere non opus est; pariter non ex professo ostendimus, eum fuisse mente sana. Nam hoc ex tractatibus sequentibus luce clarius apparet, etiam a plurimis modernis criticis, qui expresse divinitatem, miracula et omnia supernaturalia Christi repellunt, velut ab Harnack, Bousset, Schmiedel, Weinel etc satis factum est; hi inter alia declarant, negationem existentiae Christi magno dedecori esse modernae scientiae et criticae arti. At negatores velut Drews[1]) fusius disserunt, Harnack etc sibi ipsis adversari et contradicere, quia principia sua non accurate vel consequenter adhibeant; Drews prolixe et docte probare studet, Christum nihil esse nisi ideam messianam iam apud Iudaeos, Philonem etc ante Christum inveniendam. Cum permultis aliis dumtaxat interrogamus, quomodo sexcenti a saeculis fere 20, Christiani, Iudaei, Pagani etc in existentiam Christi credere potuerint, si non vixit, vel quomodo mera idea abstracta et ficta tantum efficere valuerit, quantum Christianismus reapse effecit, transmutans totam humanitatem et eam evehens ad religionem purissimam, ethicam etc sublimissimam?[2]) Pariter non reprobamus ex professo assertionem, Iesum fuisse non mente sana; quomodo homo vesanus tanta et talia operari potuit, quanta et qualia nullus alius ante eum et post eum operatus est? Eum gavisum esse mente sana, iam alii diserte demonstravere.[3]) Signum triste temporis nostri est, indolem extraordinariam identificari cum indole anormali et pathologica.

2. In hac paragrapho notemus dumtaxat pauca de persona 174
Christi eiusque doctrina in genere. Quia evangelium Marci dicitur esse antiquissimum omnium et optimus fons de Christo historico, breviter ostendamus, iam Marcum essentialiter idem docere, quod alii evangelistae et etiam Ioannes docent.

a) Absque dubio S. Marcus nihil tradit de supernaturali conceptione et nativitate Christi, de rebus miraculosis vel saltem stu-

[1]) Die Christusmythe II, Jena 1911.

[2]) Cfr. *Fr. Meffert*, Die geschichtliche Existenz Christi, 1904. — *A. Hauck*, „Jesus" 1921, 1 ss.

[3]) Cfr. *Ph. Kneib*, Moderne Leben-Jesu-Forschung unter dem Einflusse der Psychiatrie, Mainz 1908. — *Herm. Werner*, Die psychische Gesundheit Jesu 1909.

pendis hac occasione factis; prorsus nihil enim scribit de eius pueritia; sed de omnibus his tacet etiam S. Ioannes, etsi ad probandam divinitatem Christi maxime idonea fuissent. Apud Ioannem legimus in fine (20, 31): „Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius." Marcus autem incipit (1, 1) verbis: „Initium evangelii Iesu Christi, filii Dei." Et in ultimo capite (16, 16): „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur." Apud Ioannem iteratis vicibus notatur, opera et miracula Christi probare suam missionem et dignitatem divinam (cfr. 2, 11; 11, 14 ss; 12, 10 s, 37). Secundum Marcum Iesus non solum ipse multa miracula patravit, sed etiam discipulis suis dedit similem potestatem (3, 15): „Dedit illis potestatem curandi infirmitates et eiciendi daemonia" (cfr. 6, 7). „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent et bene habebunt" (16, 17 s). Certe secundum Marcum, antequam aegros sanaret, saepius fidem in se postulavit; sed sedavit etiam procellam magnam venti et mare procellosum subito et solo verbo (4, 37 ss), et satiavit paucis panibus et piscibus iteratis vicibus complura milia hominum (6, 37 ss, 8, 1 ss; cfr. Io 6, 5 ss); operatio per suggestionem heic prorsus exclusa est. Ioannes appellat ad prophetias in Christo adimpletas (cfr. 19, 24. 36 s; idem facit Marcus 1, 2 s; 14, 49; 15, 28). Christus autem et ipse varia futura praenuntiavit velut interitum urbis Ierusalem (13, 1 ss), proditionem Iudae et negationem Petri, quae omnia verbotenus evenerunt (14, 18 ss, 29 s, 43 ss, 54 ss). Mathaeus, Lucas et Ioannes proponunt multos sermones prolixiores; Marcus minus tales narrat, sed innuit Christum tales non paucos habuisse; nam varias parabolas saltem abbreviatas dat cap. 4, inter quas parabolam de seminante et semine v. 2—20 et in fine declarat v. 33 „et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum"; 12, 1—12 in parabola de vinea et agricolis innuit ipsum esse Messiam, immo filium Dei, similiter atque Ioannes in sermonibus multis. Se esse Messiam, saepius innuit se dicens „filium hominis" (cfr Dn 7, 13 s) velut 2, 10, 28; 9, 8, 11, 30; 10, 33, 45; 13, 26; 14, 21, 41. Dicitur filius David (Messias) 10, 47; 12, 35; Christus = unctus 1, 1; 8, 29; 9, 40; est verus Christus, contra quem falsi Christi resurgent in fine mundi (13, 21 s), filius Dei 1, 1; 13, 32; cum baptizaretur a Ioanne Baptista „vox facta est de caelis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui" (1, 11); similiter in transfiguratione in monte, ubi apparuerant cum eo loquentes Elias et Moses, coram apostolis Petro, Iacobo, Ioanne „facta est nubes obumbrans eos, et venit vox de nube dicens: Hic est filius meus carissimus, audite illum" (9, 1 ss). Etiam daemones, quos expellebat, nominant eum „Sanctus Dei" (1, 24. 34), „filius Dei" (3, 12), „filius Dei altissimi" (5, 7). Paucis diebus ante mortem suam

non recusavit, sed accepit venerationem multorum dicentium: „Hosanna; benedictus qui venit in nomine Domini; benedictum quod venit regnum patris nostri David; Hosanna in excelsis“ (11, 8 ss). Sicut apud Ioannem a Pilato interrogatus, an esset rex Iudaeorum, respondit affirmative (18, 33 ss), sic etiam secundum Marcum (15, 2), etsi sciebat, hoc responsum sibi detrimento esse futurum. Ab Caipha summo sacerdote solemniter rogatus: „Tu es Christus, filius Dei benedicti?“, dixit illi: „Ego sum, et videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus caeli.“ Ob hoc blasphemiae accusatus capitis damnatus est (14, 61 ss). Locutus et operatus est, sicut homo communis non valet neque audet, si non mente captus declarari vult: „Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt“ (13, 31). Paralytico dixit: „fili, dimittuntur tibi peccata tua“; cum Scribae, inimicissimi praesentes cogitarent, „quid hic sic loquitur? blasphemat, quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?“ nullum verbum retraxit, sed ostendit se cognovisse cogitationes eorum secretas, et curavit subito infirmum probandi causa, se habere potestatem divinam et esse Messiam: „Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge, tolle grabatum tuum et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Et statim surrexit ille, et sublato grabato abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum dicentes: quia numquam sic vidimus“ (2, 5 ss). Quid mirum, si hic Iesus praedixit saepius suam resurrectionem post tres dies a morte faciendam (8, 31; 9, 30; 10, 34; 14, 28), sed etiam revera resurrexit et vivus apparuit Mariae Magdalenae, duobus discipulis in via et undecim apostolis insimul ad mensam recumbentibus? (16, 1—14). His apostolis mandavit „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae“. „Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermone confirmante, sequentibus signis.“ (16, 15 ss.)

b) Ex his luce clarius apparet, Marcum es- 175
sentialiter idem docere atque Ioannem de Christo; „historicus“ Marcus non minus ex professo et de industria ostendit eum esse Messiam, Filium Dei, Deum ipsum quam „theologus“ Ioannes. Id concedunt etiam theologi critici et rationalistae moderni. Inter alios e. c. *O. Pfleiderer* ait,[1]) hunc evangelistam omnium antiquissimum in scribendo ductum esse intentione apologetica, scil. ostendendi causa, Iesum Nazarethanum, etsi Iudaei eum reprobabant, fuisse Messiam et Filium Dei; immo

[1]) Die Entstehung des Christentums, München 1905, 188 ss.

in duobus locis Iesum ipsum facere docentem se dare vitam in redemptionem multorum, scil 10, 45: „Filius hominis venit . . . ut daret animam suam redemptionem pro multis"; et 14, 24: „hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur." Sic iam Marcus sicut Paulus mortem Christi ut redemptionem vicariam pro aliis designat. Non aliter A. Drews (I. 1909, 124 ss) effert, iam Marcum agnoscere Iesum ut filium Dei et hoc probare per multa miracula; idem animadvertit, nos nihil scire de fontibus velut de Logiis, ex quibus Marcus exhausisse putatur. Sic ex „Christo fidei" „Christus historiae," et ex „Christo historiae" Christus nullius existentiae factus est.

176 3. Rationalistae et Naturalistae neque historice neque psychologice declarare possunt, quomodo „Christus historiae" tam celeriter „Christus fidei" factus sit.

a) Certum est apostolos brevi post mortem Christi quasi alios viros factos esse, publice prodiisse et constanter dignitatem messianam et divinitatem Iesu Christi pronuntiasse coram Iudaeis et Paganis, etiam inimicissimis, pro hac fide per totam vitam multum laborasse et passos esse, ipsam mortem sustinuisse. Antea erant timidi et increduli; Mc 16, 14 scribit, quod Iesus „undecim apparuit et exprobavit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt" (cfr. Lc 24, 17 ss). *Stephanus* pariter brevi post mortem Iesu, forsan adhuc eodem anno, pro fide in dignitatem messianam Iesu a Iudaeis lapidatus est et in ipso supplicio „plenus Spiritu Sancto, intendens in caelum, vidit gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris Dei, et ait: Ecce video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei" (Act 7, 55 s). Inter omnes constat, praesertim *S. Paulum* „Christum fidei," id est fidem in eius messianitatem, praeexistentiam, divinitatem, etiam in eius mortem vicariam loco totius generis humani ad redemptionem a peccatis etc docere firmiterque tenere idque iam in illis epistolis, quae velut ad Romanos, Corinthios, Galatas et Thessalonicenses undique, si excipis paucos hypercriticos, certe genuinae et antiquissimae omnium censentur. Item passim conceditur, Paulum ante evangelistas has epistolas scripsisse idque inter annos 50—60. Theologi rationalistae moderni etiam opinantur, has epistolas scriptas esse multo prius quam Marcus ceterique evangelistae scriberent evangelia sua. Secundum theologos catholicos Mathaeus et Marcus brevi post a. 40, certe ante a. 50 scripsit, Lucas certe ante destructionem urbis Ierusalem a. 70, Ioannes cir. an. 96. Pro compositione his annis facta rationes graves loquuntur, nulla autem ratio irrefutabilis contra opinionem contrariam proferri potest. Sicut supra (n. 168) vidimus, secundum A. Harnack Marcus paulo post annum 60, Lucas et

Mathaeus non multo postea evangelia sua composuere; etiam Actus Apostolorum exarati sunt a Luca ante a. 70, vivente adhuc S. Paulo. Paulus autem, etsi ipse Christum vivum (ante mortem) non vidisse putatur, saltem cognovit multos, qui eum viderant. Nam narrat (1 Cor 15, 6), adhuc multos eorum, quibus Christus a mortuis redivivus apparuit, inter vivos esse. Scribit etiam, se vidisse apostolum „Iacobum, fratrem Domini", apud Petrum mansisse diebus quindecim idque tribus annis post suam conversionem Damasci (Gal 1, 17 ss). Haec conversio autem fuit secundum Harnack[1]) anno 30 seu eodem quo Christus obiit, vel anno saltem immediate sequente. Paulus conversus „fuit cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot, et continuo in synagogis praedicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei ... et confundebat Iudaeos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus" (Act 9, 19 s, 22). Paulus ergo eam fidem, quam habuit postea in Iesum ut Filium Dei, habuit et praedicavit iam ab conversione sua seu forsan eodem anno quo Christus obiit. Historice ergo constat, iam tunc „Christum fidei" fuisse saltem apud Paulum essentialiter eundem, quem postea in scriptis suis passim docet et pro quo mortem crudelem subiit. Quomodo hoc factum psychologice declarari potest, si Christus fuit persona mere humana, quae prorsus nihil supernaturale fecit et passus est?

b) Historice autem et psychologice nullatenus probari potest, 177
quomodo apostoli, Stephanus, Paulus multique alii in intellectu et voluntate, in cogitatione, verbo et opere quasi subito alii homines facti sint, id ceperint et defenderint publice, quod brevi ante ignorabant vel detestabantur, et labores, passiones durissimas, immo mortem crudelissimam pro ideis suis cum gaudio et desiderio summo sustinuerint, si non Christus revera exstiterat, id erat et per signa miraculosa confirmaverat, quod esse volebat, scil. Messias, Filius Dei, Deus ipse.

III. Condemnatio.

Errores theologorum et criticorum acatholicorum rationalisti- 178
corum etiam in ecclesiam catholicam hincinde ingressi et a Modernistis assumpti sunt, praesertim ab A. Loisy, etsi crebro ideas falsas ab Harnack aliisque defensas reprobat. Refutatio iam ex dictis apparet et plus apparebit ex paragraphis sequentibus. Heic sufficiat appellare propositiones a Pio X. (Lamentabili 1907, n. 27—38) damnatas in medium proferre velut N. 27: „Divinitas Iesu Christi ex evangeliis non probatur, sed est dogma, quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit." — N. 29: „Concedere licet Christum, quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo, qui est obiectum fidei." — N. 31: „Doctrina de Christo, quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum,

[1]) Die Chronologie der altchristl. Literatur bis Eusebius 1897, I, 237.

Chalcedonense, non est ea, quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana." — N. 32. „Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo, quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi." — N. 35: „Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messianicae." — N. 36: „Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit." — N. 37: „Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis quam de vita Christi immortali apud Deum." — N. 38: „Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina."

Zeitschrift f. kathol. Theol. 1912, 425 ss, 665 ss. — *Fr. Maier*, Die drei ältern Evangelien, 1912. — *P. Dausch*, Die synoptische Frage, Münster 1914. — Idem: Das Johannesevangelium l. c. 1911. — Die Zweiquellentheorie und die Glaubwürdigkeit der drei älteren Evangelien l. c. 1915. — *J. Sickenberger*, Lehre Jesu nach den vier Evangelien, Münster 1915, 1917, 1921. — *Fr. Tillmann*, Die Quellen des Lebens Jesu, ihre Entstehung und ihr Wert (Religion, Christentum, Kirche, II. B., 1. Teil, Kempten und München 1920. — *E. Jacquier*, La crédibilité des évangiles 1913. — *Ign. Rohr*, Der Vernichtungskampf gegen das bibl. Christusbild; et: Ersatzversuche für das bibl. Christusbild, Münster 1908. — *Herm. Jordan:* Jesus und die modernen Jesusbilder, Groß-Lichterfelde 1909. — *P. Dausch*, Christus in der modernen sozial. Bewegung, Münster 1920. — *F. X. Kiefl*, Der geschichtliche Christus und die moderne Philosophie, Mainz 1911.

§ 2. De vaticiniis veteris testamenti in persona Christi impletis.

I. Revera sunt vaticinia messiana.

179 Contra permultos Rationalistas etc nostri temporis, contra theologos, praesertim exegetas aliquos etiam catholicos, Commissio Pontificia de re biblica 29. Iunii 1908 negative respondit ad dubium: „Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae, et passim in Scripturis, non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, coniciendo praenuntiasse." — Sufficit ostendere in id, quod evangelistae non raro scribunt: Hoc autem factum est, ut adimpleretur Scriptura, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam etc (cfr. Mt 2, 5 s, 15; 3, 3; 27, 35; Mc 1, 2 s; 14, 49; 15, 28; Lc 4, 21; 24, 25, 27; Io 7, 38, 42; 19, 24, 36, 37.) — Idem docent Patres in locis sexcentis.

II. Ex prophetiis in Christo adimpletis tantum nonnullas eligimus easque tales, quae sunt maxime perspicuae, non ambiguae vel obscurae, et quarum impletio etiam ab infidelibus facile cognosci potest.

180 1. Gen. 49, 10. Vaticinium Iacobi patriarchae: *„Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec* (ad ki)

veniat, qui mittendus est (Schiloh), *et ipse erit exspectatio* (Iikkehah) *gentium.*"

a) *Character Messianus hujus vaticinii.* — Verba dicta Iacobi patriarchae morientis referenda esse ad Messiam, est unanimis consensus antiquitatis christianae et iudaicae. Talmud, Targumim et Rabbini maxime eximii hunc locum de Messia futuro exponunt.

b) *Sensus huius prophetiae.* — α) Messias prodibit ex tribu Iuda. — β) Sceptrum et dux, id est hegemonia, principatus vel saltem autonomia quaedam, non auferetur a tribu Iuda, donec venerit Messias. Hic veniet brevi, antequam Iuda hanc praerogativam amiserit; si quando hic principatus prorsus et indubitanter a Iuda ablatus erit, hoc certissimum signum erit, Messiam iam apparuisse. — γ) Messiam omnes populi exspectabunt eique servient et oboedient. — Non obstant multae controversiae de verbis singulis, praesertim de significatione vocis „Schiloh" et „Iikkehah". „Schiloh" interpretatur Vulgata: „qui mittendus est"; alii reddunt „semen" (filius, proles); alii „donec veniant ea, quae ei reposita sunt" (scil. regnum, quod Messiae competit). Omnes hae expositiones in eo conveniunt, quod tempore assignato ex Iuda Messias prodibit. Ita etiam Iudaei interpretantur, e. c. Onkelos, paraphrastra chaldaicus saeculo secundo post Chr. n. exponit: „donec veniat Messias, cuius est regnum"; Targum Hierosolym. habet: „usque ad tempus, quo veniat Messias rex." — Vox „Iikkehah", quam Vulgata reddit „et ipse erit exspectatio" (gentium), ab aliis vertitur: „et ipsi erit oboedientia" (populorum) vel „et ipsi erit congregatio" (populorum). Omnes hae interpretationes referendae sunt ad Messiam. — Demum a saeculo 12. p. Chr. n. Iudaei conati sunt aliam versionem dare, scil.: „sceptrum a Iuda non recedet in aeternum, quia Messias veniet." At haec versio est artificiosa nec per tria millenaria cognita erat vel apud Iudaeos vel apud Christianos.

c) *Haec prophetia in Iesu Christo adimpleta est.* — α) Christus 181
fuit non solum ex semine Abrahae et Isaaci, sicut iam antea praedictum erat (Gn 18, 18; 22, 18), sed etiam ex tribu Iuda. — β) Apparuit eo tempore, quo principatus vel saltem autonomia maxima ex parte paulo ante a tribu Iuda ablata erat et reliqua ex parte mox auferenda erat. Haec tribus iam in terra promissionis capienda principatum inter tribus duodecim habuit, immo a tempore David usque ad exilium babylonicum dignitatem regiam obtinuit. Etiam in exilio et postea haec tribus ornata erat hegemonia et iurisdictione quadam, etsi minore. Legimus enim (1 Esr 1, 8), Sassabasar dici principem Iuda. Esther 13, 4 tradit, Iudaeos etiam sub potestate persica usos esse propriis legibus. Etsi Machabaei, qui post exilium populo Israel praeerant, non ex tribu Iuda erant, tamen ipsi et omnes alii Israelitae Iudaei dicebantur, quia tribus Iuda praedominabatur et Ierusalem, urbem sanctam, sedem templi, tenebat. Cum postea Herodes Idumaeus (ex Edom seu Esau oriundus) eiusque filius

Archelaus regnaret, sceptrum proprium a Iuda ablatum erat, et tunc Christus natus est. Sed, etiam cum post mortem Archelai Iudaea immediate sub potestatem Romanorum redacta esset, procuratores Romani Iudaeis autonomiam et iurisdictionem quandam reliquerunt, quare Pilatus Iudaeis Christum accusantibus respondebat: „Accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate“ (Io 18, 31); ex eadem potestate Iudaei postea apostolos incarcerare et flagellis caedere, Stephanum lapidare potuerunt. Sed deleta urbe Ierusalem et Iudaeis in omnes gentes dispersis, certe omnis reliqua autonomia tum politica tum religiosa a Iuda ablata est, ergo saltem brevi ante annum 70. post Chr. n. Messiam apparuisse secundum praedictionem Iacobi necesse est. Christus ergo certe eo tempore apparuit, quod Iacob praenuntiaverat, utcumque eius vaticinium interpreteris. — c) Item Christo servierunt et oboedierunt populi et ipse fuit exspectatio gentium vel „desideratus cunctis gentibus“ (Agg 2, 8). Pagani et Iudaei tempore Christi, praesertim in libris pseudocanonicis velut in libro Henoch et in libro Iubilaeorum, putavere, tunc regem magnum ex Iudaea esse prodituram. Scribit etiam *Tacitus*[1]): „Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens profectique Iudaea rerum poterentur.“ Et *Suetonius*[2]): „Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.[3])“

182 2. Daniel 9, 24—27: „Septuaginta hebdomadas abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum (v. 24). Scito ergo et animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt, et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum (v. 25). Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus et non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis erit vastitas, et post finem belli statuta desolatio (v. 26). Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio“ (v. 27). Hic textus Vulgatae bene convenit cum textu hebraico.[4]) — Hic est dicendum:

[1]) Hist. 5, 13. — [2]) Vita Vespasiani c. 4.

[3]) Cfr. *Bade J.*, Christologie des Alt. Testam. 1858. I. 89 ss. — *Lüken*, 300 ss. — *Kröll*, 37 ss.

[4]) De hoc loco interpretationes permultae a temporibus Patrum usque nunc prolatae sunt (cfr. *Fr. Fraidl*, Die Exegese der 70 Wochen in der alten und mittleren Zeit, Graz 1883). Textus Vulgatae congruit cum textu graeco Theodotionis, quem iam Pastor Hermae et etiam ecclesia recepit. Textus LXX. prorsus corruptus est.

a) *Haec prophetia est Messiana.* — Id patet ex verbis: Christus, ungatur Sanctus Sanctorum, ut consummetur praevaricatio (restauretur apostasia generis humani a Deo) etc.

b) *Prophetia designat non tempus indefinitum*, sicut falso exponunt Iudaei recentiores, *sed certam epocham annorum*, cuius terminus a quo et terminus ad quem praecise fixus est. Hoc apparet ex voce „abbreviatae sunt" (*συνετμήθησαν* = decisae vel accurate determinatae sunt); item ex eo, quod numerus 70 hebdomadum subdistinguitur in numeros 7 + 62 + ½ + ½ (v. 25 et 27).

c) *Hebdomas non significat tempus 7 dierum, sed 7 annorum.* — Hoc elucet ex eo, quod impossibile est, intra 70 hebdomades 7 dierum seu intra 16 menses omnia ea fieri, quae facienda praenuntiantur, scil. reversio Iudaeorum ex Babylonia in Palaestinam, reaedificatio urbis Ierusalem et templi, tota vita et operatio Messiae, secunda destructio urbis et templi. De hebdomadibus 7 annorum etiam alibi mentio est, e. c. Lv 25, 8; et Dn 10, 2 ipse innuit distinctionem inter hebdomades dierum et hebdomades annorum scribens: „in diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus."

d) *Praedicti sunt complures eventus, qui omnes tempore praefinito revera acciderunt:*

α) *Reaedificatio Ierusalem post 7 hebdomades* seu 49 annos ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur. Hoc factum est idque certe tempore praedicto, etsi nobis ex defectu fontium historicorum impossibile est accurate probare. Idem factum est „in angustia temporum". Secundum 2 Esr 4, 8, 17 s enim gentes finitimae armata manu structuram urbis impedire studuerunt.

β) *Apparitio Messiae post 7 + 62 hebdomades seu 483 annos.* — 183
Controversia est, a quo anno computandus sit terminus a quo, scil. „exitus sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem". Videtur intelligendum esse aliquod decretum regum Persarum. Atqui in libris Esdrae occurrunt nobis quattuor eiusmodi edicta. Primum edidit Cyrus primo anno regni (I. 1, 1), secundum Darius (I. 6), tertium Artaxerxes septimo regni sui anno (I. 7, 7 ss), quartum idem Artaxerxes vicesimo regni sui anno (II. 2). Sicut Knabenbauer[1]) disserit, certe tenendum est tertium edictum seu id, quod emisit Artaxerxes septimo anno, id est anno 457. a. Chr. n. Si procedimus ab hoc anno et 483 annis descendimus, pervenimus ad annum 26. p. Chr. n. aerae nostrae. Circa hoc tempus autem Iesus Christus in Iordane baptizatus est et publice ut Messias apparuit. Annus praecisus huius apparitionis certe non constat, quia sub lite est, quo anno Christus natus sit, et quot annos publice docuerit. Secundum computationes astronomicas Christus 7. Aprilis anni 30. mortuus est, et ad hunc annum pervenimus si ad annos 483 adnumeramus annos 3½ seu dimidium hebdomadis, de quo propheta loquitur. At quomodocum-

[1]) Comment. in Daniel. 1891. p. 248 ss.

que res se habet, certum est, praesertim tempore Iesu Christi Iudaeos credidisse, adventum Messiae immediate instare[1]); quare Ioannes Bapt. (Mt 11, 3) Christum interrogavit: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?“ Item manifestum est, epocham temporis a Daniele praenuntiatam certe decurrisse ab eversione urbis et templi seu ab eo tempore, quo deficit hostia et sacrificium et in templo est abominatio desolationis.

γ) Prophetatum est, Messiam publice prodituram esse per dimidium hebdomadis seu per annos circa tres et dimidium, unctum iri ut Sanctum Sanctorum, a populo negatum et occisum iri, cum multis pactum initurum seu eos ad partes suas tracturum esse. — Omnia haec evidenter in Christo adimpleta sunt. Hic enim per annos circa tres publice docuit, in Iordane coram Ioanne visibiliter Spiritu S. unctus est et dictus Filius Dei, ergo revera Sanctus Sanctorum; idem a Iudaeis qua Messias negatus et occisus est. Item Christus novum pactum seu novum foedus instituit, plurimos ad se convertit sive ipse sive per discipulos suos etiam ante destructionem Ierusalem.

δ) Praedictum est, post occisionem Messiae populum alienum cum duce venturo Ierusalem et templum dissipaturum esse ita, ut usque ad consummationem saeculi defectura sit hostia et sacrificium et futura sit abominatio desolationis. Haec litteraliter evenerunt per Romanos sub Vespasiano mox post mortem Christi. Iulianus apostata quidem, ut hanc templi praeordinatam desolationem irritam faceret, iussit, templum per Alypium quendam reaedificari. At confusus est imperator, immo effecit, ut adimpleretur id, quod Christus ipse praenuntiaverat, scil. fore ut „non relinqueretur lapis super lapidem, qui non destruatur“ (Mt 24, 2). Tradit enim rerum scriptor coaevus Ammianus Marcellinus paganus:[2]) „Cum itaque rei idem fortiter instaret Alypius iuvaretque provinciae rector, metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris adsultibus erumpentes fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum; hoocque modo elemento destinatius repellente cessavit inceptum.“ Item refert Rufinus,[3]) Gregorius Naz.,[4]) Socrates,[5]) Theodoretus.[6])

184 3. [Agg. 2, 7 ss et Mal. 3, 1 ss praenuntiant, Messiam secundum templum ingressurum esse. *Aggaeus* scribit: „Adhuc unum modicum est et ego commovebo caelum et terram et mare et aridam et movebo omnes gentes et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum . . .

[1]) Cfr. *Langen*, Das Judentum in Palästina zur Zeit Christi. 1866, 391 ss.
[2]) Rerum gest. l. 23, cap. 1.
[3]) Hist. eccl. 1, 37 s; M. 21, 505.
[4]) Or. 5, n. 4; M. 35, 670.
[5]) H. e. 3, 20; M. 67, 430.
[6]) H. e. 3, 15; M. 82, 1111.

Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum, et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum." — *Mal*: „Ecce mitto angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis; ecce venit, dicit Dominus exercituum." — Hic praedicitur praecursor Messiae et statim post hunc adventus Messiae ipsius, qui templum ingredietur. Christus habuit praecursorem prophetam magnum, scil. Ioannem Bapt., et immediate post eum apparuit ipse et intravit in templum.

4. M c h 5, 2 nativitatem Messiae in Bethlehem futuram praenuntiat: „Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel."

5. I s 35, 5 s prophetavit, Messiam miracula esse patraturum: „Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit lingua mutorum."

6. Z a c h 9, 9: „Ecce rex tuus veniet tibi, iustus et salvator, ipse pauper et ascendens super asinam." Haec prophetia impleta est, cum Christus in asina sedens Ierusalem intravit et populus eum excepit dicens: Hosanna filio David (Mt 21, 1 ss). Christus potuit quidem efficere, ut ipse in asina sedens Ierusalem ingrederetur, sed non potuit naturaliter efficere, ut qua rex salutaretur et reciperetur.

7. E x v a t i c i n i i s q u o a d p a s s i o n e m C h r i s t i tantum duo citentur, quae sunt praecise distincta et quorum impletio non a Christo dependebat. Ps 21, 17 ss: „Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta et super vestem meam miserunt sortem." — Ps 68, 22: „Et dederunt in escam meam fel et in siti mea potaverunt me aceto."

Alia vaticinia praetermittimus, quia magis pertinent ad dog- 185
maticam specialem. — Vidimus ergo, in Christo complura praecisa et distincta vaticinia esse adimpleta circa ortum, locum, tempus, circumstantias varias vitae et mortis. Haec praedicta sunt multis saeculis ante eventum (vaticinium Iacobi circa 1900—1800 annis ante Chr.), et eventus plerumque non penes Christum, sed penes inimicissimos eius fuit. Omnia haec concurrunt ad solum Christum, non ad alium. In Christo omnia impleta sunt, quae de Messia prophetata erant; praeterea expresse se Messiam professus est. Cum enim mulier Samaritana dixisset: „Scio, quia Messias venit", respondit: „Ego sum, qui loquor tecum" (Io 4, 25 s). Confirmatus est ergo per has prophetias nuntius divinus, immo Deus ipse, sicut praesertim dogmatica specialis ostendit. Ergo doctrina et religio ab eo condita est vera et divina.

Cfr. *Petavius*, l. c. l. 16 capp. 16 ss. — *Gutberlet*, II. 184 ss. — *Schöttgenius*, Horae hebraicae 1733—42, I. 1264 ss; II. 58 ss. — *Wilmers*, 211 ss. — *Tübinger Quartalschrift*, 42, 41 ss; 57, 133 ss. — *Reinke*, Die Weissagung von d. Jungfrau u. v. Immanuel, 1848.

Die Weissagung Jakobs, 1849. Die messian. Psalmen, 1857—58. Die messian. Weissagungen bei den großen u. klein. Propheten, 1859—62. — *Knabenbauer*, comm. in Danielem proph., 1891. 222—75. — *Hugo Weiss*, Die messian. Vorbilder i. Alten Testament, Freiburg 1905. — *Adalb. Schulte*, Die messian. Weissagungen des Alt. Test. nebst dessen Typen. Paderborn 1908. — *K. A. Leimbach*, Messian. Weissagung des Alt. Test., Regensburg 1909. — *Ant. Seitz*, in variis articulis periodici „Der Fels" XIV et XV, Frankfurt 1918/20.

§ 3. De prophetiis a Christo ipso praedictis.

186 Christus non solum ab aliis prophetis praedictus est, sed et ipse nonnihil praenuntiavit, quod sagacitas humana scire non potuit, et quod certe partim iam evenit partim coram nobis adimpletur, et cuius impletio non fuit penes Christum, sed penes adversarios eius. Per hoc ostendit se divinitus missum, et persuasit nobis, etiam vaticinia illa ab eo praenuntiata adimpletum iri, quae spectant ad perdurationem ecclesiae usque ad finem mundi, ad interitum mundi, ad iudicium generale et resurrectionem mortuorum. — Christus praedixit:

1. *Circumstantias passionis et mortis suae et resurrectionem tertia die futuram* (Lc 18, 31 ss): „Ecce ascendimus Hierosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget." (Cfr. Io 3, 14.)

2. *Proditionem Iudae* (Mt 26, 21 et 23), fugam discipulorum passionis suae tempore (Mt 26, 31), trinam negationem Petri (Mt 26, 34). Certe nullatenus ex viribus naturalibus coniicere potuit, Petri negationem fore trinam idque primo mane, antequam gallus ter cantaverit.

3. *Tempus et alias circumstantias de eversione Hierosolymorum:* „Venient dies in te et circumdabunt te inimici tui vallo et circumdabunt te et coangustabunt te undique . . . et non relinquent in te lapidem super lapidem" (Lc 19, 43 s). „Amen, dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant" (Lc 21, 32).

4. Praedixit, evangelium in toto mundo annuntiatum iri, portas inferi continuo ecclesiam suam aggressuras esse, sed eam non posse superare (Mt 16, 18). Quae omnia adhuc evenire, quotidie videmus.

Cfr. *Gutberlet*, II, 199 ss. — *Wilmers*, 347 ss. — *Schmid Franc.*, Christus als Prophet, Brixen, 1892.

§ 4. De miraculis a Christo patratis.

187 I. Christus multa signa extraordinaria fecit. — Sanavit permultos morbos omnis generis, resuscitavit tres mortuos, scil. iuvenem in Naim (Lc 7, 13 ss), filiam Iairi (Mt 9, 18 ss), Lazarum per quatriduum in sepulchro iacentem et iam putrescentem (Io 11). Item dominium insolitum super naturam non animatam ostendit, e. c. sedavit subito tempestatem maris, ambulavit in undis,

convertit aquam repente in vinum, multiplicavit paucos panes et pisces, ut complura hominum millia satiarentur. Item expulit saepe daemones et plerumque daemoniacos etiam corporaliter infirmos curavit.

188 Nota. — *Rationalistae ad tollenda miracula Christi propria nihil inexpertum omiserunt, sed omnia studia eorum vana sunt.* — Nulla redargutione sunt digna dicta Pauli Heidelbergensis, e. gr. Christum non ambulasse super mare, sed tantum circum mare, non aquam in vinum mutasse, sed dumtaxat vinum melius a se apportatum porrexisse. Item opinio multorum, miracula Christi nonnisi esse mythos ad personam Christi valde eximiam exornandam inventos, sicut similia legimus de aliis viris egregiis et praesertim de aliarum religionum institutoribus velut Buddha, Mohammed. E. gr. Strauß[1]) censet, Christo falso attributam esse augmentationem miraculosam ciborum vel transfigurationem in monte etc, ne videretur esse minor Mose, Elia etc, quos similia fecisse vel vidisse traditio fabulosa fert. Haec assertio eo ipso refellitur, quia, sicut ipse Harnack fatetur, evangelia synoptica revera a coevis Christi scripta sunt. *Harnack* ipse de miraculis Christi quinque propositiones profert (Wesen des Christent., 18 s): 1. Nonnulla nituntur relationibus hyperbolicis, quibus facta quaedam naturalia magni momenti exaggerantur. 2. Alia sunt nonnisi vestitus figuralis, quo orationes et parabolae Christi vel effectus doctrinae eius poëtice scribuntur. 3. Pauca consulto fabricata sunt, ut in Christo antiqua vaticinia impleta esse viderentur. 4. Partim sunt sanationes morborum a Christo naturaliter patratae extraordinariae. 5. Complura sunt impenetrabilia (Undurchdringliches). Bene facit Harnack notans, aliqua esse impenetrabilia, praesertim cum addat se non credere nec unquam credere posse, tempestatem maris uno verbo esse compressam, quia esset in se impossibile.

II. Haec facta stupenda historice tam certa sunt, ut de iis dubitari nequeat.

189 1. Evenerunt haec opera coram multis hominibus omnis aetatis, sexus, condicionis, Iudaeis et Paganis, saepe coram compluribus millibus, e. gr. augmentatio panis in deserto. Acciderunt in locis publicis velut in synagogis praesente tota communitate, die Sabbatino, quando Iudaei otium habebant, Christum sequi eiusque opera examinare poterant. Quare iam *S. Paulus* Herode Agrippa rege praesente dicere potuit Festo, procuratori Iudaeae (Act 26, 25 s): „Non insanio, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor; scit enim de his (miraculis Christi) rex, ad quem et constanter loquor; latere enim eum nihil horum arbitror, neque enim in angulo quidquam horum gestum est.“ — Pariter *Quadratus* in apologia sua imperatori Hadriano anno 126. tradito ostendit, miracula Christi fuisse manifestissima et testimonio multorum roborata, immo nonnullos a Christo mirabiliter sanatos vel a morte resuscitatos tunc temporis (anno 126) adhuc inter vivos fuisse et de his rebus testimonium perhibere potuisse. Scribit enim:[2]) „Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ii scilicet, qui morbis liberati aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur aut dum ad vitam revocabantur, conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tem-

[1]) Der alte und der neue Glaube, 1872. 52.
[2]) Eusebius, h. e. 4, 3; M. 20, 307.

pore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eorum etiam ad nostra usque tempora pervenerint."

2. Facta sunt saepe coram inimicissimis Christi, scil. pharisaeis, scribis et sacerdotibus, e. c. resuscitatio Lazari. Hi, praediti auctoritate et potestate publica et legitima, inquisitionem accuratissimam de his eventibus interdum instituerunt, e. c. de sanatione caecinati (Io 9, 1 ss). Christus ipse decem leprosos a se curatos ad sacerdotes misit, ut ab eis inspicerentur et sanati approbarentur. Itaque pharisaei etc haec signa non negavere, sed aperte professi sunt (Io 11, 47): „Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?" Nihil aliud obiicere potuerunt nisi Christum ea facere per Beelzebub, principem daemoniorum (Mt 12, 24 ss).

3. Omnes quattuor evangelistae referunt nobis multa miracula Christi, saepe complures eorum idem factum tradunt. Ex eo, quod subinde aliquatenus discrepant circa circumstantias leviores, veritas facti magis confirmatur quam minuitur.

190 4. Iosephus Flavius, Iudaeus fere coaevus Christi, scribit: „Eodem tempore fuit Iesus, vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere (*εἶγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρή*). Erat enim mirabilium operum patrator et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Iudaeis quam de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat (*ὁ Χριστὸς οὗτος ἦν*). Quem accusatum a nostrae gentis principibus Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa miranda praedixerunt et usque in hodierum Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit."[1])

Nota. *A modernis criticis hic locus non genuinus esse dicitur*, sed interpolatus a Christianis, praesertim cum Tertullianus, Origenes, Iustinus etc de eo mentionem non faciant, et Iosephus ipse certe non tenuerit divinitatem et resurrectionem Christi veram, quam hic locus docet. *At omnes codices*, qui *exstant, hunc locum habent*, etsi opera Iosephi crebro legebantur a Paganis, quare Christianis difficile erat ea interpolare, quin fraus detegeretur. Hunc locum noverunt iam Eusebius (h. e. 1, 11; M. 20, 118; et demonstr. evang. 3, 5; M. 22, 222), Sozomenus (h. e. 1, 1; M. 67, 856), Hieronymus (de viris illustr. c. 13; M. 23, 631). Non obstat quod Tertullianus etc huius loci non memores sunt; hoc est testimonium pure negativum nec potest enervare argumenta positiva allegata vim probandi firmam habentia; etiam Patres posteriores post Eusebium velut S. Chrysostomus et Augustinus in scriptis expresse adversus Iudaeos editis hunc locum omittunt. Non pluris sunt documenta interna. Nam Josephus non profitetur fidem christianam in divinitatem vel resurrectionem Christi; Christum dicens numen quoddam superhumanum nonnisi vocat eum personam extraordinariam seu quasi divinam; item Iudaei et Pagani non raro sentiebant, mortuos in personis aliis iterum apparuisse vel revixisse, e. gr. Iudaei nonnulli censebant Christum esse Ioannem Baptistam vel Eliam etc antea defunctos (Mt. 16, 13 s). Pariter Iesum dicens „Christum" nondum eum nominat Messiam, sed tantum dicere videtur: Iesus fuit ille, qui Messias venturus exspectabatur, vel ille, qui nunc passim Christus nuncupatur.[2]) *Harnack* censet locum nostrum authen-

[1]) Antiquit. Iudaic. l. 18. c. 4 (al. c. 3); Coloniae Allobrog. 1611, pag. 621.

[2]) Cfr. *Bole*, Flavius Iosephus über Christus u. die Christen etc 1896. — Stimmen aus Maria-Laach, 1897; t. 53, 1 ss, 161 ss. — *A. Seitz*, Christuszeugnisse aus dem klassi-

ticum esse ex hisce rationibus: 1. Iam Eusebius novit locum, qualiter nunc sonat, fine saeculi 3; quare falsificatio iam saeculo 3. vel probabilius iam saeculo 2. facta esse debet, id quod non probabile est; pariter non est probabile, ad nos venisse nullum prorsus codicem, in quo locus interpolatus deest. 2. Tacitus (Annales 15, 44), scribens de Christo certe hausit ex Iosepho idque ex loco nostro. 3. Iosephus ipse non credit, quod dicit; tantummodo dicere vult: etiam apud Iudaeos occurrunt nobis homines similes Apollonii de Tyana, cui tunc multa prodigia adscribebantur; tunc temporis non insolitum erat, homines ut deos existimatos esse; tales inveniuntur etiam apud Iudaeos, non solum apud Gentiles. 4. Pariter non credit, Iesum fuisse Messiam; sed nonnisi sentit: erat Messias ille putativus, quem Iudaei exspectabant; at haec exspectatio tota est vana, id quod luculenter patet ex subversione Hierosolymorum. 5. Iosephus (Archaeol. 18, 5, 2) dat locum similem de Ioanne Baptista; sed hic locus absque dubio genuinus est.

5. Etiam Pagani, Christianorum inimicissimi, realitatem mira- **191**
culorum Christi non negaverunt, tantum ea praestigiis magicis adscripserunt, e. gr. Celsus,[1]) summus Christianorum adversarius, et Iulianus apostata.[2])

6. Ipsi moderni Rationalistae concedunt, Christum certe opera extraordinaria fecisse, quia alioquin nec fides tum Paganorum tum Iudaeorum nec propagatio Christianismi psychologice declarari posset.

III. Haec signa stupenda sunt miracula in sensu stricto.

1. *Non sunt effectus per daemones vel magiam daemoniacam* **192**
producti. — Christus ipse hanc obiectionem Iudaeorum reiecit disserens (Mt 12, 24 ss), se daemones expellere eorumque potestatem atque influxum destruere, quare opera sua non diabolum auctorem habere possunt.

2. *Non sunt effectus per hypnotismum, magnetismum, spiritis-* **193**
mum etc parti. — a) Per magnetismum etc sanationes morborum et alia huiusmodi nonnisi effici possunt, si magnetisator et magnetisatus physice vel saltem moraliter eodem loco adsunt. At Christus sanavit etiam longe absentes, quos nunquam viderat, de quibus antea nihil audierat, vel quibuscum nunquam conversatus erat, e. c. servum centurionis (Mt 8, 5 ss). — b) Magnetisator etc eget ad producendos suos effectus fere semper aliquo tempore, neminem extemplo curare potest, sicut disserit Delboeuf ophthalmologus.[3]) Christus non solum unum vel alterum, sed omnes eosque sexcentos sanavit puncto temporis. — c) Hypnotisator tantum certas personas

---

schen Altertum etc, Köln 1906, 9 ss. — *Ad. Harnack*, Der jüdische Geschichtschreiber Iosephus und Iesus Christus (Internationale Monatschrift für Wissenschaft, Kunst und Technik. VII, Berlin 1913, 1037 ss).

[1]) Ap. Origenem, adv. Cels. 1, n. 38; et 2, n. 48; M. 11, 734 et 870.

[2]) Ap. Cyrill. Alex., adv. Julian. l. 6; M. 76, 791.

[3]) De l'étendue de l'action curative de l'hypnotisme etc. Paris, 1890; ostendit contra *Stoll*, *Stadelmann* (Der Psychotherapeut, 1896, 23) etc Christum non fuisse psychotherapeutam vel therapeutam per suggestionem infirmis medentem. — *K. Knurr*, Dr. med. („Christus medicus?" Freiburg 1905) ostendit Christum non fuisse medicum, cum aegros curaret contemptis regulis et mediis a medicis adhibitis, non sufficere appellare ad suggestionem, hypnosim, hysteriam etc.

et certa mala curare potest, non hydropem, surditatem etc. Christus omnes infirmos et omnes morbos promiscue sanavit, caecos, surdos, claudos, leprosos, contractos, aridos, hydropicos, paralyticos, immo mortuos suscitavit, elementis imperavit. — d) Effectus per hypnotismum geniti non omnes diu persistunt, saepe plus nocent quam prosunt, deprimunt et commovent nervos et animos hominum. Ii, qui a Christo curati sunt, mansere sani, corpore et anima recreati et gavisi omnimoda salute vixere partim usque ad saeculum secundum, ut nuntiat Quadratus (l. c.). — e) Non obstat, Christum interdum a sanandis fidem in se ipsum postulasse, vel (Mc 6, 5) in patria sua multa miracula facere non potuisse, quia in eum non credebant. Haec fides, quam Christus ab infirmis poscebat, non fuit fides vel fiducia naturalis, Christum posse sanare homines, — de hac re nemo dubitavit — sed fuit fides supernaturalis in suam dignitatem Messianam vel divinitatem. Plerumque hanc fidem non postulavit, praeterea multa effecit, ubi eiusmodi fides impossibilis erat, scil. miracula ad mortuos et elementa spectantia. — Item non obstat id, quod Christus subinde aegris manus imposuit vel media aliqua adhibuit, e. c. lutum, sputum; saepissime id non fecit, et tantummodo fuere symbola ad sanationem ipsam producendam absolute insufficientia, immo forsitan per se nociva velut lutum ad liniendos oculos (Io 9, 6).

194 3. *Non sunt sola signa vel symbola effectuum spiritualium a Christo partorum.* — Certe miracula Christi etiam symbola sunt declarantia virtutem doctrinae suae. Saepe Christus fecit signa, quae habebant analogiam quandam ad verba, quae proposuit; e. c. antequam eucharistiam promitteret, multiplicavit panes, saturavit mirabiliter quinque milia virorum et ambulavit pneumatice super undas (Io 6, 1 ss); immediate postquam vocavit se resurrectionem et vitam, Lazarum a morte erexit (Io 11, 25 ss). At obstinationis est putare, miracula haec, quorum realitas luce clarior est, nonnisi allegorias fuisse. Christus ipse stricte distinxit inter sanationem externam et internam, e. c. primo sanavit hominem per 38 annos infirmum, et postea dixit: „Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat" (Io 5, 5 ss); iuxta Lc 5, 18 ss prius dimisit peccata paralytici, antequam corpus sanaret.

195 4. *Sunt miracula vera et propria.* — Sicut patet ex dictis, miracula Christi sunt effectus extraordinarii tum praeter naturam tum contra naturam tum supra naturam producti, qui naturaliter nullatenus declarari possunt. Inter sanationes morborum sunt quidem tales, quales etiam natura et medici exsequuntur, e. c. sanatio febris; at hoc non fit tam subito vel solo verbo, sicut Christus fecit. Christus ipse, in quo etiam adversarii eius mendacium vel fallaciam invenire non poterant, opera haec expresse supernaturalia designat, tum dicens, se eiusmodi facere per Spiritum Dei (Mt 12, 28), vel sibi omnem potestatem a Patre esse datam (Mt 28, 18), vel se operari

opera Patris (Io 10, 37), tum advocans ea ad demonstrandam suam missionem divinam.

IV. Miracula Christi ostendunt eius missionem divinam et divinitatem et veritatem doctrinae.

1. *Christus miracula fecit nonnisi ex motivis sinceris ad fines* 196
honestos, scil. ad honorem Dei et salutem proximi. Nunquam petiit fines egoisticos, consulto vitavit omnem ostentationem, nunquam operatus est signa ad curiositatem hominum pascendam, non obsecutus est pharisaeis nec Herodi ab ipso miraculum videre cupientibus. Non usus est charismate suo in statu passionis et humiliationis ad suum ipsius commodum, attamen curavit aurem Malchi, persecutoris sui.

2. Christus in miraculis patrandis ostendit se personam superhumanam, etiam eo, quod haec *fecit sine ulla commotione animi*, sine stupore et metu et haesitatione et cunctatione cum summa tranquillitate et absoluta certitudine, infallibiliter eventum fore.

3. *Nixus est miraculis et signis suis ad probandam suam divinam missionem, divinitatem personae ac doctrinae.* — Cum Ioannes Baptista per discipulos suos Christum interrogasset: „Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus"? respondit: „Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt" (Mt 11, 2 ss). Cum Iudaei Christo obiecissent, eum blasphemare dicentem se Filium Dei, hoc non negavit, sed perrexit: „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre" (Io 10, 36 ss; cfr. 10, 32; 14, 10). — Haec opera, ad quae provocat Christus, sunt eius miracula etc, ut patet ex contextu et praesertim ex loco Mt 11, 2 ss supra allegato, non autem per ea intelligenda est eius tota operatio Messiana et imprimis praedicatio evangelica, sicut falso Rationalistae asserunt. Cfr. supra n. 68.

Cfr. *Perrone*, l. c. cap. 4. — *Gutberlet*, II. 203 ss. — *Jungmann*, 191 ss. — *Wilmers*, 334 ss. — *Suarez*, de Incarnatione, p. 2. qu. 43 ss. — *Chable Fl.*, Die Wunder Jesu, 1897. — *Didon*, Jésus Christ, vol. 1—2. Paris, 1891. — *P. Dausch*, Die Wunder Jesu, Münster, 1912. — *Jos. Sickenberger*, Leben Jesu etc, III. Münster 1921.

§ 5. De signis aliis miraculosis ad probandam divinitatem Christi a Deo patratis.

Christus non solum ipse sexcenta stupenda prodigia fecit, ut se nuntium divinum, Messiam et Deum, probaret, sed etiam Deus multa eiusmodi operatus est ad idem demonstrandum. Praecipua eorum enarremus et breviter consideremus.

I. Eventus extraordinarii in vita Iesu apparentes.

1. *In pueritia.* — Nativitas Iesu Christi per angelum prae- 197
nuntiata est Mariae et Iosepho, deinde apparitione multorum ange-

lorum pastoribus annuntiata, per stellam insolitam magis in oriente supernaturaliter signata est; idem sidus duxit eos ad praesepe Christi (Mt c. 1—2; Lc c. 1—2). Sine influxu supernaturali hoc phaenomenon totum declarari non potest, quomodocumque exponis.[1])

198 2. Cum Christus coepturus esset opus Messianum et in Iordane baptizaretur, Ioanne Baptista vidente *apertum est super eum caelum* et vox audita est: hic est Filius meus dilectus; et Spiritus S. in specie columbae super eum descendit et mansit (Mt 3, 16; Mc 1, 9 ss).

199 3. Brevi ante passionem suam *transfiguratus est* coram apostolis Petro, Iacobo et Ioanne (Mt 17, 1 ss; Mc 9, 2 ss; Lc 9, 28). Hanc visionem non fundari in somnio et hallucinatione apostolorum, sed reapse contigisse, ex eo sequitur, quod Christus postea prohibuit, ne cui de hac re ante suam resurrectionem dicerent, et ex eo, quod Petrus iam senex hanc visionem advocavit ad ostendendam auctoritatem divinam Christi (II. Ptr 1, 16 ss). — Ridiculum est dictum rationalisticum, transfigurationem hanc nonnisi fuisse somnium apostolorum, qui radios solis orientis Christum illustrantes putabant splendorem caelestem. Non minus ineptum est assertum, columbam in Iordane super Christum delapsam nonnisi fuisse lumen fulguris, imaginationem Ioannis et discipulorum. Sicut videbimus, etiam inane est effugium, historiam miraculosam de baptismo et transfiguratione Christi esse nonnisi postea inventam ad personam Christi glorificandam.

II. Eventus miraculosi in morte Christi.

200 1. „*Velum templi* scissum est in duo a summo usque deorsum" (Mc 15, 38). Per hoc significatum est, antiquum foedus esse sublatum et hominibus omnibus aditum ad Sanctissimum esse patefactum.

2. „*Tenebrae factae sunt* in universam terram usque in horam nonam et obscuratus est sol" (Lc 23, 44 s). Hoc phaenomenon manifesto supernaturale fuit. Tunc enim temporis defectus solis naturaliter impossibilis fuit, quia erat pascha Iudaeorum; hoc celebrabatur semper luna plena, atqui luna plena obscuratio solis fieri nequit. Itaque etiam centurio prope crucem stans exclamavit: „Vere hic homo Filius Dei erat" (Mc 15, 39).

3. „*Et monumenta aperta sunt* et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis" (Mt 27, 52 e). Surrexerunt ergo morte Christi *multi* defuncti et apparuerunt *multis*. Ex hoc liquet reiiciendam esse opinionem, sepulchra terrae motu aperta esse vel totam narrationem esse nonnisi fictionem imaginariam singulorum.

---

[1]) *Durand P. A.*, L'enfance de Jésus-Christ d'après les évangiles canoniques. Paris 1908. — *Steinmetzer Fr. X.*, Der Stern von Bethlehem, Münster 1913.

III. Eventus extraordinarii post mortem Christi.

1. *Resurrectio Christi.*

a) *Christus revera mortuus est.* — Hoc patet: *α*) Christus ipse 201
praedixit se moriturum esse (Mt 16, 21). — *β*) ex traditione unanimi quattuor evangelistarum: Mt 27, 50: „Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum"; Mc 15, 37: „Iesus autem emissa voce magna exspiravit"; Lc 23, 46: „Et haec dicens (scil. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum) exspiravit"; Io 19, 30: „Et inclinato capite tradidit spiritum". — *γ*) ex testimonio, quod centurio supplicio assistens Pilato perhibuit. Pilatus huic fidem habuit, quare corpus mortuum Iosepho ab Arimathaea sepeliendum donavit (Mc 15, 43 ss). Item milites Christum mortuum putavere, quare ei crura non fregerunt. — *δ*) ex circumstantiis occisionis. Non est mirandum, si Christus celerius obiit quam crucifixi decedere solent. Multa enim iam ante supplicium tum in corpore tum in anima perpessus est, et iam antea sanguinem largum effudit per agoniam prolixam in horto, per flagella, coronam spineam etc. Ceterum si Christus mortuus non fuisset, certe obiisset ex ictu lanceae, quo miles latus et cor transfixit. — *ε*) ex circumstantiis sepulturae. E more Iudaeorum totum corpus Christi a pedibus usque ad verticem linteis involutum et unguentis consopientibus conditum est. Ex quo saltem in sepulchro suffocatione decessisset, si tantum semimortuus fuisset. — *ζ*) ex testimonio inimicorum Christi. „Convenerunt principes sacerdotum et pharisaei ad Pilatum dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: post tres dies resurgam" (Mt 27, 62 s). Pagani Christianis opprobrio tribuerunt, quod hominem crucifium et mortuum colerent Deum.

b) *Christus revera a mortuis surrexit.* — Hoc patet:

α) ex praedictione Christi ipsius. Quia Christus resurrectionem 202
suam praedixerat, Iudaei sepulchrum custodiendum et lapidem consignandum curaverunt (Mt 27, 62 ss).

β) ex consensu omnium evangelistarum, S. Petri et Pauli nuntiantium, Christum surrexisse et multis vivum apparuisse. Christus redivivus apparuit Mariae Magdalenae et aliis mulieribus ad sepulchrum (Mt 28, 9; Mc 16, 9; Io 20, 14 ss), Petro (Lc 24, 34; 1 Cor 15, 5), Iacobo (1 Cor 15,7), discipulis duobus in via ad Emmaum (Lc 24, 13), undecim apostolis excepto Thoma (Io 20, 19), undecim apostolis cum Thoma (Io 20, 26; 1 Cor 15, 7), discipulis ad lacum Genesareth (Io 21, 1), discipulis in monte quodam Galilaeae (Mt 28, 16); „deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt" (1 Cor 15, 6); item discipulis in monte Oliveti ante ascensionem in caelum (Mc 16, 19; Lc 24, 50; Act 1, 4 ss). Possibile est, etiam alias apparitiones evenisse; ab S. Paulo (1 Cor 15, 5 ss) comperimus, eum apparuisse etiam

Iacobo et fratribus plus quam 500 simul, de quibus apparitionibus evangelistae nihil referunt. Videtur apparuisse non solum undecim apostolis sine Mathia, sed etiam illis cum Mathia, quia Paulus l. c. ait: „visus est Cephae, et post hoc undecim . . . deinde visus est Iacobo, deinde apostolis omnibus; novissime autem omnium . . . visus est et mihi.“ Haec ultima apparitio certe post ascensionem Domini fuit. — Fortasse aliquae harum apparitionum inter se identicae sunt, item occurrunt discrepantiae in modo referendi quoad circumstantias nonnullas, at his factum resurrectionis et visionum ipsum non enervatur, quin immo magis confirmatur. Secus etiam negari posset, Christum cruci affixum fuisse, quia evangelistae circa aliquot circumstantias eius supplicii inter se differunt. Ex eo, quod Christus redivivus mulieribus annuntiavit, se discipulis appariturum esse in Galilaea, non sequitur, fictas esse apparitiones discipulis prima hebdomada post resurrectionem in Ierusalem factas; apostoli morte et resurrectione Christi perterriti et obstupefacti non statim his verbis fidem habuere; demum postquam pluries eum viderunt, crediderunt ei et in Galilaeam se contulere, unde brevi post iterum Ierusalem reverterunt.

γ) *ex concessione Iudaeorum.* — Legimus enim (Mt 28, 11 ss): „Quidam de custodibus (sepulchri) venerunt in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia, quae facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt et furati sunt eum nobis dormientibus.“ Item cum postea Petrus (Act 4, 8 ss) coram principibus et senioribus populi resurrectionem Christi palam profiteretur, hoc factum nullatenus negare studuerunt, sed solum apostolis praeceperunt, ne ulterius de hac re loquerentur.

δ) *ex testimonio Iosephi Flavii* (cfr. supra n 190).

203 *ε*) *ex modo, quo apostoli post mortem Christi se gesserunt.* — Hi per mortem Christi erant dispersi, animis depressi et perturbati, confusi et perplexi, quare ex metu Iudaeorum se occultavere. Subito conversi sunt in alios viros, audacter prodierunt publice profitentes nomen Domini Iesu Christi. Peragraverunt totum mundum ubique terrarum docentes, Christum a morte surrexisse. Propter hanc doctrinam ineffabiles labores, dolores et demum mortem crudelem subierunt, at „illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati“ (Act 5, 41).

ζ) *ex miraculis, quae apostoli in nomine et virtute Iesu resuscitati patrarunt.* — Secundum Act 3, 1 ss sanavit Petrus hominem, qui ex utero matris per plus quam 40 annos (Act 3, 2 et 4, 22) claudus fuerat. Cum a principibus et senioribus populi interrogatus esset, in quo nomine id fecisset, respondit (Act 4, 10): „Notum sit omnibus vobis et omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis,

in hoc iste astat coram vobis sanus." Seniores hoc miraculum agnoverunt dicentes: „Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem, manifestum est, et non possumus negare" (4, 16).

η) ex sermonibus, quos Christus resuscitatus habuisse legitur. — Dominus dedit mandatum omnes populos baptizandi, praebuit potestatem peccata dimittendi, instituit Petrum in primatem ecclesiae, promittit se cum suis usque ad finem mundi esse permansurum: Hi sermones transcendunt prorsus captum apostolorum, non possunt ab iis esse ficti; nam talis fictio esset minus comprehensibilis quam ipsa resurrectio Christi.

c) Ineptae sunt theoriae adversariorum de resurrectione Christi.

Rationalistae nihil inexpertum omiserunt ad factum resurrectionis refellendum. Statuere varias declarationes, quae possunt reduci in has tres hypotheses:

α) Hypothesis prima tenet, discipulos *per fraudem* corpus **204**
Christi esse furatos et propalasse eum surrexisse. Ita iam pharisaei et sacerdotes Iudaeorum (Mt 28, 13), postea Talmud, Samuel Reimarus et alii. At unde discipulis animus fortis ad eiusmodi inceptum, praesertim cum sepulchrum per milites esset custoditum et omnes viae ac plateae ob festum paschatis plenae hominum essent? Quid potuit prodesse discipulis cadaver Christi? Unde mutatio subitanea animorum? Ob has difficultates Rationalistae ab hac theoria nunc discesserunt, iam iste Strauss in vita sua Iesu eam reprobat.

β) Paulus,[1]) professor Heidelbergensis, et alii *censuerunt,* **205**
Christum non revera, sed tantum apparenter mortuum esse et deinde in sepulchro ob odorem acrem unguentorum ex sopore revixisse. — At haec theoria est absurda, quia, sicut vidimus, Christus reapse obiit. Praeterea potest quaeri: Quomodo homo semivivus et linteis obvolutus valuit lapidem gravem de sepulchro evolvere, exire et fugere ex sepulchro obsignato et custodito, quin a custodibus cerneretur? Quomodo homo eiusmodi saucius et debilis animos discipulorum inflammare potuit? Nonne Christus seductor et impostor esse videretur? Quid actum est de Christo? Haec hypothesis ergo superabundat ineptiis et difficultatibus, quare hodie passim relicta est.

γ) Renan,[2]) Schenkel,[3]) Strauss,[4]) et plurimi alii Rationalistae **206**
inhaerent *hypothesi, quae dicitur visionis* vel *mythica.* Apostoli morte Christi tristissimi et eum videndi studiosissimi inciderunt in statum nervorum et spiritus perturbationis et hallucinationis, ita ut profecto putaverint Christum sibi apparuisse, similiter ac S. Paulus

[1]) Leben Jesu, 1828, t. 1. 245 ss.
[2]) Histoire des origines du christianisme, l. 2, chap. 1—3 et 10.
[3]) Das Leben Jesu, ed. 4. 1877. pars 1, c. 46 ss.
[4]) Charakterbild Jesu, ed. 4. 1873. c. 32.

iter Damascum faciens sibi visus esset Christum conspicere. Haec theoria diebus nostris a permultis retinetur, accidentaliter mutatur vel novis putativis argumentis fulcitur.[1]) Dicunt: Apostoli ex morte Christi inopinata animis omnino perversi, fide naufragi facti se disperserunt et in Galilaeam patriam se receperunt. Postea ex nimio amore et desiderio Christi impulsi sibi visi sunt Christum videre, praesertim Petrus. In hac opinione confirmati sunt ex recordatione aliquorum dictorum Christi locuti de regno suo aeterno vel de vita sua perpetua, item ex falsa interpretatione locorum variorum testamenti veteris, quos erronee referebant ad Messiam patientem et resurrecturum; accedit, quod tunc temporis exspectationes apocalypticae et eschatologicae et Messianae communes erant. Christus nullatenus physice vel corporaliter resurrexit nec in caelum ascendit nec ibi vivit, sed dumtaxat spiritualiter, id est corpus eius in sepulchro putruit, sed anima apud Deum immortaliter vivit in gloria ineffabili et doctrina eius eximia in omnes generationes persistet. Haec perduratio et vita Christi spiritualis apud Deum et homines est eius resurrectio vel assumptio in caelum. Quaecumque evangelistae tradunt de resurrectione Christi eiusque apparitionibus, sunt nonnisi relationes posteriores amoenae de fide viva apostolorum et primorum fidelium in Christum modo spirituali resuscitatum et permansurum, sunt nonnisi poëticae exornationes eventuum psychicorum in mentibus discipulorum, in quibus Christus resurrexerat. Personae, quibus Christus apparuit, velut Magdalena, Petrus, Thomas, nonnisi sunt typi statuum diversorum fidei primitivae. — Ad Christi personam magis illustrandam etiam multa alia inventa sunt. Quia libri Iudaeorum mirabilia de prophetis velut Mose, Samuel, Elia etc continent, etiam Christo, ne sit his inferior, similia, immo adhuc stupendiora, adscripta sunt; quia e. gr. Mosis facies in Sinai cum Deo colloquentis splendore extraordinario coruscabat, attributa est Christo transfiguratio in Tabor; quia secundum mythos antiquos Henoch, Moses et Elias corporaliter in caelum assumpti erant, debuit etiam Christus eodem ascendere etc. — Ad fidem resurrectionis Christi propalandam conversio S. Pauli permultum conduxit, immo eius conversio et scripta maxime omnium ostendunt, quomodo fides resurrectionis exorta sit. Paulus ad Damascum vidit non corpus Christi sensibile, sed corpus quasi luminosum seu caeleste seu pneumaticum. Paulus una ex parte fuit Iudaeus impletus opinio-

[1]) Cfr. *Pfleiderer*, Das Urchristentum, seine Schriften und Lehren, 1887, 2 ss; item Religionsphilosophie, ed. 3. 1896, 259 ss. — *Eck S.*, Über die Bedeutung der Auferstehung Jesu für die Urgemeinde und uns, 1898 (Hefte zur „Christlichen Welt" n. 32). — *Brückner*, Die Berichte über die Auferstehung Jesu Christi (Protest. Monatshefte, 1899, 41 ss, 183 ss). — *Fischer M.*, Der verklärte Christus (Protest. Monatsh. 1899, 191 ss). — *Schultze R.*, Die Logik des Auferstehungsglaubens (Protest. Monatsh. 1901, 318 ss; cfr. 118 s, 245 ss; cfr. an. 1900, 52, 162, 198, 424; an. 1902, 147 ss). — *Harnack*, Das Wesen des Christentums, 1902, 101 ss. — *Theol. Rundschau*, 1898, 34, 475; 1899, 395; 14 ss; 1901, 120 s, 160 s. — *Arnold Meyer*, Die Auferstehung Christi 1905, 1 ss.

nibus et exspectationibus apocalypticis Iudaeorum, altera ex parte fuit instructus in philosophia Graecorum, scivit doctrinam Graecam de praeexistentia ideali rerum et personarum aeterna apud Deum. Itaque tum putavit Christum Messiam tum credidit, eum idealiter ab aeterno ante incarnationem praeextitisse apud Deum et in morte iterum ad eundem rediisse permansurum in gloria sempiterna. Hunc Christum idealem (corpore in sepulchro pereunte) sibi visus est videre in visione, et hic etiam aliis secundum 1 Cor 15, 6 s visus est (ὤφθη). Paulus enim non aliter ac ceteri apostoli natura pronus fuit ad visiones et revelationes videndas (cfr. Gal 1, 12; 2 Cor 12, 1). — Etiam alio modo Scriptura innuit, sic fidem in Christi resurrectionem exortam esse. Nam Christus nonnisi piis mulieribus et discipulis apparuit, nunquam autem aliis, nedum inimicis suis. Apparuit praesertim in Galilaea, ubi natus erat et multos asseclas habebat eosque ex plebe communi; apparitiones in Ierusalem factae esse non videntur, saltem non ab initio. Secundum Io 20, 17 Christus redivivus dixit Mariae: „Noli me tangere (μή μου ἅπτου)"; hic insinuatur, Christum non habuisse verum corpus. Porro Mc 16, 8 nuntiat, mulieres fuisse in exstasi, cum vidissent Christum revivificatum. Paucis verbis: Non existit *factum* resurrectionis, sed sola *fides* resurrectionis; haec fides genuit fidem, sepulchrum fuisse vacuum, non autem sepulchrum vacuum produxit fidem in resurrectionem, quia revera Iesus in sepulchro mansit et putruit.

Ad haec respondetur: 1. *Haec theoria fundatur in* 207
opinione, evangelia non esse authentica, sed demum fine saeculi 1. vel saeculo 2. fabricata esse; hoc falsum est, sicut fusius probat introductio in novum testamentum. Ipse Harnack concedit, evangelium Marci probabilissime scriptum esse post an. 60 et certe ante a. 70; Mathaei brevi post a. 70; Lucae et Act. Apost. post a. 60 et ante a. 70; evang. Ioannis non post a. 110 (cfr. supra n. 168) — *Etiam relationes evangelicae et paulinae de resurrectione Christi, etsi quoad leviora differunt, tamen prorsus genuinae sunt et factum ipsum una voce indubie tradunt.* Iam illa relatio, quae ab adversariis dicitur esse antiquissima omnium, scil. S. Pauli (1 Cor 15, 5 ss), et saltem ex anno 57. vel 58. oriri videtur, enarrat 6 distinctas apparitiones, inter quas una fuit coram „plus quam 500 fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt." Ergo illo tempore, ex quo primum quidquam audimus de apparitionibus et resurrectione Iesu, adhuc multi testes eius vixerunt; hi „simul" redivivum viderunt; non est probabile, tot personas hallucinatos esse simul. Paulus hanc rem bene nosse videtur; nam tenet ordinem chronologicum, id quod claret ex verbis: post hoc, deinde, novissime. Paulus addit, se hanc notitiam accepisse (v. 3); certe accepit ab apostolis ipsis quos ipse nominat, (v. 5, 7, 9). Sed hoc iam annis non paucis antea acceperat, quum annis posterioribus cum eis non iam conversari posset. Sic prima traditio, quam habemus redit ad

tempus brevi post conversionem S. Pauli, quae saltem anno 35. evenit, sicut omnes concedunt. — Relationes non solum in genere narrant de apparitionibus, sed etiam tradunt circumstantias speciales et singulares. Ipsum evangelium Ioannis, quod absque ulla vi probandi esse fertur, narrat de rebus singulis etiam minutissimis, e. gr. Christum apparuisse mane facto in littore, vel naves discipulorum non longe, sed quasi cubitis 200 a terra afuisse, vel iussu Christi 153 pisces magnos captos esse (Io 21, 4 ss), vel praecise tradit, quo ordine linteamina in sepulchro vacuo iacuerint (20, 7): „et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum" etc. Similiter alia evangelia. Ex quo patet, relationes evangelicas niti auctoritate spectatorum immediatorum, et discipulos Christi rem accurate aspexisse et examinasse. — 2. Evangelistae, S. Petrus et Paulus non solum referunt, Christum visum esse, sed etiam *de sepulchro vacuo*
208 *vel de incorruptione corporis mentionem faciunt* (Mt 28, 2; Mc 16, 4 ss; Lc 24, 2—3, 12, 23 s; Io 20, 1—2, 5, 12). S. Petrus ipso die Pentecostes loquens coram multitudine plebis de resurrectione Christi explicat, locum Ps 15, 8 ss non intelligendum esse de incorruptione Davidis, quia Davidis sepulchrum adhuc exstet, sed de Christo a Deo mirabiliter resuscitato; manifesto ergo docet resurrectionem physicam. Item S. Paulus (Act 13, 36 s): „David . . . appositus est ad patres suos et vidit corruptionem. Quem (Christum) vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem." Evangelistae non solum dicunt, sepulchrum vacuum fuisse, sed etiam hanc rem ex industria inquisitam fuisse. Iam apud Marcum, qui primus scripsisse dicitur, angelus in sepulchro sedens ait mulieribus (16, 6): „surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum." Pariter Mt 28, 6. Petrus cucurrit ad sepulchrum, „et procumbens vidit linteamina sola posita" (Lc 24, 12; Io 20, 6 s). Absque dubio Iudaei apostolis obiecissent, corpus adhuc esse in monumento, si ibi fuisset. Ad hanc difficultatem amovendam aliqui putant, Iosephum de Arimathaea Iesum provisorie tantum sepelisse, et saltem die tertia abstulisse et Arimathaeam portasse, ut ibi definitive sepeliretur. At quomodo hoc fieri potuit die Sabbati vel manere occultum? — 3. *Christus apparuit non solum uno loco vel in sola Galilaea, sed in compluribus* (nonnisi praeiudicium et assertum non probatum est, Christum non
209 primo apparuisse in Ierusalem vel Iudaea), *apparuit diversis temporibus coram diversis hominibus, mulieribus et viris, simul coram plus quam quingentis.* Apparitiones solum in Galilaea evenisse, sequi videtur ex fragmento aporcryphi evangelii Petri. Sed hoc est figmentum oriundum, ex dimidio saeculi 2. compositum ex evangeliis canonicis et phantasia auctoris, quare prorsus nullam vim probandi habet. Omnes evangelistae mentionem faciunt apparitionum in Ierusalem factarum, immo S. Ioannes cap. 20 nonnisi tales proponit; solummodo in cap. 21, quod est postscriptum, loquitur de mani-

festatione ad mare Tiberiadis. S. Paulus 1 Cor 15, 5 ss enumerat sex diversas apparitiones, sed inter has una tantum certe in Galiaea contigit, scilicet praesentibus plus quam 500 fratribus.[1]) Utique inimicis suis se non manifestavit, quia tempus cum iis conversandi praeterierat neque ii obdurati se convertissent. Ceterum sepulchri custodes (qui secundum regulam Romanam 16 numero esse solebant, ita ut quaterni in stationem aliorum succederent) testes resurrec- 210
tionis fuere. — 4. *Non solum apparuit eis, sed cum eis locutus est, edit, bibit, immo se ipsum palpandum praebuit.* Verba: „μή μου ἅπτου" praecisius transferenda sunt: noli me firmiter tenere (Maria videtur corpus Christi firmiter et diu amplexa esse). Ipse Christus resuscitatus adhortatus est apostolos (Lc 24, 39): „Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum: palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere." Et Thomae ait (Io 20, 27): „Infer digitum tuum et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis." — 5. *Apostoli* fuerunt viri simplices quidem, certe et ipsi erant impleti opinionibus et exspectationibus apocalypticis et Messianis sui temporis, sed *nullatenus erant proni ad visiones et somnia fingenda.* Erant enim homines robusti, corpore et mente sani, piscatores durati et laboris patientes. Praeterea longe afuerunt a cogitatione, Christum revera surrecturum corporaliter sibique appariturum esse. Christus id quidem praenuntiaverat (fictio inanis est, hanc praedictionem nonnisi esse vaticinium postea ab apostolis excogitatum), at illi verba haec non intellexerant, quare primo non fidem habebant dicentibus, Dominum vere surrexisse et apparuisse. Ideo Iesus eorum incredulitatem vituperavit (Lc 24, 10 ss, 22 ss; Mc 16, 11 ss); immo Thomas non credidit omnibus aliis apostolis asseverantibus, Christum sibi apparuisse, loquens (Io 20, 25): „Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam." — 6. *Scriptura nullatenus innuit, mulieres fuisse visionarias.* Legimus quidem (Mc 16, 8): „εἶχε γὰρ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις" = „invaserat enim
eas tremor et pavor", postquam viderunt sepulchrum vacuum et 211
iuvenem ibi sedentem; at etiam de populo obstupescente de sanatione viri ex utero matris claudi a Petro in templo patrata scriptum est (Act 3, 10) „impleti sunt stupore et exstasi in eo, quod contigerat illi"; certe multitudo haec exstatica non fuit. Econtra dicitur, quomodo mulieres omnia considerate praeparaverint et aggressae sint ad corpus Domini ungendum, sollicitae de lapide sepulchri revolvendo; ex quo patet, etiam illas nihil meditatas esse de resurrectione. — 7. *Resurrectio corporalis fuit res tam manifesta, ut nemo serio auderet id dubitare.* Sacerdotes et pharisaei pecunia custodes corruperunt, ut dicerent, sibi dormientibus corpus esse ablatum.

[1]) Cfr. *Jos. Schulte u. Fr. Tillmann*, in: Theologie u. Glaube, I. u. II, Paderborn 1909, 261 ss; 1910, 529 ss.

S. Petrus iam die Pentecostes coram toto populo idem annuntiare potuit nullo contradicente, immo tribus millibus hominum se convertentibus eandemque fidem profitentibus. S. Paulus coram Festo praeside de resurrectione loquens potuit addere (Act 26, 8 ss, 26): „Neque enim in angulo quidquam horum gestum est.“ Omnes scriptores christiani sequentes noverunt resurrectionem Christi, item Haeretici, Schismatici, varii libri apocryphi velut evangelium Hebraeorum, evangelium Petri: nusquam insinuatur, resurrectionem primo esse intellectam nonnisi ut spiritualem et demum postea ut corporalem. — 8. *Si relationes de visionibus et apparitionibus Christi demum posterius fictae essent, certe accurate vitatae essent omnes discrepantiae sermonis;* sic ipsae differentiae inter singulos hagiographos de resurrectione resurrectionem eamque physicam potius confirmant. — 9. *Naturaliter sine facto resurrectionis corporalis nequit declarari, quam celeriter acciderint transmutatio spiritualis apostolorum*, reditus
212 apostolorum dispersorum in Iudaeam et Ierusalem, constitutio ecclesiae, praedicatio et martyrium S. Stephani, persecutio ecclesiae usque ad Syriam, conversio S. Pauli: omnia haec nituntur fide resurrectionis et evenerunt, sicut ipse S. Eck Rationalista[1]) fatetur, intra 6—18 menses. Nam ipse Harnack[2]) concedit, conversionem S. Pauli contigisse anno 30. seu eodem anno, quo Christus obiit, vel anno immediate sequente. Hoc negant quidem alii, sed omnes conveniunt, saltem intra annos 30—35 evenisse. — 10. Quomodo sunt exponenda *miracula, labores et sudores, patientia, doctrina etc apostolorum subsequentia?* — 11. *Hallucinationes non subito nec eodem tempore invadunt magnam multitudinem hominum* nec solent perpetuo durare praesertim sub diris cruciatibus. Evenit quidem interdum, ut motus religiosi enthusiastici rapide se propagent; at id non fit sine rationibus et motivis promoventibus pure naturalibus, et haec, ut videbimus, prorsus defuerunt in propagatione Christianismi et eo ipso fidei in Christum resuscitatum. — 12. *Ridiculum est assertum, etiam S. Pauli conversionem fundari in putativa visione Christi nec eum tenuisse resurrectionem Christi physicam.* a) Repudianda est thesis, S. Paulum nonnisi imaginatum esse se Christum videre et vocem caelestem audire. Conversio Pauli ter narratur, scil Act 9; 22, 9 ss; et 26, 13 ss, et semper mentio fit, etiam comites Pauli lucem caelestem vidisse, vel vocem caelestem audivisse vel omnes comites humi stratos fuisse. Paulus licet imbutus fuerit opinionibus eschatologicis Iudaeorum et sententiis philosophicis Graecorum — de hoc non disputamus — tamen certe Damascum iter faciens ad Christianos persequendos non fuit naturaliter inclinatus ad fidem resurrectionis Christi amplectendam. Utique loquitur de visionibus et revelationibus sibi factis, at hae fuere supernaturales, sicut contextus clare exprimit. Eum epi-

[1]) l. c. p. 11. Similiter Pfleiderer, Urchristentum, 13.
[2]) Die Chronologie etc. I. 237.

lepticum fuisse, gratis asseritur, quare gratis negatur. Nemo sanae mentis contendat, S. Paulum, illum virum mente, verbo, opere, labore et constantia singularem, fuisse somniatorem et hallucinantem, vel pro suis fictionibus per annos plus quam triginta sustinuisse fere continuo itinera difficillima, calumnias, insidias, pericula, infestationes, castigationes immanes et demum mortis supplicium turpe. Econtra conversio eius novum miraculum eximium firmumque argumentum divinitatis religionis christianae est.[1]) — b) Certe ait S. Paulus (1 Cor 15, 47): „Primus homo de terra, terrenus, secundus homo de caelo, caelestis." Sed nequaquam hic docetur, Christum redivivum fuisse absque corpore physico; dicitur dumtaxat, Christum ut Verbum Dei de caelo descendisse eiusque corpus fuisse spirituale seu immune a concupiscentiis carnalibus, vel eius corpus gloriosum non iam fuisse terrenum seu corruptibile ut corpus Adae. — c) Revera apostolus (1 Cor 15, 5—7) scribit: Christus 213
visus est (ὤφθη) Cephae etc, at nullatenus exprimit, eum visum esse nonnisi spiritualiter in mentibus apostolorum, sed clare profert resurrectionem physicam; nam versu immediate antecedente (v. 4) notat: „et quia sepultus est (ἐτάφη) et quia resurrexit (ἐγήγερται) tertia die."[2]) In eodem capite nudis verbis resurrectionem carnis futuram pronuntiat (e. c. v. 52 s): „Canet tuba et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem." Christus autem est „primitiae dormientium" (v. 20 et 23). Immo resurrectio futura mortuorum stat et cadit cum resurrectione Christi (13 et 16): „Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit." Item apostolus effert, sine resurrectione Christi fidem omnem esse inanem et se ipsum esse falsum doctorem (v. 14 s): „Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est fides vestra, invenimur autem et falsi testes Dei." Omnia haec nihili sunt, si S. Paulus non corporalem resurrectionem tenuisset; nam Christi animam esse immortalem et permansuram apud Deum, non debuit tam expresse extolli.[3]) — d) Iam in epistolis ad Thessalonicenses, quas S. Paulus secundum Harnack (l. c.) anno 48. vel 49. scripsit, et quae secundum Rationalistas sunt libri antiquissimi testamenti novi, indubie docetur resurrectio physica. Legimus (I. 4, 13 ss): „Si credimus, quod Iesus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo . . Nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu et

[1]) *E. Moske*, Die Bekehrung d. hl. Paulus, Münster 1907. — *Fr. X. Pölzl*, Der Weltapostel Paulus. Münster 1914.

[2]) Similiter synoptici non solum habent vocem *ἐφάνη*, sed etiam *ἐφανερώθη*, *ἠγέρθη* (cfr. Marc. 16, 9, 12; Luc. 24, 6).

[3]) Epistolae ad Corinthios secundum Harnack (Chronologie etc. I. p. 293. Not. 1) scriptae sunt anno 53. Secundum Rationalistas Paulus primus testis fidei resurrectionis Christi est.

in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum Domino erimus." Hic evidenter docetur futurus adventus visibilis et corporalis Christi et physica resuscitatio mortuorum, et eo ipso physica resurrectio et ascensio Christi ipsius (cfr. I. 1, 10; 2, 19; 3, 13; II. 1, 7 et 10; 2, 1 et 8). — e) S. Paulus manifesto docet veram divinitatem Iesu Christi, atqui ex hac eo ipso resurrectio eius corporalis emanat. — 13. *Historia totius veteris testamenti destruitur, si dicitur, prophetias Messianas esse nonnisi vaticinia post eventum ficta.* Saltem valde mirandum est id, quod typi et effata antiquae legis concordissime conveniunt cum vita Christi. Non minus subvertitur vita Iesu Christi, qualem exhibent nobis evangelistae. Iam evangelium Marci, quod est secundum Rationalistas omnium antiquissimum et accuratissimum et optime ordinem chronologicum servat, in ipso capite primo (v. 10 ss) tradit, in Iordane Spiritum S. tamquam columbam super Christum descendisse et mansisse et vocem de caelo factam esse: „Tu es Filius meus dilectus." Idem narrat (9, 1 ss) transfigurationem in monte. — 14. *Si resurrectio Christi dumtaxat fundatur in visionibus subiectivis apostolorum, tota religio nititur his visionibus et hallucinationibus;* nam sine fide in resurrectionem Christi religio Christi non orta esset vel brevi in nihilum recidisset, sicut etiam Rationalistae concedunt.[1])

214 δ) Resurrectio Christi est factum historicum vere demonstrabile.

Non sufficit cum *theologis protestanticis orthodoxis* realitatem resurrectionis Iesu Christi tenere et defendere, sed dicere: factum resurrectionis non esse factum historicum sicut alia facta historica evidentia, sed credibile fieri nonnisi per fidem personalem, eo quod homo in animo sentit, Christum surrexisse.[2]) Similiter *Loisy* aliique modernistae. Pius X. (Lam. 36) damnavit thesim: „Resur-

[1]) *Strauss* (Der alte u. d. neue Glaube, 1872, 72) vocat historiam resurrectionis Christi „einen welthistorischen Humbug", sed simul fatetur, sine hac fide iam pridem futurum fuisse, ut doctrina Christi oblivioni traderetur. Item *Harnack* (Wesen des Christent. 102) „Von diesem Grabe her hat der unzerstörbare Glaube an die Überwindung des Todes und an ein ewiges Leben seinen Ursprung genommen. Man verweise nicht auf Plato, nicht auf die persische Religion und die spätjüdischen Gedanken und Schriften. Das alles wäre untergegangen und ist untergegangen; aber die Gewißheit der Auferstehung und eines ewigen Lebens, die sich an das Grab im Garten des Joseph knüpft, ist nicht untergegangen, und die Überzeugung, Jesus lebt, begründet noch heute die Hoffnungen auf das Bürgerrecht in einer ewigen Stadt, die das irdische Leben lebenswert und erträglich machen." Certissime, sed hoc factum non esset sine physica resurrectione; et cogitatio, Iesum vivere dumtaxat secundum animam et spiritualiter in historia sine resurrectione corporali, non sufficit ad religionem christianam ut religionem absolutam et unice veram obtinendam.

[2]) *Otto, B. Kessler*, Steude, Riggenbach, Ihmels; cfr. *A. Schulte*, in: Theologie u. Glaube 1909, 262 ss.

rectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit." Absque dubio argumenta historica et psychologica proposita hominem non proprie cogere possunt ad amplectendam fidem in resurrectionem; nam actus fidei est etiam actus voluntatis isque liber. Sed ex hoc nondum sequitur, hoc factum non esse historicum et vere demonstrabile et eo ipso credibile. Sine dubio est factum extraordinarium sui generis unicum, stupendum, supernaturale. At ex hoc nondum sequitur, non esse rationibus mere naturalibus demonstrabile. Argumenta adhibita mere naturalia sunt et naturaliter cognoscenda et probantia, sicut ex dictis elucet. Certitudo est quidem non metaphysica nec physica, sed tantummodo moralis; nam nullum factum historicum maiore certitudine gaudere potest. At haec certitudo quoad resurrectionem Christi multo maior est quam quoad permulta alia facta historica, de quorum realitate ipsi Rationalistae non dubitant. Fontes et testes plures, credibiliores et multo mediatiores et antiquiores sunt quam quoad multas res a Persis, Aegyptiis, Romanis, Graecis etc gestis, quae passim in scholis publicis docentur. Leges psychologicae, quibus argumenta nostra nituntur, ab omnibus psychologis ut certae et tutae agnitae sunt. Haec argumenta ducunt quidem ad factum naturaliter non undequaque perspiciendum, quia naturam et rationem transcendit, id est, naturaliter non comprehendimus, q u o m o d o id evenerit, sed revera idem contigisse, naturaliter intelligere possumus. Nescimus quidem q u o m o d o fuerit, sed scimus a n fuerit.

2. *Ascensio Christi in caelum.*

Haec traditur Lc 24, 51; Act 1, 4 ss; Mc 16, 19; innuitur Io 6, 63 et 20, 17; et praesupponitur Eph 4, 10; 1 Tim 3, 16; 1 Ptr 3, 22. Omnes formulae Symboli Apostolici ab initio ecclesiae habent: „tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris" (cfr. Denzinger, n 2 ss). Ascensio est nonnisi necessarium complementum resurrectionis et dignus finis totius vitae terrestris Christi. Ex rationibus supra allegatis hoc factum ut sola hallucinatio apostolorum putari nequit. In variis locorum horum citatorum stricte et expresse distinguitur ascensio Christi ab eius resurrectione. In Act 1, 3 ss praecise annotatur, Christum post resurrectionem per dies 40 apostolis apparuisse, et tunc demum videntibus illis in caelum elevatum esse. Quare reiicienda est opinio rationalistica, ascensionem unum dumtaxat actum esse cum resurrectione et nihil aliud significare nisi ascensionem animae Christi in caelum vel exaltationem spiritualem Christi coram Deo et hominibus factam. *Arnold Meyer*[1]) censet, ascensionem nihil aliud esse nisi discessum Christi a discipulis perbelle et magnifice pictum, vel

215

[1]) Die Auferstehung Christi, Tübingen 1905, 169 ss.

quandam compensationem pro Christo iterum venturo, sed venire cunctante. At eiusmodi declaratio sunt verba revera nihil declarantia, quae nullatenus obsecundant textibus biblicis, quare ea refutare non expedit. — Similiter expositio, quam dat *Ad. Harnack.*[1]) Secundum eum narratio de ascensione non oritur ab apostolis ipsis; neque Marcus neque Paulus eam nosse neque alibi in Novo Testamento occurrere dicitur nisi apud Lc 24, 51 et Act 1. Absque dubio illi errant, qui putant legendam de ascensione oriri ab Christianis — Ethnicis, qui mythos ethnicos de apotheosi heroum et imperatorum ad Christum applicasse dicuntur. Haec legenda oritur a Christianis — Iudaeis iisque Hierosolymitanis, qui apostolis absentibus eam ad Christum glorificandum fingebant similiter atque legendam de pueritia Christi. Lucas ipse cupidus nuntiandi miracula et honorificandi Christum has legendas assumpsit, breviter et minus distincte iam in Evangelio, fusius et distinctius in Actibus Apostolorum. Lucas sibi ipsi contradicit, quia secundum Evangelium ascensio facta est die resurrectionis ipso, secundum Actus demum 40 diebus post. Verum est, Marcum ascensionis mentionem facere in fine evangelii; sed hunc finem non spurium esse, ostendit Introductio in Nov. Test. Paulus et Petrus eam non ignorant, id quod patet ex locis citatis. Lucas in evangelio non dicit ascensionem die resurrectionis evenisse; ex eo quod ibi diem fixum non indicat, non sequitur, eum tunc ignorasse rem vel non credidisse. Harnack quidem censet, Lucam praesertim in Act. Apost. contra meliorem scientiam ascensionem carnalem tenuisse et descripsisse, sed hoc nullo modo demonstrat. Ratio unica est, quia Harnack miracula reprobat et eo ipso ascensionem miraculosam concedere non potest, id quod ipse fatetur.[2])

Cfr. *Perrone*, c. 4. prop. 1. — *Gutberlet*, 210 ss. — *Heinrich*, I. 465 ss. — *Wilmers*, 357 ss. — *Suarez*, l. c. qu. 45. — *Grimm*, Das Leben Jesu t. 1. 1876; t. 7. 1899. — *Müllendorff*, Der Glaube an d. Auferstandenen, 1900. — *Joh. Belser*, Die Geschichte des Leidens und Sterbens, der Auferstehung und Himmelfahrt des Herrn, Freiburg 1903. — *Riggenbach*, Die Auferstehung Jesu Christi, Groß-Lichterfelde 1905. — *J. B. Disteldorf*, Die Auferstehung Jesu Christi, Trier 1906. — *E. Dentler*, Die Auferstehung Jesu Christi nach den Berichten des Neuen Testamentes[3], Münster 1910. — *J. Muser*, Die Auferstehung Jesu und ihre neuesten Kritiker[3]. Paderborn 1914.

§ 6. De perfectione et dignitate Christi superhumana, messiana, divina.

I. Christo perfectio intellectualis superhumana competit.

216 1. *Christus nunquam fuit discipulus cuiusquam viri docti vel scholae*, fuit faber et filius fabri. Cum in patria sua publice prodiret et doceret, dixere cives: „Nonne hic est faber, filius Ioseph?“ (Lc 4, 22). Item legimus (Io 7, 15): „Mirabantur Iudaei dicentes: „Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?“

[1]) Die Apostelgeschichte, Leipzig 1908, 126 ss.
[2]) Die Apostelgeschichte, 225.

2. Iam *de puero duodecenni in templo* in medio doctorum sedente et interrogante scriptum est (Lc 2, 47): „Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius."

3. *Scientia eius superavit materialiter scientiam omnium* aequalium, maiorum et posterorum, non solum Iudaeorum, sed et maximorum philosophorum omnium gentium et temporum. Certe multa signa patravit, futura libera praedixit sicut nemo alius antea vel postea. Si hoc non fecit ex virtute supernaturali, saltem in eo fuit tanta scientia naturalis de natura eiusque viribus, quantam declarare non possumus. Proposuit praesertim doctrinam metaphysicam, moralem, religiosam de Deo et attributis divinis, de homine eiusque fine et praeceptis etc, qua nulla purior antea audita est aut postea sublimior proferri poterit. Scivit cogitationes hominum secretas.

4. *Modus loquendi et docendi intelligentiam et conscientiam sui ipsius non communem humanam ostendit.* — Christus eloquitur verum, quasi immediate intueatur; non meditatur, quid dicat; non dubitat, haesitat vel cunctatur in loquendo et respondendo, ne tunc quidem, quando ei ab inimicissimis interrogationes captiosissimae propositae sunt. Nunquam corrigit verba sua, non vocem revocat. Pronuntiat veritates profundissimas cum animi quiete et certitudine hominis eius, qui scit, se esse errore maiorem et infallibilem. Quare solebat incipere: amen, amen dico vobis; vel: dico vobis, ego autem dico vobis. Ex eadem ratione postulat, ut omnes verba sua absolute accipiant; cum (Io 6, 22 ss) discipuli dubitarent de verbis eius quoad eucharistiam mysteriosis et ab eo abituri essent, verba sua simpliciter confirmavit et sivit illos ire. Quam ob rem auditores „stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo illius" (Lc 4, 32); „erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei" (Mt 7, 28 s).[1])

5. *Christus ipse dixit, doctrinam suam a Deo venire* (Io 7, 16): „Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me."

II. Christus habuit perfectionem moralem superhumanam.

1. *Fuit sine peccato.* — Ipse solus potuit interrogare (Io 8, 46): **217**
„Quis ex vobis arguet me de peccato?" Etiam pharisaei, inimicissimi eius, non valuerunt invenire in eo quidquam vere reprehensibile, peccaminosum vel imperfectum, etsi ipse pharisaeis peccata et vitia saepe obiecit.

2. *Possedit omnes virtutes harmonice inter se coadunatas.* — Erga Deum repletus est zelo domus Dei, exhibuit ei absolutam oboedientiam, submissionem et reverentiam ita, ut diceret (Io 4, 34): „Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius." Erga proximum fuit ipsa caritas, benignitas,

---

[1]) Cfr. *L. Fonck*, Die Parabeln des Herrn im Evangelium[3], Innsbruck 1909. — *M. Meinertz*, Die Gleichnisse Jesu, Münster 1916.

mansuetudo; consumpsit totam vitam in benefaciendo corporaliter et spiritualiter infirmis. Praedicat quidem abnegationem sui ipsius, id est naturae perversae, sed non naturae et vitae per se in sensu buddhistico; commendat spem, caritatem etc.[1]) Erga se ipsum fuit ornatus summa humilitate, animi tranquillitate, abnegatione et moderantia, ita ut dicere posset (Mt 11, 29): „Discite a me, quia mitis sum et humilis corde." Coniunxit in se vitam contemplativam et activam, orationem et laborem, iustitiam et misericordiam, severitatem et clementiam, abstinentiam et affabilitatem, gravitatem et simplicitatem, maiestatem unicam sui generis cum humanitate et humilitate. Itaque potest designari et revera est homo idealis, exemplar et norma omnium, puerorum, iuvenum et virorum, fabrorum et doctorum. — Atqui talis homo idealis non potest esse homo communis, debet esse persona plus quam humana.

218 III. Christus conscientiam sui ipsius extraordinariam, immo superhumanam ostendit. Hoc probatur

1. ex Synopticis. Sicut iam supra (n. 167) animadvertimus, secundum modernum criticismum evangelium Ioannis nihil aliud est nisi theologia seu reflexiones de Christo eiusque doctrina, non autem fons eius vitae. Soli Mathaeus, Marcus et Lucas historiam referunt. Marcus scripsit primus, tradit praesertim facta Christi, non sermones. Sermones a Mathaeo et Luca traditi oriuntur ex „Logiis" seu fonte, qui sermones Christi continuit. Haec Logia et evangelium Marci efficiunt fontes, ex quibus Mathaeus et Lucas hauserunt. Testimonia sequentia ergo sumpta sunt secundum theologos protestanticos modernos hypercriticos ex Logiis seu fonte, qui prorsus immunis est ab influxu Paulino et Ioanneo, et non theologiam, sed historiam in medium profert. At iam ex Synopticis manifeste elucet, Iesum Christum prae se tulisse conscientiam sui singularem, transcendentem omnem modum humanum omnium statuum, aetatum et saeculorum, quae non mensura humana metienda, neque historice neque psychologice satis declaranda est. Hoc patet praeter locos iam citatos praesertim ex sequentibus.

a) *Plus et maior vult esse quam iusti, reges, prophetae Veteris Testamenti, qui a Iudaeis plurimum aestimabantur;* quare beatos praedicat discipulos suos, quia seipsum audierunt et viderunt, id quod antiquis iustis, regibus et prophetis non obtigerat: „Ecce plus quam Ionas hic . . ecce plus quam Salomon hic" (Mt 12, 41 s; Lc 11, 31 s). — Dico vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt." (Lc 10, 24; Mt 13, 17.) — Fuit etiam maior Sabbato, die Iudaeis sacerrima: „Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati." (Mt 12, 8.)

[1]) Cfr. *P. Dausch*, Lebensbejahung und Aszese Jesu, Münster 1913.

b) *Postulat ut omnis homo se sequatur, se confiteatur, sibi fidem habeat, omnia alia derelinquat, etiam cognatos et parentes oderit, sin aliter ad Deum venire vult.* „Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus." (Mt 10, 37.) Immo: „Si quis venit ad me et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus." (Lc 14, 26.) Cum discipulus quidam eum secuturus diceret: „Domine, permitte me primum ire et sepelire patrem meum," respondit: „Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos." (Mt 8, 21 s; Lc 9, 59 s.)

c) *Illos beatos praedicat, qui sui causa persecutiones patiuntur, vel qui discipulis suis minimum servitium praestant; econtra vae super illos vocat, qui asseclas suos scandalizant:* „Beati estis cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis." (Mt 5, 11 s; Lc 6, 22 s.) — „Quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam." (Mt 10, 42.) „Qui autem scandalizaverit unum de pupillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in colle eius et demergatur in profundum maris." (Mt 18, 6; Mc 9, 41; Lc 17, 2.)

d) *Christi persona tanta et tam gravis est, ut unusquisque ei adhaerere debeat;* male agunt non solum illi, qui ei adversantur, sed etiam illi qui non a parte eius sunt, etsi non eum impugnant, sed indifferentes se habent: „Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit." (Mt 12, 30.)

e) *Solum per Christum aditus ad Deum possibilis est:* „Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est." (Mt 10, 32 s; Mc 8, 38; Lc 9, 26; 12, 8 s.)

f) *Voluit esse nuntius divinus, nuntius extraordinarius, nuntius ille quem prophetae pronuntiaverunt.* „Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel." (Mt 15, 24.) „Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum." (Lc 4, 43.) In synagoga Nazarena „traditus est illi liber Isaiae prophetae. Et ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus, misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum" etc. „Coepit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris." (Lc 4, 16 ss.) „Ioannes (Baptista) cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus!" Iesus autem nullatenus negavit se esse illum venturum, sed simpli- 219

citer respondit: „Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis: Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur; et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.“ (Mt 11, 2 ss; Lc 7, 18 ss). Hisce verbis Iesus innuit in Is 35, 5; 61, 1.

g) *Voluit esse Christus, id est Messias, Unctus κ. ε.* Hoc sequitur iam ex locis citatis praesertim Lc 4, 16 ss. Praeterea inter alia ex his:

220 α) ex titulo *„Filius David“*. Hic titulus designat Messiam, id quod nemo negat, et ipsi Pharisaei confirmant: „Congregatis autem Pharisaeis interrogavit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei: David.“ (Mt 22, 42; Lc 20, 41; Mc 12, 35.) Cum Iesus curasset daemoniacum caecum et mutum, „stupebant omnes turbae, et dicebant: Numquid hic est filius David?“ (Mt 12, 22 s.) Hoc nomine Iesus vocatus est a duobus caecis (Mt 9, 27), ab aliis duobus caecis (Mt 20, 30 s; Mc 10, 47 s). Nomen hoc tam notum erat, ut etiam mulier Chananaea eo uteretur (Mt 15, 22). Cum Iesus paulo ante passionem suam in asina sedens Ierusalem ingrederetur, „multi vestimenta sua straverunt in via, alii autem frondes caedebant de arboribus et sternebant in via; et qui praeibant et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna; benedictus qui venit in nomine Domini; benedictum quod venit regnum patris nostri David; Hosanna in excelsis“ (Mc 11, 8 ss; Mt 21, 9). Verum quidem est, Iesum interdum praecepisse, ut homines sic clamantes tacerent (Mt 9, 30); at aliis non interdixit, sed permisit, ut se sequerentur (cfr. Mt 15, 22 s; 20, 34; Mc 10, 46 ss). Immo cum post ingressum in Ierusalem pueri in templo continuarent clamare: „Hosanna filio David,“ principes sacerdotes et Scribae „indignati sunt et dixerunt ei: Audis, quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Utique; nunquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti eis laudem?“ (Mt 21, 15 s.) His verbis Iesus iterum declaravit, in se esse adimpletam antiquam prophetiam scil Ps 8, 3. Quod fecit, etsi non ignorabat, adversarios serio studere ipsum interficere idque ob ipsum nomen *filii David* non reiectum.

221 β) ex nomine *„Filii hominis“*, quo nomine Iesus ipse se appellare solebat. Hoc fecit saepissime, sicut ex omnibus evangeliis apparet; complures locos Marci iam supra (n. 174) citavimus; alios afferre non opus est. Hoc nomen certe sumptum est ex Dn 7, 13 s: „Aspiciebam in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum eius, quod non corrumpetur.“

Contra hoc obiectum est ab adversariis (Wellhausen, Wrede etc), hoc nomen nihil aliud designare nisi *homo*. Praeterea Daniel loqui-

tur de potestate, honore, regno Filii hominis; Jesus autem non voluit eiusmodi honores, non cogitavit instituere regnum etc. — Respondeatur:

αα) Ineptum est asserere, Filium hominis nihil aliud significare nisi „*homo*“. Hoc nomine Iesus seipsum designat, et sic nomen primo loco idem dicit cum „ego“. Exprimit autem etiam dignitatem et potestatem extraordinariam, qua hic homo isque solus, non alter homo, non quilibet homo gaudet. E. c. verba (Mt 12, 8): „Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati,“ absurda et contra totum contextum sunt, si Filius hominis nihil aliud est nisi *homo*, et homo merus, vel alter homo potestatem haberet super hanc diem Iudaeis sacerrimam.

ββ) Concedimus Iesum voluisse esse Messiam non politicum 222
vel cum pompa regali, sicut Iudaei exspectaverunt, sed Messiam ut magistrum, et prophetam, immo Messiam patientem, et peccata omnium in se sustinentem et expiantem, qualem praesertim Is 53 describit. Sed ex hoc non sequitur eum non cogitasse instituere regnum. Iam Ioannes Baptista praedicavit (Mt 3, 2): „Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum.“ Pariter Iesus ipse his verbis magisterium suum coepit. Mt narrat tentationem eius a diabolo in deserto et deinde pergit (Mt 4, 17): „Exinde coepit Iesus praedicare et dicere: poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum.“ Etiam apostolis duodecim immediate postquam eos elegit, praecepit (Mt 10, 7): „Euntes praedicate dicentes: quia appropinquavit regnum caelorum.“ Praeterea saepissime alibi loquitur de hoc regno caelorum (cfr. Mt 5, 3, 19, 20; 7, 21; 11, 11 etc.). Apud Mc et Lc saepissime loquitur de regno *Dei;* sed non dubitari quit, quin hoc regnum Dei idem sit cum regno *caelorum*, cuius Iesus apud Mt mentionem facit. Hoc regnum, quamquam imprimis invisibile et spirituale est, abnegationem sui ipsius postulat, tamen etiam visibile et corporale est, delicias corporales praebebit (Mt 8, 11 s): „Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno caelorum; filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.“ Hisce verbis manifesto alluditur in Dn 7, 13 s, et simul exprimitur regnum Christi simile esse regnis saecularibus, etsi alias valde differt. Iesum intendisse instituere regnum visibile seu ecclesiam, postea fusius exponemus.

γγ) Concedimus quoque, temporibus Christi nomen Filii hominis non fuisse nomen Messiae usitatum. Nam cum Iesus discipulos suos interrogaret: „Quem dicunt homines esse Filium hominis? illi responderunt: „Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam aut unum ex prophetis“ (Mt 16, 14; Mc 8, 28; Lc 9, 19). Nemo dixit „Messiam“. Secundum Io 12, 34: „respondit ei turba: „Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum; et quomodo tu dicis: oportet exaltari Filium hominis? Quis est

iste Filius hominis?" Absque dubio Iesus ex industria primo tempore suae vitae et apparitionis publicae abstinuit a nomine Messiae (Christi), quia noluit producere tumultus populi, qui eum regem facere studebant et Messiam politicum exspectabant; quare elegit nomen Filii hominis, quod minus periculosum erat, etsi idem dicebat atque Messias. At ne nomen Messiae recusavit, immo expresse confessus est, se Messiam esse.

223 h) Iesus voluit esse non solum Christus (Messias), sed etiam *Filius Dei*. — Iesus a Synopticis omnibus dicitur Christus, Filius Dei. Locos aliquos ex Marco iam supra (n. 174) attulimus, alios proponere non opus est. Sine dubio Iesus interdum vetuit id dicere, velut daemones (Lc 4, 41), discipulos (Mt 16, 20; Mc 8, 29 s; Lc 9, 20 s). Egit sic, ne tumultus in populo, qui eum regem constituere volebant, fierent. At nunquam declaravit hoc esse falsum vel Ioannem Baptistam, discipulos etc hoc putantes et asserentes se decepisse. Immo visus est velle, ut discipuli id cognoscerent et crederent. Nam responsioni Petri: „Tu es Christus, Filius Dei vivi" praecessit interrogatio Iesu: „Vos autem quem me esse dicitis." Et hanc responsionem Petri non solum non vituperavit, sed approbavit addens: „Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est." Quare praeceptum, „ut nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus", nullatenus obstat (Mt 16, 15 ss; Mc 8, 29 s; Lc 9, 20 s). Quin immo a Caipha, principe sacerdotum, coram synedrio adiuratus „per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Filius Dei, dicit illi Iesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli" (Mt 26, 63; Mc 14, 61; Lc 22, 66 ss). Hisce verbis Iesus simul innuit in Dn 7, 13 s et declaravit Filium hominis eundem esse Messiam. Pharisaei, Seniores et Scribae non dubitavere, quin Iesus Messias et Filius Dei esse vellet. Nam legimus (Lc 22, 70 s): „Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore eius." Ob hoc testimonium mortis damnatus est.

224 i) Quasi Ioannea sunt verba: „Confiteor tibi Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare" (Mt 11, 25 ss; Lc 10, 21 s). Haec verba evidenter exprimunt, Iesum ad Deum habere relationem sui generis unicam; nemo alter novit Patrem sicut ipse, et nemo alter novit Filium nisi Pater; sicut Pater secreta caelestia revelat cui vult, sic etiam Filius, id est Iesus. Locus noster ab aliquibus quidem spurius putatur, sed ipse Harnack in longo et subtili excursu ostendit eum esse quoad omnia

essentialia genuinum et iam exstitisse in „Logiis“ seu collectione sermonum Iesu, ex qua Mt et Lc hausere.[1])

k) Adscripsit sibi potestates et proprietates extraordinarias, quae nulli homini communi, immo soli Deo competunt. Non solum ipse curavit infirmos omnis generis et eiecit daemonia, sed hanc potestatem etiam discipulis suis promisit; et hi revera similia signa nomine eius patraverunt. Dixit se habere potestatem dimittendi peccata, verba sua non transitura esse, etsi caelum et terra transibunt. Omnia haec refert iam Mc (cfr. n. 174). Quare superfluum est appellare Mt et Lc.

l) *Talia fecit et locutus est iam puer.* De adolescentia Iesu nihil 225
aliud scimus nisi quod Lc 2, 42 ss de puero duodecenni in templo commorato refert: „Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis.“ Parentibus quaerentibus respondit: „Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?“ Ergo iam tunc Deum patrem suum nominabat, non aliter atque postea et praesertim apud Ioannem. Prorsus non est, quare assentiamus Wrede aliisque opinantibus, Iesum non ab initio scivisse se esse Messiam etc, sed demum id cogitasse, cum populus sentiret se Christum esse et eum regem staturus esset. Iam ab initio muneris docendi se nominavit Filium hominis; omnes evangelistae tradunt, in baptismo in Iordane Spiritum S. super eum venisse, vel vocem de caelo sonasse: Tu es Filius meus etc. Hoc autem factum est antequam publice prodiret; et nullatenus est, quare an hoc revera factum sit, dubitemus (cfr. Mt 3, 16 s; Mc 1, 9 ss; Lc 3, 21 s; Io 1, 32.)

2. *Ex evangelio Ioannis.* Apud Io Iesus fere in omnibus sermoni- 226
bus testimonium de se ipso perhibet, clare et indubie asserens, se a Deo Patre esse missum, eius filium esse, in Patre et Patrem in ipso esse, idem facere cum Patre, ita ut qui ipsum videt et honorat, Patrem videat et honoret etc (cfr. 5, 19 ss; 14, 1 ss). Addit se fuisse, priusquam Abraham esset, immo ante creationem mundi apud Patrem beatum et gloriosum fuisse: „Et nunc clarifica me tu (17, 5) Pater, apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.“ Attribuit ergo sibi ipse praeexistentiam. Consequenter agit evangelista, eo quod Iesum nominat Verbum Dei, quod in principio erat apud Deum, ipse Deus, qui mundum creavit et postea homo factus est (1, 1 ss). Absque dubio evangelium Ioannis hoc modo non paulum distat a Synopticis; at quoad omnia essentialia cum eo conveniunt, sicut apparet ex dissertatione praecedente. Synoptici referunt praesertim sermones, quos Iesus in Galilaea habuit ad populum simplicem. Ioannes tradit imprimis

[1]) Sprüche und Reden Jesu, die zweite Quelle des Matthäus und Lukas, Leipzig 1907, 189—216. Fons alter est Marcus.

illos, quos habuit in Ierusalem coram Pharisaeis et Scribis, theologis illius temporis, qui studebant scire, quid de seipso et relatione sua ad Deum sentiret. Praeterea sermones hi habiti sunt plurimum paulo ante mortem Christi, quam non iam effugere, immo accelerare volebat, cum „tempus" eius advenisset (cfr. 7, 6—8). Ideo non est, quare dubitemus, quin Iesus hos sermones ipse habuerit, vel quin ea facta historica sint, non autem mera figmenta postea ab aliis inventa et ei adscripta.[1])

IV. *Iesus revera id fuit, quod esse voluit. Id est, fuit nuntius divinus et propheta extraordinarius, Messias, Filius Dei, ipse Deus.*

227 1. Non fecit sola verba extraordinaria et divina, sed etiam eiusmodi *opera, et ostendit sic verba sua esse vera.* Hoc ostendunt miracula et prophetiae eius eventu probata, de quibus supra fusius egimus. Ipse ad ea appellat ut ad testimonia, verba sua esse vera: „Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me" (Io 5, 36). „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre" (Io 10, 37 s).

2. *Deus Pater ipse per opera extraordinaria attestatus est Iesum esse suum nuntium, immo Filium.* Signis multis miraculosis probavit eius divinitatem et filiationem divinam, sicut supra (n. 187 ss) in propria paragrapho vidimus. Iteratis vicibus in his appellavit eum voce mirabili de caelo descendente filium suum dilectum, quem omnes audiant, scil. in baptismo in Iordane, et in transfiguratione in monte (Mt 3, 16 s; Mc 1, 11; Lc 3, 22; Mt 17, 5; Mc 9, 6; Lc 9, 35). Miraculose suscitavit eum a mortuis.

3. *Totus animus et character Iesu Christi, eius perfectio intellectiva et moralis postulant, ut Iesus iudicetur persona superhumana, quae falli et fallere non poterat.* Eo ipso sunt vera omnia, quae de se ipso praedicabat, et est ipse, qui et qualis esse voluit. Atqui Christus saepius docuit, se a Deo vel Patre in mundum esse missum, vel de caelo descendisse, vel omnem potestatem in caelo et terra a Patre sibi esse datam. Vocat se ipsum viam, veritatem, vitam, lucem mundi, vindicat sibi impeccantiam et omnimodam perfectionem, designat se Messiam, Filium Dei, Deum ipsum, postulat, ut omnes se honorificent sicut Patrem. Ergo Christus revera est Filius Dei, Deus, et eo ipso religio eius vera est. Alioquin esset aut homo perfecte phreneticus, qui se ipsum seduxit, vel impostor maxime abominabilis. At ubi manet sub hac hypothesi ille homo sapien-

[1]) Ipse Harnack disserit, Ioannem non raro Synopticos corrigere et supplere, imprimis aut ex Luca hausisse aut eodem fonte cum eo usum esse, praesertim cum Lucas et Ioannes 80 verba usurpent, quae apud Marcum et Mathaeum desunt (Lukas der Arzt, Leipzig 1906, 157 ss).

tissimus Nazarenus, quem ipsi Rationalistae Christum dicunt? Quomodo declarandus est totus character, tota vita Christi, eius infinita lenitas et constantia animi indelebilis, sermonis amoenitas et suavitas incomparabilis, modus in omnibus eloquiis et operibus ineffabilis, sapientia illa incomprehensibilis, quae ex omni verbo et actu Christi elucet? Quomodo per hominem amentem, qui ob ideas suas imaginarias in obcaecatione horrenda mortem immanem subiit, religio christiana, qua verior, pulchrior et concinnior nulla alia est vel cogitari potest, fundari valuit? Quomodo hoc opus hominis vesani per duo fere millenaria stare et super totum orbem propagari potuit? Quomodo sexcenties centena millia hominum hunc seductorem vel dementem ut Deum colere, pro eo mori potuerunt, atque etiam hodie post 19 saecula semper id faciunt?[1])

Cfr. *Gutberlet*, II. 248 ss. — *Heinrich*, I. 448 ss. — *Hettinger*, I. 382 ss. — *Schanz*, II. 637 ss. — *Wilmers*, 381 ss. — *Roh*, Was ist Christus? ed. 7. 1900. — *Walther W.*, Ad. Harnacks Wesen des Christentums für d. christl. Gemeinde geprüft, 1901. — *Reinhold G.*, Das Wesen des Christentums, eine Entgegnung auf Harnacks gleichnamiges Buch, 1901. — *Hennemann C.*, Die Heiligkeit Jesu als Beweis seiner Gottheit, 1898. — *Ant. Seitz*, Das Evangelium vom Gottessohn, Freiburg 1908. — *Fr. Tillmann*, Jesus der Menschensohn, Münster 1908. — Idem: Das Selbstbewußtsein des Gottessohnes auf Grund der synopt. Evangelien; l. c. 1911. — *E. Kühl*, Das Selbstbewußtsein Jesu, Groß-Lichterfelde 1907. — *Hilar. Felder O. M. C.*, Das Bewußtsein Jesu (Jesus Christus, Apologie etc I, Paderborn 1911). — *G. Esser*, Jesus Christus, der göttl. Lehrer der Menschheit, Religion, Christentum, Kirche, ed. G. Esser u. J. Mausbach, Münster 1921, II. Band, 2. Teil.

§ 7. De miraculosa fundatione, propagatione et conservatione religionis christianae seu ecclesiae catholicae.

Conc. Vatican. (3. cap. 3) ait: „Quin etiam ecclesia per se ipsa, 228
ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum

[1]) Ex omnibus his rationibus ipse J. J. Rousseau palam profitetur divinitatem Jesu Christi scribens (Émile l. 4. l. c. p. 365 s.): „Je vous avoue aussi que la maiesté des Écritures m'étonne, la sainteté de l'Évangile parle à mon coeur. Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, qu'elle pureté dans ses moeurs! quelle grâce touchante dans ses instructions! quelle élévation dans ses maximes! quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit, qu'elle finesse et qu'elle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans foiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus-Christ . . . Qui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus, sont d'un Dieu. Dirons nous que l'histoire de l'Évangile est inventée à plaisir? Mon ami, ce n'est pas ainsi, qu'on invente; et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés que ceux de Jésus-Christ. Au fond, c'est reculer la difficulté sans la détruire; il seroit plus inconcevable que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs, n'eussent trouvé ni ce ton, ni cette morale; et l'Évangile a des caractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en seroit plus étonnant que le héros."

est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile". Reapse religio christiana (vel ecclesia catholica) per se ipsa ob dictas praerogativas est „signum levatum in nationes", sicut idem Concilium pergit, et sigillum divinitatis quasi in fronte omnibus cognoscibile prae se fert. — In hac paragrapho theses has statuimus:

I. Fundatio ecclesiae originem divinam ostendit.

229 1. *Dies natalis religionis christianae aptissime designari potest dies Pentecostes.* Tunc ecclesia fundata est idque sub signis certe supernaturalibus, quae manifesto ortum divinum Christianismi produnt. Legimus enim (Act 2, 1 ss): „Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, et factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu S. et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis."

230 2. *Rationalistae miracula die Pentecostes facta declarare non possunt.*

a) Inepta est declaratio, quam *Renan*[1]) de hac re dat: In tempestate procellosa vehementique fulgur tetigit domum, ubi apostoli erant congregati. Quia ingenter hallucinatione laborabant, putabant, radios fulguris in conclavi coruscantes et circumagitatos esse Spiritum S. ipsum, qui in igneis linguis descendisset. Apostoli hac apparitione imaginaria inflammati sunt ad defendendam rem christianam, locuti sunt similiter ac Pythia Delphica vocibus non articulatis, quas unusquisque auditor in sua ipsius lingua intelligere sibi visus est. Ergo etiam auditores, Parthi, Medi, Graeci, Romani etc hallucinatione quadam abrepti sunt; ergo tota religio christiana est opus hallucinantium et somniantium: Quantopere hallucinatus est Renan!

b) Item respuendum est, id quod *Pfleiderer*[2]) sentit, scil. effusionem Spiritus S. die Pentecostes esse idem ac apparitionem Christi coram 500 fratribus secundum 1 Cor 15, 6. Secundum Act 1, 15 in Ierusalem nonnisi fere 120 fratres collecti erant, non 500; dein apparitio Christi die Pentecostes nihil innuitur; stricte distinguitur inter Iesum resuscitatum et Spiritum S. Hic Iesus effudit Spiritum S. (Act 2, 32 s).

c) Similiter *Harnack* arbitratur, effusionem Spiritus esse idem factum cum apparitione coram 500 fratribus, censens hos 500 fratres

[1]) Les apôtres, Paris 1866, chap. 4. — Similiter *Lippert* (Christentum, Volksglaube und Volksbrauch, 1882, 201), miraculum Pentecostes nonnisi esse rem imaginatam ex falsa expositione locorum quorundam biblicorum, praesertim Luc. 3. 16, ubi Jo. Baptista baptismum in Spiritu S. et igni praedicit.

[2]) Urchristentum, p. 13.

esse eosdem cum illis 5000 viris, qui notantur Act 4, 4.[1]) Id quod Lc (Act 2) de factis die Pentecostes tradit, sumptum est ex fonte vel traditione iuniore oriundo post eversionem Hierosolymorum (an. 70); sed idem Lucas noverat antiquiorem et meliorem fontem, qui nihil sciat de dicta effusione Spiritus S.; et contra meliorem scientiam praetulit fontem iuniorem, quia ipse erat cupidus videndi et narrandi miracula. Lucas confundit fontes et sic res gestas. Revera S. Petrus primo loco sanavit hominem ab utero matris claudum (Act 3); ob hoc miraculum Petrus et apostoli aliique repleti sunt Spiritu S., id est enthusiasmo, Petrus sermonem habuit, quem legimus Act 2, 14 ss; multi converterunt se ad Christum, enthusiasmus crevit et rapuit multos, ita ut enthusiastice loquerentur linguis suis, et hic enthusiasmus et locutio est illa effusio Spiritus Sancti etc, quae Act 2, 1 ss describitur. — Resp. Nulla prorsus causa est sentiendi 231
illos 500 fratres, coram quibus Iesus apparuit, esse eosdem cum dictis 5000 viris. Secundum Act 2, 41 die Pentecostes 3000 animae appositae sunt fidei Christi et hae brevi creverunt ad 5000 viros; sed 3000 et 5000 esse idem cum 500, opinio mere arbitraria est. Accedit quod illis 500 *Iesus* apparuit, *non Spiritus S.*, die Pentecostes autem non Iesus, sed Spiritus S.; ipse Arnold Meyer „magnam difficultatem“[2]) in eo invenit, quod die Pentecostes non Iesus ipse apparuit. Secundum Act 2, 2 ss factus est „repente de caelo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes“. Non fuisse terrae motum, ex eo sequitur, quod non tota urbs Iesusalem sono replebatur, sed sola domus, ubi apostoli congregati erant; secundum contextum enim multitudo ad hanc domum convenisse videtur. Enthusiasmus, de quo loquitur Harnack, non declarat, apparuisse dispertitas linguas tamquam ignem et sedisse supra singulos. Locutio enthusiastica, quam is sentit, nullatenus quadrat cum verbis: „Stupebant autem omnes et mirabantur dicentes: nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilaei sunt, et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, Medi, et Aelamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphiliam, Aegyptum et partes Libyae, quae est circa Cyrenen, et advenae Romani, Iudaei quoque et Proselyti, Cretes et Arabes: audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.“ Harnack ipse asserit (153), Lucam ipsum nomina horum populorum dictorum invenisse et composuisse. At quid in his suppositis sentiendum est de evangelistae animo, moribus, ingenio, arte scribendi, quem Harnack saepius summis laudibus effert?[3]) Solum eo peccavit, quod

---

[1]) Die Apostelgeschichte 146 ss.

[2]) „Große Schwierigkeit“ l. c. 170.

[3]) Harnack ait, Lucam possedisse „hohe schriftstellerische Gaben“, eum conversatum esse non solum cum Paulo, sed etiam cum christianismo iudaico primitivo; Actus Apost. esse ein „Kunstwerk“, „eine schriftstellerische Leistung ersten Ranges im

miracula admisit et assumpsit.[1]) Prorsus arbitrarium quoque esse videtur, quod Harnack quoad cap. 1—15 varios fontes, ex quibus Lucas hausit, statuit, praesertim cum ipse profiteatur, omnino impossibile esse quoad haec capita ex modo loquendi et copia verborum cum certitudine diversos fontes distinguere (131). Harnack gloriatur arte critica moderna, et ipse graviter contra eius principia fundamentalia peccat; appellat ad miracula, etsi ea prorsus negat.

232 d) Pariter inepta est declaratio, quam *Arn. Meyer* (189 ss) dat. Miracula die Pentecostes facta nihil aliud sunt nisi translatio legendarum iudaicarum; Iudaei tunc temporis putabant legem in monte Sinai et postea apparuisse sub similibus signis, qualia Lucas refert; secundum Iudaeos lex visibiliter apparuit non solum in Sinai, sed etiam post deletum primum templum in aëre et divisit se in 70, id est in omnes linguas mundi; has legendas Christiani primi noverant et adhibebant suo modo. Resp. A. Meyer citat quidem Philonem (de decal. 9, 11) et Talmud. Sed quidquid scribunt Philo et Talmud de apparitione legis, haec legenda nullatenus declarat, quod Lucas tradit, praesertim non totalem et repentinam conversionem animorum apostolorum, praesertim Petri. Iudaei ad domum apostolorum convenientes non cogitaverunt has legendas, sed putabant eos esse plenos musto. Lucas loquitur de linguis igneis, quae sedebant supra praesentes; effert apostolos a Parthis, Medis etc in lingua parthica, medica etc intellectos esse. A. Meyer non addit, hoc occurrere in legenda iudaica; non probat legendam in Talmud multo posteriore inveniendam iam temporibus apostolorum extitisse.

II. Propagatio Christianismi opus divinum est.

233 1. *Haec propagatio contigit celerrime.*[2]) — Iam die Pentecostes „appositae sunt in die illa animae circiter tria millia“ (Act 2, 41). Scriptores rerum antiqui tum christiani tum gentiles una voce tradunt, religionem christianam rapidissime super totum imperium Romanum seu terram tum cognitam esse diffusam. Iam Tertullianus[3]) potuit Paganis obiicere: „Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa.“ Plinius[4]) scribit Traiano imperatori de Christianis:

Aufbau, nicht minder wie im Stil.“ (Luc. d. Arzt 13, 102 s.) Die Apostelgeschichte „folgt außer einigen panegyrischen Anwandlungen in bezug auf die Urgemeinde keinen Tendenzen, die die reine Darstellung des geschichtlichen Verlaufs stören, und sein Verfasser hat genug gewußt, um als Geschichtschreiber auftreten zu dürfen. Es ist fast von jedem möglichen Standpunkt geschichtlicher Kritik aus ein solides und respektables, in mancher Hinsicht aber ein außerordentliches Werk.“

[1]) Die Apostelgeschichte 222 s.

[2]) Cfr. *A. Harnack*, Die Mission und Ausbreitung des Christentums in den ersten drei Jahrhunderten[3]. Leipzig 1915.

[3]) Apol. 37; M. 1, 462.

[4]) Ep. l. 10. ep. 97. De genuinitate et gravitate huius epistolae cfr. *J. Kleffner*, Der Briefwechsel zwischen dem jüngeren Plinius u. Kaiser Trajan, Paderborn 1907. —

„Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.“ Notat praeterea, templa esse desolata, sacra solemnia iam diu intermissa, rarissime inveniri emptorem victimarum.

2. *Difficultates et impedimenta propagationi religionis chri-* 234
stianae obstantia.

a) *Religio christiana ipsa ab homine postulat sacrificia permagna.* — Poscit, ut homo inhaesitanter et indubitanter credat mysteria, quae contra rationem esse videntur, e. c. mysterium SS. Trinitatis, vel contra dignitatem et maiestatem divinam, e. c. doctrinam, Deum ipsum esse crucifixum, Deum nobis carnem et sanguinem suum sumendum dare. Cum ipsi discipuli Christi, viri simplices, etsi miracula Christi viderant, de doctrina quoad eucharistiam dixerint (Io 6, 61): „Durus est hic sermo et quis potest eum audire“, quam absurda eadem ipsis philosophis visa est! Haec religio praecipit, ut homo quotidie baiulet crucem suam et sequatur Christum crucifixum, se ipsum mortificet et abneget cupiditates carnales; et ut habeat lucrum, pro religione sua contumelias, iniurias, detrimenta, immo mortem pati; et ut inimicos diligat, humilitatem et paupertatem praeferat honoribus et divitiis. Religio ea, quae beatos dicit pauperes, esurientes eosque, quos mundus odit et reiicit et persequitur, sed vae exclamat super divites, saturos ridentesque etc (Lc 6, 20 ss): ea religio, si regna et terram sibi subiicit, opus mere humanum esse nequit.

b) *Religio christiana bellum intulit corruptelae morum nefandae, sexcentis aliis religionibus et cultibus*, omnes eas damnavit, se solam declaravit veram. Vanos dixit eos deos, qui Romam ad culmen imperii evexisse putabantur, et ita simul cum religione publica etiam fundamenta reipublicae Romanae evertere visa est. Reprobavit usus, consuetudines, praeiudicia inveterata, quae tum Gentibus tum Iudaeis quasi natura altera facta erant. Pronuntiavit e. c. in Christo non esse distinctionem inter Iudaeum et Graecum, inter Graecum et barbarum Scythamque, inter liberum et servum (Gal 3, 28; Col 3, 11). Statuit absolutam indissolubilitatem matrimonii tum Gentibus tum Iudaeis ignotam et odiosam, in cuius pronuntiatione ipsi discipuli Christi dixere: „Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere“ (Mt 19, 10).

c) Quare *religio christiana brevi putata est „exitiabilis superstitio“*[1]) *vel „amentia“*,[2]) *et Christiani fuerunt „odium generis hu-*

De numero Christianorum magno in singulis finibus imperii Romani iam saeculo 1. cfr. *Schultze Victor* (Geschichte des Untergangs des griechisch-römischen Heidentums. 1887. I. 1 ss.).

[1]) Tacitus, annal. 15, 44. [2]) Plinius l. c.

mani".[1]) Philosophi ostenderunt vesaniam et dementiam religionis christianae, poëtae satyris in eam invexerunt, theatra et spectacula eam ludibrio habuerunt, imperatores persecuti sunt legibus, minis, caedibus, suppliciis et omnibus generibus poenarum. Iam secundum Act 28, 22 Iudaei Romae habitantes S. Paulo dixerunt: „De hac secta hoc notum est nobis, quia ubique ei contradicitur." Ut Tertullianus[2]) refert, Christianis omnes calamitates, quae rempublicam gravabant, crimini datae sunt: „Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arva, si caelum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: Christianos ad leonem!" Item Arnobius.[3]) At religio christiana in omnibus his crevit et stetit et se opus Dei esse sic ostendit.

235 3. *Media naturalia adhibita prorsus insufficientia fuere.* — Effectus magni consueverunt prodire per viros magni ingenii et excellentes origine et dignitate vel praeditos auctoritate, dexteritate, scientia, eloquentia, experientia, per vim armorum, per opes et divitias, per promissionem bonorum temporalium et vitae licentioris. Nullis earum praerogativarum gavisi sunt apostoli, iis mediis nullatenus usi sunt. Apostoli non eminuerunt genere, nativitate, familia, facultate dicendi, loco, gravitate; quin immo fuere simplices piscatores „sine litteris et idiotae", sicut ipsi pharisaei declaravere (Act 4,13); nunquam scholam frequentaverunt; orti erant ex gente Iudaeorum apud omnes alias nationes odiosa, immo erant Galilaei apud Iudaeos ipsos despecti; erant ideis et praeiudiciis iudaicis obstricti, nunquam antea ex regione sua remota discesserant. Numero tantum fuerunt undecim, arma et divitiae eis praesto non fuerunt, sed „sine sacculo et pera et calceamentis" (Lc 22, 35) exierunt. Non blandiebantur passionibus et voluptatibus plebis, sed „poenitentiam agite" annuntiavit iam die Pentecostes S. Petrus in prima concione christiana (Act 2, 38). Revera scribere potuit S. Paulus (1 Cor 1, 27 ss): „Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundant sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret." Vero arma militiae christianae carnalia non fuerunt, verumtamen destruxerunt munitiones omnes et consilia et omnem altitudinem se extollentem adversus scientiam Dei et in captivitatem redegerunt omnem intellectum in obsequium Christi; fuit enim in eis potentia Dei (2 Cor 10, 4 s). *Scotus:*[4]) „Quid enim incredibilius quam ut ad legem contrariam carni et sanguini doctores pauci et rudes et pauperes possent plurimos potentes ac sapientes convertere?" — Certe temporibus posterioribus ecclesiae ad propagandam religionem christianam adhibitae sunt scientia, opes, immo

[1]) Tacitus l. c.
[2]) Apologet. 40; M. 1. 479.
[3]) Adv. gentes, 1, 3. M. 5, 724.
[4]) Prol. in Sent. qu. 2. n. 10.

vis armorum. At tum ecclesia iam pridem tam firmos radices egerat, ut etiam sine his mediis naturalibus stare et crescere posset.

4. *Adhibita sunt media manifesto supernaturalia.* — Testibus Actibus Apostolorum et historia ecclesiastica tum apostoli tum eorum successores in praedicatione evangelii ad probandam veritatem christianam multa miracula aliaque signa extraordinaria effecerunt. Disserit iam S. Augustinus,[1]) propagationem Christianismi sine miraculis factam fere mirabiliorem futuram fuisse quam ipsa miracula ab apostolis patrata.

III. Conservatio religionis christianae (seu ecclesiae catholicae) miraculum historicum est. 236

Ecclesia omnibus saeculis infestata est periculis, vexationibus, persecutionibus tum intrinsecis tum extrinsecis tum plerumque ambobus simul et undique minantibus. Inter persecutiones terribilissimas primorum trium saeculorum gnosis falsa, hydra centiceps, contra ecclesiam surrexit animosque perturbavit. Deinde ecclesia ab intra per Arianismum, Nestorianismum, Monophysitismum etc commota est, et simul undique per peregrinationem populorum barbari in terras christianas irruperunt et omnia vastaverunt. Postea Persae, Mohammedani etc continuo ecclesiae interitum parare studuerunt. Haeresis, schisma, pseudoscientia, pseudocultura, proditio, simonia, scandala, corruptela morum, sensus et studium terrestre, lites cum potestate civili, perpetuo ecclesiae damna et pericula ingentia attulerunt. At ex omnibus his discriminibus ecclesia victrix discessit, etsi hostes ei saepe perniciem imminentem praedixerant. Quin immo tempora plena passionum non raro fuere periodi fulgentes. Persecutiones gentilium dederunt ecclesiae athletas fidei eximios, scil. ss. martyres. Inter controversias trinitarias et christologicas floruere lumina illa ecclesiae, SS. Patres. Peregrinatio populorum, quae toti rei christianae, humanae, civili et sociali, talia vulnera inflixit, ut ipse Gregorius Magnus censeret, finem saeculi advenisse,[2]) duxit gentes barbaras in sinum ecclesiae, et haec potuit se praebere magistram nationum rudium, patronam et conservatricem artium et litterarum. Pugnae contra Mohammedanos genuerunt professiones fidei illas splendidas, scil. expeditiones Christianorum ad Terram Sanctam liberandam missas. Inter haereses medii aevi, scil. Albigensium etc, floruere Scholastici et magni ordines religiosi. Apostasia tristis per pseudoreformationem orta peperit in ecclesia per Conc. Trident. veram reformationem et regenerationem; tum multi egregii Sancti exstiterunt et ecclesia valde propagata est in America et Asia. Revolutio francogallica et saecularisatio fine saeculi 18. et initio saeculi 19., quae ecclesiae

[1]) Civ. Dei. 22, 5; M. 41, 755 ss.
[2]) Hom. IV. in evang. n. 2; M. 76, 1090.

vulnera gravissima inflixerunt, simul destruxerunt vel fregerunt Gallicanismum, Febronianismum, Iosephinismum in sinu ecclesiae ortos eique valde perniciosos. Illo tempore, ubi omnes civitates catholicae ecclesiam et papatum presserunt, et interitus papatus prope esse pronuntiabatur, ipse imperator Russiae schismaticus protexit conclave Venetiis 1799. ad Pium VII. eligendum habitum. Diebus nostris, ubi auctoritas saecularis papatus prorsus deletus est, auctoritas spiritualis eius incrementum vix divinandum vidit.[1]) Semper sua cuique morbo corporis ecclesiastici remedia praesto fuerunt, et ecclesia denuo revixit et refloruit. Quare portae inferi seu vis mortalitatis ac defectibilitatis, quae conterit omnia sublunaria, et potestas diabolica adversus ecclesiam nihil praevaluerunt? Quia Iesus Christus est Deus semperque cum suis usque ad consummationem saeculi permanet.

Obiectio I. — *Opinio rationalistica de origine Christianismi.*

237 1. Rationalistae opinantur, religionem christianam per processum naturalem vi progressionismi religiosi ex Paganismo et Iudaismo ortam esse. Ideae christianae temporibus Christi quasi in aëre sitae erant et produxerunt necessario religionem novam; si Christus eam non condidisset, certe, alter id fecisset. — a) Secundum Max Müller[2]) religio christiana nonnisi est naturalis combinatio cogitationis aricae et semiticae; Christus et apostoli, qui erant homines simplices ex Galilaea oriundi, et ex Iudaea nunquam discesserunt et erant constricti in cogitationibus et praeiudiciis iudaicis, minus possunt designari proprii patres et fundatores Christianismi, sed potius S. Paulus kosmopolita et posteri Patres ecclesiae philosophia graeca et eruditione classica imbuti. — b) Secundum *Tiele*

[1]) Id concedunt etiam Protestantes. Sicut *Nippold* (Handbuch der neuesten Kirchengeschichte, 1880. ed. 3, t. 1. p. 471.) ait, Pius VII. papa sub protectione russica in exsilio electus et sine possessione terrestri mox triumphos reportavit, quorum effectus multo maiores et constantiores erant quam effectus politici Napoleonis I. Hic imperator secundum *Harnack* (Lehrbuch der Dogmengesch. ed. 4. 1910. t. 3. 727 s) ecclesiae, quam prorsus sibi subiicere volebat, fere magis profuit quam offuit, destruendo antiquam ecclesiam Gallicanam et Iansenistiçam, papae adversariam, et fundando novam ecclesiam „ultramontanam". Idem *Harnack* (Wesen des Christent. 166) fatetur, ecclesiam catholicam saeculo 19 intensive augmentum virium immensum et auctoritatem accepisse. Cfr. *Sell K.*, Die Entwicklung der kathol. Kirche im 19. Jahrh. 1898.

[2]) Theosophie, praef. p. IX; 427 ss. — Item iam *Strauss* (Der alte u. d. neue Glaube, 103). — *Lippert*, (Christentum etc 31 ss). — *Hatch* (The influence of Greek ideas and usages upon the Christian church, 1890. translat. a *Preuschen Erwin* sub titulo: Griechentum und Christentum, 1892, 177, 210 ss, 244, 259 ss). — *Pfleiderer* (Religionsphilosophie, ed. 3. 1896. 248 ss). — Die Entstehung des Christentums 1905, 19 ss). — *Chamberlain H. S.* (Die Grundlagen des 19. Jahrhunderts 1899. II. 545 ss) sentit, voluntatem firmam iudaicam et cogitationem mythicam aricam fundamentum principale religionis christianae posuisse idque in Palaestina, Syria et Asia minore, ubi populi semitici et arici se omnino commiscuissent. Etiam S. Paulum, qui potissimum ad introductionem Christianismi conduxisset, fuisse probabiliter ortum ex genere semitico-arico (p. 580).

Christianismus prodiit et compositus est ex pietate israelitica, doctrina morum persica, humanismo graeco et universalismo romano, seu genitus est ex matrimonio spiritus semitici et indogermanici.[1]) Haec hypothesis non est nova; teste S. Cyrillo Alex. (adv. Iulian. 7; M. 76, 863) Iulianus apostata dixit doctrinam christianam „impietatem cum ex audacia iudaica tum ex gentilium indifferentia et confusione conflatam". — c) Secundum *Harnack*[2]) Christianismus primitivus plene conditus est a Christo et apostolis, sed modo mere naturali. Iesus fuit homo nonnisi purus, etsi persona extraordinaria mente, verbo et opere. Ob auctoritatem suam singularem et ob doctrinam suam simplicem mentibus et cordibus pariter satisfacientem vocatus est Dominus κ. ε., postea (per influxum idearum iudaicarum) Christus (Messias) vel Filius Dei in sensu figurali seu Filius Dei adoptivus et paulatim Filius Dei proprius et physicus. Saeculo 2. philosophia graeca in religionem christianam intravit simulque assumpti sunt sensim varii cultus exteriores ex mysteriis Paganorum hausti et multae institutiones et leges iuridicae secundum legislationem et constitutionem imperii romani, et sic Christianismus primordialis transmutatus est in Catholicismum. — d) Similiter multi alii moderni acatholici. Inter quos nominentur *R. Reitzenstein*, 238
qui disserit, Christianismum multa hausisse ex doctrina et cultu mysteriorum paganorum (cultus Mithrae, Isis etc ex libris Hermetis Trismegisti).[3]) Dein *Fr. Heiler* Qui premit vestigia Harnacki eiusque principia fusius exponit.[4]) Catholicismus dicitur esse syncretismus elementorum inter se adversorum et incompatibilium, quare nominatur „complexio oppositorum". Invenitur quidem et conservatur in eo religio biblico-evangelica, quam Christus pronuntiavit, sed in eam paulatim ingressa sunt alia figmenta et systemata, scil. a) religio popularis primitiva (Animismus, Totemismus, Magia, Polytheismus etc); b) religio iudaica antiquae legis cum sua doctrina morali casuistica, legibus et caeremoniis; c) religio hierarchica iuristica, quam habuit speciatim antiquum imperium romanum, ubi respublica et imperator erat summus pontifex, qui etiam ritus et sacrificia etc praescribebat et dirigebat; d) religio mystica redemptionem a malo et peccato promittens et petens (Mysticismus, qualem praesertim Neoplatonici velut Plotinus etc docebant). Hoc modo Catholicismus est mixtura ex Paganismo, Iudaismo, Romanismo, Hellenismo. — e) Non raro dicunt iam libros canonicos Novi Testamenti usos esse tra-

---

[1]) Compendium etc 101.

[2]) Dogmengeschichte, I⁴. 71 ss, 82, 203 ss; II⁴. 437 ss. — Wesen des Christent. p. 157 dicit ecclesiam Romanam „imperium antiquum Romanum per evangelium consecratum". — De hoc libro cfr. Theol. Revue, Münster 1902, 329 ss, 361 ss, 393 ss.

[3]) Poimandres 1904. — Die hellenistischen Mysterienreligionen 1910. — Das iranische Erlösungsmysterium, Bonn 1921.

[4]) Das Wesen des Katholizismus, München 1920, passim, inprimis 12—15.

ditionibus ex Buddhismo, Parsismo, Babylonismo et praesertim ex mysteriis Orientalium et Graecorum haustis.[1])

239 2. Omnes hae theoriae ineptae sunt. — a) Sicut iam vidimus, *viae mere naturales non satis sunt ad declarandam originem Christianismi;* permulta quoad personam et vitam et opera Christi apostolorumque necessario viribus supernaturalibus adscribenda sunt; nullatenus sine cooperatione et auxilio divino id praestare potuerunt, quod praestiterunt. — b) *Christum fuisse ipsum Deum*, supra ostensum est et fusius probatur in dogmatica speciali; iam Scriptura S. et Patres primi eius deitatem clare docent. Nunquam Christiani posteriores nec a Iudaismo nec ab Ethnicismo oriundi credidissent, Iesum esse Christum seu Messiam et proprium Filium Dei, Deum verum, nisi ab initio id unanimiter tenuissent. Iudaei quidem exspectaverunt Messiam, sed non talem, qualis Iesus apparuit, pauper, miser, in cruce mortuus, ab ipsis capitis damnatus. Gentiles quidem non raro homines deis adnumeraverunt, sed non Iudaeum, non virum turpissimo supplicio affectum vel a procuratore romano cruci suffixum. Sicut S. Paulus scribit (1 Cor 1, 23), Christus crucifixus fuit „Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitia". Etiam Max Müller[2]) disserit, Iudaeis visam esse blasphemiam, homini Iesu filiationem divinam attribuere, et difficillimum eis fuisse, eum putare Messiam, cuius apparitionem prorsus aliam sibi finxissent; item dicit, Graecis fere impossibile fuisse credere, in Christo apparuisse Logon platonicum, ideam quandam divinam. Dogma hoc christianum Iudaei eo ipso abominari debuerunt, quia ipsos arguebat summae impietatis, scil. occisionis Messiae et Dei; Gentibus visa est stultitia, hominem pauperculum, miserum et crucifixum ut Deum colere. — c) Etiam duorum aliorum dogmatum christianorum fundamentalium, scil. *doctrinae de creatione mundi et de resurrectione mortuorum, pertaesum est Graecos*, imprimis Platonicos materiam et carnem parvipendentes, sicut ipse Harnack exponit.[3]) — d) *Necessario Christus ipse vel duodecim apostoli considerandi sunt proprii conditores religionis christianae;* hi autem qua Galilaei et fabri et piscatores nihil sciverunt de humanismo graeco vel de moribus Persarum vel de universalismo romano. Etiam Harnack[4]) concedit, in doctrina Christi, in evangeliis et antiquis scriptis christianis usque ad annum circa 130. elementa graeca non vel vix esse invenienda. Illi erant Semitae et Iudaei, sed hi ex se ipsis sine supernaturali gubernatione divina, sicut iam vidimus, ne mono-

[1]) *E. c. C. Clemen*, Religionsgeschichtliche Erklärung des Neuen Testaments, Giessen 1909. — *Paul Wendland*, Die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zu Judentum u. Christentum 1907.

[2]) Theosophie, 511; Antropol. Religion, übersetzt von Dr. Winternitz, Leipzig 1894, p. 380.

[3]) Dogmengesch. I⁴. 805 s.

[4]) Wesen des Christent. 22, 125 ss.

theismum purum quidem conservassent, nedum ex sola sua indole Christianismum peperissent: quare Iudaeorum pars maior eaque maxime erudita et nobilissima Christum non secuta est? — e) *S. Paulus et Patres ecclesiae* litteris graecis instructi certe plurimum conduxerunt ad Christianismi propagationem et conservationem, at eius auctores non sunt; ceterum *S. Pauli conversio naturaliter declarari non potest;* certe Patres ecclesiae, bonis artibus Graecorum exculti, doctrinam christianam, humanismo et philosophiae graecae non paulum inimicam non defendissent, si non a maioribus accepissent vel ex propria intelligentia cognovissent, Christum esse Deum et eo ipso eius religionem divinam. Immo ob suam eruditionem classicam et philosophicam valuere detegere omnes errores vel fraudes, quae ad explicationem doctrinae christianae cooperatae esse dicuntur; at nihil eiusmodi in libris eorum videmus, nihil apud Celsum aliosque impugnatores Christianismi. — f) *Religio christiana* **240** *utique multa hausit ex iudaica*, sed hoc potuit facere salva sua institutione divina, quia etiam Iudaismus fuit forma verae religionis divinitus ordinata, quare Christianismus ut forma posterior et perfectior omnia, quae Iudaismus habebat vera et permanenter bona, ad se traducere potuit. Christus non venerat legem prorsus solvere, sed adimplere seu sublimiorem reddere. Cur Christianismo non licuit, elementa per se probata a Iudaismo vel etiam Gentilismo retinere vel assumere, praesertim cum hoc modo facilius Iudaeos et Gentiles ad partes suas trahere posset? — g) *Revera religioni christianae sunt nonnulla mysteria et ritus analogi cultibus et mythologiis gentium;* at hi ritus vel doctrinae partim sunt ritus naturales cultus divini, e. gr. sacrificium, usus aquae lustralis et thuris, partim habent sensum omnino alium atque apud Paganos. Alia est doctrina christiana de SS. Trinitate, alia est doctrina indica quoad trimurti;[1]) alius est Logos divinus Christianorum, alius Logos platonicus. Blasphemia est, incarnationem Filii Dei ex Maria Virgine serio comparare cum incarnationibus Krischna, dei Indorum, qui ad pascendam voluptatem carnalem homo apparuit et cum mulieribus sexcentis se commiscuit. Certe doctrina moralis christiana fere tota nobis occurrit apud Confucium, Buddhistas, Senecam, Epictetum etc. At posito, non concesso, nonnullos horum non hausisse ex libris sacris Iudaeorum vel Christianorum: cur ipsi secundum doctrinam suam non vixerunt? cur ideas suas non inter plebem propagaverunt?[2]) cur paene nemo eos secutus est? cur solus Christus populos in corruptionem morum nefandam lapsos regeneravit? — Catholicismum non esse Christianismum depravatum, sicut Harnack, Heiler etc, falso asserunt, sed genuinam religionem Christi, infra ostendemus.

[1]) Cfr. Tiele 179 s.

[2]) Notum est illud, quod Schopenhauer dixit: „Moral predigen ist leicht, Moral begründen aber ist schwer.“

241 *a*) Quod attinet mysteria antiqua, nemo negat nobis occurrere varias similitudines cum doctrina et nominatim cum cultu christiano (sacramentis et sacramentalibus). Invenimus utrimque ablutiones, impositiones manuum, coenam sacram, sacrificia, hierarchiam cum quadam ordinatione; mentio est utrimque de purgatione, illuminatione, morte et resurrectione, unione cum divinitate. At ipsi viri docti acatholici velut K. H. E. de Iong[1]) et C. Clemen,[2]) eo fortius catholici velut I. Bloetzer[3]) ostendunt, similitudinem esse potius exteriorem vel in signis et verbis, rem ipsam autem esse aliam et aliam; apud Paganos significant purgationem, mortem et resurrectionem naturalisticam, celebrationem et imitationem mortis et resurrectionis naturae physicae quotannis evenientis, vel summum mundationem quandam a sceleribus gravioribus per lavacra, ieiunia aliaque exercitia magis corporalia quam spiritualia, apud Christianos autem agi de interna iustificatione et renovatione totius animi et infusione gratiae supernaturalis, quae hominem Deo assimilat vereque sanctificat, veram ablutionem a peccatis per contritionem et renovationem in cogitatione, verbo et opere. Unio cum numine, quam mysteria antiqua petebant, fuit quidam status exstaticus, in quo interdum apparebant lumina quaedam, quae ut numina ipsa putabantur similiter atque in sessionibus spiritisticis. Praeterea interrogari potest, annon in mysteria, quae veniebant ex oriente, ideae christianae vel saltem iudaicae influxerint. Tertullianus[4]) scribit, cultum Mithrae res sacramentorum christianorum suis mysteriis aemulari. Libri hermetici, demum circa 300 p. Ch. n. ad eam formam, in qua nos ipsos possidemus redacti sunt idque in Aegypto, ubi Christianismus florebat; quo tempore primum prodierint, non constat.

242 *β*) Quoad influxum philosophiae et mythologiae Paganorum in ipsos libros Scripturae Novi Testamenti sufficiat referre, quod C. Clemen professor theol. protest. scribit.[5]) In initio (p. 10 ss) statuit aliquas regulas necessario observandas in inquisitione, velut: Recte debet cognosci, quid dicant et velint textus, doctrinae et formae cultus biblicae una ex parte, et doctrinae etc paganae ad comparationem adhibitae ex altera parte; debet constitui has illis revera correspondere. Oportet certum esse has esse antiquiores, non e converso. Probari debet, ideas etc paganas potuisse influere in hagiographos christianos. Statuendum est, hos reapse hausisse ex libris et ritibus Paganorum, non autem ex scriptis,

---

[1]) Das antike Mysterienwesen. Leiden 1909.

[2]) Der Einfluß der Mysterienreligionen auf das ältere Christentum, Gießen, 1913.

[3]) Stimmen aus Maria-Laach 72, 1907, 37 ss, 182 ss; cfr. 71, 1906, 376 ss, 500 ss. — Zeitschrift f. kath. Theol. 1911, 219 ss. — Dictionnaire apologétique etc III, 964 ss.

[4]) De praescript 40; P. L. 2, 54.

[5]) Religionsgeschichtliche Erklärung des Neuen Testaments. Gießen 1909.

traditionibus etc iudaicis. Non licet praeterire ut spurios omnes illos textus biblicos, qui criticis non placent. Secundum has regulas deinde examinat innumeros textus et doctrinas Novi Testamenti, qui a permultis criticis germanicis, anglicis, americanis, gallicis, hollandicis etc dicuntur dependere a philosophia, mythologia etc Paganorum. Saepissime declarat: Similitudo putativa non est, non certo constat, vel est mere exterior, quia sensus utrimque est alius (cfr. 254), et fortuita (cfr. p. 255, 256, 259, 285), vel similitudo tam modica et levis est, ut non sit digna mentione (241, 243, 247, 258). Vel dependentia probari non potest, prorsus incerta, valde dubia, non probabilis est.[1]) Vel probabilius est ex Vetere Testamento (242, 252, 279, 282 etc). Accedit quod hagiographi erant Iudaei, Iudaei autem mythos paganos ut superstitionem horrebant. Parabolae et verba Christi partim sunt tropi et proverbia, quae sunt communiter humana, quare etiam apud alios homines et populos inveniri possunt, quin mutua dependentia admittenda sit (38, 58). Varia verba et caeremoniae occurrunt quidem in mysteriis Mithrae etc, sed etiam apud Iudaeos, verba sunt eadem, sed res signata alia est (180 s). Aliae similitudines alio modo declarari possunt velut ex consuetudinibus, quae sunt communes gentibus orientalibus (253, 257). Non est probabile, Christum vel hagiographos ex Buddhismo hausisse, cum eius etiam **243** ab auctoribus graecis et romanis illius temporis tantum rarissime mentio fiat (25); econtra serio interrogari potest, annon doctrinae et ritus Buddhistarum dependeant a christianis (28, 235, 244, 253); pariter possibile est, ideas christianas intrasse in mysteria Mithrae etc, cum demum saeculo 2. christiano vel postea occurrant (204, 240). Prorsus reicienda est opinio a Iensen defensa, maximam partem historiae Christi et partem aliquam doctrinae eius sumptam esse ex carmine epico et mytho babylonico de Gilgameš; Iensen multa praeterit, multa prorsus arbitrarie exponit (208—223). Hae declarationes, quas Clemen dat, eo graviores sunt, quia ipse a priori non studet negare omnem dependentiam a parte pagana. Praedicatio Christi quidem et doctrina Synopticorum tantummodo quoad nonnulla verba, metaphoras et parabolas dependentiam talem produnt (285), sed maior est apud S. Paulum, S. Ioannem aliosque, at etiam apud eos influxus pagani partim non certo statuendi sunt et manent hypothetici, partim non tangunt usquam essentiam intimam religionis christianae, sed iacent cuncti plus minusve in eius peripheria.[2]) Verum etiam Clemen peccat contra regulas ab seipso constitutas. Sine rationibus urgentibus hincinde textus biblicos difficulter modo na-

---

[1]) 241, ganz unsicher 237; nicht wahrscheinlich 245; kaum haltbar 271; läßt sich nicht nachweisen 241, 254, 260; recht zweifelhaft 273.

[2]) „Dieser hypothetische Charakter der meisten Resultate mag auch hier noch einmal betont werden; sie betrafen doch nirgends das innerste Wesen des Christentums sondern lagen sämtlich mehr oder minder an seiner Peripherie“ (289).

turali declarandos ut spurios negligit[1]) vel ex fontibus paganis interpretatur, miracula et revelationem positivam supernaturalem non admittere videtur. Ceterum concedendi esse videntur influxus aliqui pagani, praesertim quoad verba et terminos apud philosophos et Graecos usitatos, velut verba: φιλανθρωπία, humanitas (Tit 3, 4), lux, tenebrae, vita, mors apud S. Ioannem; sed similia iam in Vetere Testamento occurrunt. Secundum Clemen (63 ss, 90 ss) praesertim quoad daemonologiam, angelologiam et eschatologiam, qualis imprimis in Apocalypsi Ioannis proponitur, non pauca ex Mazdaismo (Parsismo) etc sumpta esse videntur; sed ipse ostendit iam apud Daniel etc eiusmodi inveniri; invenitur autem etiam in aliis libris multo antiquioribus. Christus et Hagiographi certe non vituperandi sunt, si re vera aliquos terminos, proverbia, sententias etc a paganis sumpta adhibuerint; hoc modo facilius intellecti sunt ab eis. S. Paulus absque dubio noverat literas graecas, praesertim cum ipse eas citet (Act 17, 28). Verba ex philosophis et si vis, ex mythis sumpta potius serviunt ad formam, ad ideas christianas vestiendas, ideae ipsae aliud sunt. Illud Mt 7, 12: „Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis", absque dubio et alibi habetur, sed bene Clemen addit, primum Iesum etiam in praxi hoc principium serio secutum esse.[2])

Cfr. *Zeitschrift f. kath. Theol.* 1911, 219 ss. — *Engelb. Krebs*, Das religionsgeschichtl. Problem des Urchristentums 1913. — *P. Heinisch*, Griechentum u. Judentum im letzten Jahrhund. vor Christus, Münster 1910. — Idem: Griechische Philosophie u. Altes Testament, Münster 1913 s. — *J. Rohr*, Griechentum u. Christentum, Münster 1912. — *Paul Karge*, Babylonisches im Neuen Testament, Münster 1913. — *F. X. Steinmetzer*, Die Geschichte der Geburt u. Kindheit Christi u. ihr Verhältnis zur babylon. Mythe, Münster 1910.

244 γ) Contra Heiler pauca animadvertenda sunt; nam apud eum paucae ideae originales occurrunt, quia fere omnia ex aliis velut Harnack hausit. Notentur dumtaxat haec: Fides, daemones existere et eici posse non solum in religionibus primitivis vulgaribus, sed etiam in evangelio invenitur. Secundum Synopticos, quos Heiler ut genuinam doctrinam Christi pronuntiantes admittit et laudat, saepius legimus, Christum ipsum daemones eiecisse, immo discipulis suis praecepisse, ut daemones eicerent (cfr. Mt 8, 31 ss; 9, 32 ss; 10, 8; 12, 24 ss). — Calumnia est autumare, sacramenta catholica esse quandam magiam, praesertim transsubstantiationem sacramentalem quandam „evocationem dei" (22). Certe operantur ex opere operato, sed non nisi homo per actus fidei, contritionis etc subiective se praeparat et cooperatur. Hoc dicendum est etiam de s. synaxi, quam praecedere debet transsubstantiatio. Praeterea dogma catholicum non postulat credere vim aliquam divinam inesse signo sacramentali, sed permulti censent gratiam effici divina virtute assistente. Haec non est super-

[1]) E. c. narrationem de magis et pueris in Bethlehem ab Herode occisis non ut historiam admittit (231 s.).

[2]) „Nur hat eben erst Jesus mit diesem Grundsatz recht Ernst gemacht" (37).

stitio, et inter Protestantes propria superstitio, magis grassari videtur quam inter Catholicos; ipsa sacramenta nostra optime tuentur et praeservant a magia superstitiosa. Praeterea Christus ipse a Ioanne baptizatus est, baptismum instituit, discipulos suos ad baptizandum misit. Fuitne etiam haec magia? — Christus non solum ipse legem mosaicam observavit, sed etiam discipulos suos id monuit; iam ipse profert quandam doctrinam moralem casuisticam, distinguens inter peccata leviora et graviora, e. c. Mt 5, 22: „Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio; qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennae ignis." — Absque dubio Catholicismus habet hierarchiam, postulat ut subditi praepositis suis oboediant etc. Sed nonne Scriptura idem docet, etiam apud Synopticos? Nonne secundum Mt 16, 18 Christus instituit ecclesiam et S. Petro primatum tradidit? Heiler utique cum praedecessoribus suis hunc locum spurium putat, sed falso, sicut infra videbimus. — Certe ecclesia catholica omnem mysticismum, quatenus est rectus, admittit, immo promovet, multos mysticos catalogo Sanctorum inseruit. Concedere possumus, etiam Hellenismum cum mysticismo neoplatonico ad pietatem mysticam catholicam excolendam et promovendam non paulum contulisse (S. Augustinus, PseudoDionysius, S. Thomas, S. Bonaventura etc). At principia verae religionis mysticae iam idque purius invenimus apud S. Ioannem Evang. et S. Paulum, id quod Heiler ipse concedit (Cfr. p. 91, 130; ap. S. Ioann. 6, 47 ss, cap. 14—17.) S. Paul. Act. 17, 28 „In ipso vivimus, movemur et sumus". — Gal 2, 20: Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus." — 2 Cor 12, 1 ss, ubi loquitur de suis visionibus et revelationibus). Suntne hi duo apostoli non evangelici"? Nonne fuere vere „evangelici" SS. Augustinus, Bernardus Claravall., S. Franciscus Assis., qui erant viri summe mystici, sicut Heiler ipse concedit.[1]) Iidem erant genuini et sinceri filii ecclesiae catholicae, accepere ex toto corde eius dogmata et sacramenta, submissi eius legibus et praepositis. Similiter S. Athanasius, qui ab Heiler dicitur tum pater orthodoxiae strictae catholicae tum patronus monachatus mystico — ascetici. Non secus Pseudo-Dionysius Areopagita, qui secundum eumdem tum immensum influxum habuit in pietatem mysticam totius ecclesiae orientalis et occidentalis, tum est repraesentator typicus illius „complexionis oppositorum", quae efficiat essentiam internam et magnum mysterium Catholicismi, id est: magna aestimatio institutionum ecclesiasticarum apud eum unitur cum sanctione superstitionis hellenistico — orientalis et cum acceptatione immutata gnoseos neoplatonicae sublimissimae et mysticae ad unum systema

[1]) P. 59: „Die drei größten katholischen Frommen, die doch alle so begeistert evangelische Lehren verkündeten, haben die ekstatische Gottesschau u. Gotteseinigung als das Endziel alles religiösen Strebens gepriesen: Augustinus, Bernhard von Clairvaux u. Franz von Assisi."

religiosum. Mirum est, in hoc syncretismo et ‚complexione oppositorum', in hac silva elementorum inter se adversariorum tantam unitatem et firmitatem inveniri quanta nullibi, in nullo alio systemate religioso, philosophico, sociali, politico, nedum in Protestantismo, qui solus retinuit „simplex et purum evangelium" Christi, id est doctrinam de Deo Patre et regno (p. 71); hoc est revera „mysterium magnum Catholicismi". Nam „complexio oppositorum" secundum leges physicas brevi in suas partes dissolvi solet, sed ipse Heiler scribit (69): Qui sine praeiudio historiam ecclesiae considerabit, cognoscet, Catholicismi incorruptibilem vim vitae propriam esse; Catholicismus non periit neque perire potest, quia in suis visceribus abscondit opes religiosas, quae indelebiles et inamissibiles sunt, et quae pertinent ad Christianismum, et quibus Christianismus carere nequit. Absque dubio in Catholicismo elementa diversa sunt, sed horum unum alterum non per se excludit, sed harmonice inter se ad unum systema admirabile coadunari possunt, sicut ipse Catholicismus, Heilero teste, ostendit. Non Catholicismus „complexio oppositorum" est, sed potius liber Heileri, qui fere in unaquaque pagina effert, plurima et praecipua elementa Catholicismi non iam christiana vel evangelica esse, verumtamen necessaria religioni universali et vere catholicae, quae omnes gentes omnium temporum amplecti intendit. Ob hanc „complexionem oppositorum" passim vituperat ecclesiam catholicam, et laudat Protestantismum ut religionem „puri evangelii", sed altera parte desunt ei quasi verba ad laudandam firmitatem, virtutem, immo pietatem singularem Catholicismi, quibus Protestantismus non pariter gaudet. Iteratis vicibus etiam effert, Catholicismum, etsi strue elementorum non evangelicorum neque biblicorum quasi supprimitur, tamen thesauros pretiosos Christianismi biblici et evangelici nunquam prodidisse, in eo per omnia saecula vigere Christianismum evangelicum, in eo spiritum Dei et Christi perdurare et continuo operari.[1]) — Heiler scribit ex propria experientia; nam ipse ait, se olim fuisse catholicum strictissimae observantiae, inter catholicos adolevisse et nunc essentiam Protestantismi vitamque Protestantium ex propria et accurata experientia et studio diuturno cognovisse (cfr. p. 7, 93). Loquitur etiam de desiderio et inclinatione vehementi ad Catholicismum inter multos Protestantes nunc vigente; ex Protestantismo diebus nostris permultos, multo plures quam ex Catholicismo, apostatare (cfr. 69, 96 s).

245 Obiectio II. — *Rapida propagatio Christianismi satis declarari potest ex naturalibus causis*, scil. ex extensione imperii romani super totum orbem, ex dispersione Iudaeorum inter omnes nationes, ex exspectatione orbis universalis, tunc temporis ex oriente magnum prophetam et ducem esse proditurum, ex insufficientia cultuum

[1]) P. 58 s; cfr. p. 47, 49, 51 ss, 89, 97, 114 s etc. Cfr. *Daniel Feuling O. S. B.*: Das Wesen des Katholizismus. Grundsätzliches zu Friedr. Heilers gleichnamiger Schrift. Beuron 1920.

omnium gentilium necnon systematum philosophicorum, ex magno influxu, quem philosophia platonica in animum optimi cuiusque habuit. — Resp.: Non negari potest, has rationes multum valuisse ad diffusionem Christianismi celeriorem. At quaeri potest, quare tunc ipsum omnes hae causae et circumstantiae prosperae concurrerint? Unde exspectatio gentium, ex Iudaea oriturum esse virum magnum, qui potiatur regno totius orbis? Nonne haec facta sunt per providentiam divinam naturalem et supernaturalem? Ceterum hae causae, quae favebant propagationi Christianismi, non nimis aestimandae sunt, immo etiam plurimum ei offuerunt. Iudaei ubique habitantes Christianos perturbare et vexare potuerunt et reapse ubique eis restiterunt. Illi sexcenti, qui terga verterant a cultu deorum, non eo ipso proni erant ad doctrinam Christi recipiendam, sed plurimi erant atheistae, deistae, materialistae, pantheistae, dualistae etc, praesertim philosophi, et ideo non valde dispositi ad religionem christianam, quae etiam horum systemata non minus quam idololatriam respuit. Vulgus commune magia et crassa superstitione obstrictum et in vitiorum coenum depressum erat, et ideo paulum praeparatum ad leges morales Christianorum amplectendas. Imperium romanum fere ab initio Christianis inimicum fuit et ex ipsa sua magnitudine et potentia immensa habuit et adhibuit media naturalia copiosa ad novum germen in cunis suffocandum et radicitus evertendum. Philosophia graeca, praesertim platonica, tum bellum Christianismo intulit tum ipsa in ecclesiam sub larvis sexcentis Gnosticismi et haeresis irrepere eamque depravare studuit, quare iam Tertullianus scribit (de anima c. 23; M. 2, 686), „Platonem omnium haereticorum condimentarium factum." Cultus falsorum deorum intime connexus erat cum tota republica et civili et sociali, aluit multos sacerdotes, magos, haruspices artificesque potentissimos, ob suam pompam placuit plebi, quae cultum nudum christianum abominabatur. Mythologiis a philosophis sensus profundior attributus est. Quare permulti, praesertim civitatis gubernatores, huic cultui adhaesere vel saltem favere. Imperatores, velut Augustus et praesertim Iulianus apostata, multa templa deorum aedificaverunt vel restauraverunt, collegia sacerdotum restituere eaque privilegiis et reditibus copiosis ornavere. Si Paganismus inter eruditos cira annum 400. non multos asseclas habuisset, S. Augustinus vix libros suos de civitate Dei scripsisset. Sicut Schultze Victor ostendit,[1]) plurimos pertinaces patronos habuit in Africa, Hispania, Syria, praesertim in Graecia, specialiter Athenis, in sede rhetoricae et philosophiae ethnicae praeclara; Athenis non raro etiam saeculo 4. et 5. studiosi litterarum christiani ad Paganismum defecerunt; item imprimis in Aegypto, ubi erant templa, loca sacra et sacerdotes polytheistici nobilissimi et ubi simul non pauci Iudaei et

[1]) L. c. II, 152 ss, 138 ss, 228 ss, 248, 317, 329, 336, 339, 345. — Cfr. *Harnack*, Dogmengesch. I[4], 136 ss; Wesen des Christent. 122. — *Boissier*, La fin du Paganisme, 1891, t. I, 101 ss; t. II. 181 ss, 227 ss.

Neoplatonici sedebant, qui cum plebe communi contra Christianos conspirabant; item ipsi optimates Romani antiquum cultum retinuerunt; in urbibus Roma, Alexandria etc doctissimi philosophia quique alieni fuerunt a Christianismo; religiositas vulgaris Gentilium intensive potius crevit quam diminuta est, lentissime potuit nova religio pagos occupare; in Lydia et Cilicia adhuc saeculo 6. millia Paganorum erant.

246 Obiectio III. — *Celerrima propagatio Buddhismi, Arianismi, Mohammedanismi et Protestantismi, item conservatio Iudaismi in continuis aerumnis et persecutionibus in diaspora perpessis probat, etiam religionem christianam ex viribus et causis pure naturalibus propagari et conservari potuisse.* — Resp. De Buddhismo et Mohammedanismo egimus; item vidimus, conservationem Iudaismi, quae certe admiranda est, a Christo esse praenuntiatam (Mt 24, 34) et a Deo in utilitatem Christianismi ordinatam, et sic esse novum argumentum pro veritate religionis christianae. *Arianismus* promotus est per imperatores et civilem potestatem, non postulavit ab homine obsequium fidei sub mysteria; consentaneus erat spiritui subtili et ratiocinanti Graecorum, ceterum mox succubuit Catholicismo et prorsus evanuit. *Protestantismi* ortum, diffusionem et statum hodiernum nihil posse serio comparari cum origine et perduratione religionis christianae nec esse criterium eius internae veritatis, postea considerabimus.

Cfr. *Perrone*, l. c. cap. 4, prop. III—IV. — *Jungmann*, 194 ss. — *Gutberlet*, II, 220 ss. — *Heinrich*, I, § 50. — *Schanz*, II. — *Wilmers*, 434 ss, 496 ss. — *Pawlicki*, Der Ursprung des Christent. 1885. — *Weiss Alb.*, Apologie des Christent., t. 3, pars 1. — *G. Heinrici*, Hellenismus u. Christentum, Groß-Lichterfelde 1908. — *Eng. Krebs*, Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert, Freiburg 1910. — *Hans Rost*, Die Kulturkraft des Katholizismus, Paderborn 1916. — *J. B. Kirsch*, Die Geschichte der Kirche, ein Zeugnis ihrer höheren Sendung (Religion, Christent., Kirche, ed. G. Esser u. J. Mausbach, Kempten etc 1921, III. 1. Teil.) — *J. Mausbach*, Die Kirche und die moderne Kultur, l. c. 2. Teil.

§ 8. De martyrio christiano.

Historia martyrum christianorum in omnibus suis circumstantiis considerata praebet testimonium invictum pro veritate religionis christianae. — Haec thesis probetur ita:

247 1. *Numerus martyrum maximus fuit.* — Secundum Tacitum[1]) tempore Neronis „multitudo ingens" Christianorum occisi sunt. Sola in urbe Roma iuxta martyrologium Romanum ad 14 000 Christianorum martyrium subiere. Idem loquitur saepe de multis martyribus simul interfectis, e. c. bis de denis millibus, scil. die 18. Martii de decem millibus occisorum Nicomediae, et 22. Iunii de decem millibus crucifixis in monte Ararath. — Falsa est opinio Dodwell etc, paucos tantum fuisse martyres in antiquo imperio romano. Non minus

[1]) Ann. 15, 44.

sententia aliquorum e. c. Mommsen, Le Blant, Ramsay, Christianos tum non suppressos fuisse ob fidem suam, sed tantum ob alia scelera, praesertim ob recusatum cultum imperatorum.[1])

2. *In omnibus saeculis alicubi persecutiones cruentae fuerunt.* — Persecutiones a parte imperii romani per tria fere saecula paene non interruptas secutae sunt infestationes a Persis, Vandalis, Arianis, Donatistis, Mohammedanis, Protestantibus praesertim in Anglia, Sinensibus, Iaponensibus etc. Fanatismus religiosus pro eadem doctrina mox hebescit, non perdurat per tot saecula in aerumnis et cruciatibus exquisitissimis.

3. *Martyres fuere omnis sexus, aetatis, loci, condicionis, ordinis, dignitatis.* — Dionysius Alex.[2]) scribit de persecutione Deciana: „Nostros vero martyres superfluum est nominatim recensere, cum et plurimi sint et vobis ignoti. Id tantum in universum scire vos convenit, viros et mulieres, iuvenes ac senes, puellas et anus, milites ac paganos, ex omni denique hominum genere atque aetate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse."

4. *Passi sunt supplicia, quaecumque crudelitas immanissima et ingenium sagax hominum excogitare potest.* — De saevitie Neronis contra Christianos scribit Tacitus (l. c.): „Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur."

5. *Omnia haec sustinuerunt summa cum constantia et animi tranquillitate, saepe hilaritate faciei mira superfusi.* — Lactantius:[3]) „Latrones et robusti corporis viri eiusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant et gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia. Nostri autem (ut de viris taceam) pueri et mulierculae, tortores suos taciti vincunt et exprimere gemitum nec ignis potest." Quod factum est eodem tempore, quo alii Romani etc. omnibus luxuriis serviebant et incapaces erant ad ullum incommodum perferendum.

6. *Non raro signa extraordinaria et mirabilia supplicium comitata sunt.* — Saepe bestiae ferae martyribus blanditae sunt vel ignis, venenum etc eis non nocuit. Quare crebro ipsi carnifices et spectatores inter actum supplicii Christiani facti sunt.

7. *Motivum, ex quo martyres talia patiebantur, non fuit studium inanis gloriae;* econtra sciverunt, se ut homines fanaticos et amentes et veneficos etc despectum, immo ipsa cadavera sua deturpatum iri. Saepissime morte affecti sunt in publico theatro, ubi simul irrisionibus, opprobriis ac contumeliis saturabantur.

---

[1]) Cfr. *Weis J. E.*, Christenverfolgungen. Geschichte ihrer Ursachen im Römerreiche. 1899. — *Histor.-polit. Blätter*, 1901, t. 127, 237 ss.

[2]) Ep. ad Domitium et Didym. apud. Eusebium h. e. 7, 11; M. 20, 670.

[3]) Inst. divin. 5, c. 13; M. 6, 592.

248 8. *Valde discrepant martyres christiani a militibus, qui fortiter pugnantes mortem non effugiunt.* — Hi sunt iuvenes et viri robusti et animosi, mors eorum in pugna non est absolute certe timenda, salus non improbabilis, attamen saepe nonnisi necessitate et vi coacti aciem ingrediuntur. Certant pro sua suorumque vita et utilitate temporali, ex spe lucri et praedae, ad vitandam servitutem vel poenas gravissimas. Mors plerumque est subitanea, non valde dolorosa. Proelium ineunt cupiditate ulciscendi moti, rabie et furore abrepti etc. Certi sunt, se mortuos a patria et posteris honorari. — Martyres christiani liberrime supplicium idque certissimum subeunt, etsi iudices vel propinqui minis, promissionibus et blanditiis, gemitibus et precibus eos a martyrio arcere conati sunt, et quamquam uno verbo se suaque omnia servare potuerunt. Saepe pereunt ignoti in carceribus foedissimis vel metallis vel puniuntur per multos dies cruciatibus acerrimis: omnia haec pacifice et hilariter tolerant, salutant et osculantur tormentorum instrumenta, orant pro carnificibus, dant eis munera etc.

9. *Non minus differunt martyres catholici ab acatholicis.* — Numerus eorum minimus est relate ad nostros. Plurimi eorum mulctati sunt minus religionis causa quam ex motivis politicis. Id, quod pauci viri constantes, e. c. Hus, tam firmiter doctrinae suae inhaerent, ut malint mortem perpeti quam sententiam mutare, pro veritate fidei eorum testimonium esse nequit. Eiusmodi viri sive magnanimi sive fanatici semper et ubique aliqui inveniuntur. Certe nunquam Deus mortem eorum signis extraordinariis ornavit.

Cfr. *Ruinart*, Acta martyrum, praefatio generalis. — *Jungmann*, 183 ss. — *Perrone*, l. c. c. 4, prop. 5. — *Heinrich*, I, § 52. — *Hettinger*, I, 379 ss. — *Wilmers*, 536 ss. — *Allard Paul*, Histoire des persécutions, 5 t. 1885—90. — *Boissier*, La fin du Paganisme, 1891. t. 1, 389—459. — *Leclercq Dom. H.*, Les martyrs, Paris 1902—1905. — Dictionnaire apologétique, III. 331 ss. — *A. Linsenmayer*, Die Bekämpfung des Christentums durch den römisch. Staat bis z. Tode des Kaisers Julian (363), München 1905. — *A. Seitz*, Das Martyrium als Kennzeichen d. Göttlichk. der Kirche (Theol. prakt. Quartalschrift, Linz 1921, 211 ss).

§ 9. De excellentia religionis christianae.

249 1. *Religio christiana comprehendit in se omnia momenta, quae ad veram religionem requiruntur, in gradu eximio*, scil. dogma, ethos, symbolum (cultum). Responsum sufficiens dat ad quaestiones gravissimas metaphysicas, ethicas et religiosas, a quarum cognitione et observatione dependet tota salus corporalis et spiritualis, temporalis et aeterna, civilis et socialis tum singulorum hominum tum totius generis. Quare est optima philosophia metaphysica, cosmologica, psychologica, ethica etc, sicut iam Patres non raro doctrinam christianam philosophiam veram dixerunt.

250 2. *Dogma christianum* dat nobis notionem sublimem de Deo eiusque attributis, praesertim de eius spiritualitate et personalitate, libertate et immutabilitate, bonitate et iustitia; tenet absolutam

unitatem nec negat distinctionem relativam internamque explicationem in divinitate; docet mundi et hominis creationem, conservationem et gubernationem per Deum immediatam, repellit sic non minus pantheismum et materialismum quam dualismum et deismum. Deus christianus talis est, qualem tum recta ratio tum cor humanum postulat. Non est primum et summum ens cosmologicum vel physicale vel summum bonum impersonale, qualem Plato et Aristoteles et permulti alii Deum finxerint, sed est Deus, etsi immense universum creatum transscendens, tamen de mundo sollicitus. Infinite iustus est quidem, at non durus nec crudelis ut Allah Islamismi, non est invidus felicitati hominum ut dii Paganorum, sed benignissimus, est semper paratus ad ignoscendum: „Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors; suavis Dominus universis et miserationes eius super omnia opera eius" (Ps 144, 8 s). Quare sunt deliciae eius esse cum filiis hominum (Pr 8, 31) idque ita, ut ipse amore nostri homo factus sit. — Dogma christianum praebet declarationem concinnam de origine et essentia mali et peccati simulque docens, id olim a Deo iterum prorsus superatum iri. Item ostendit pulchre originem, finem, naturam condicionemque veram hominis, tenet animae spiritualitatem et immortalitatem, corporis futuram resurrectionem et animae corporisque iustam aeternam retributionem. In finem hominis constituit immediatam visionem, fruitionem et possessionem Dei, et ad eundem finem assequendum dat media valde congrua et efficacissima et copiosissima. Desiderio cordis humani ad unionem cum Deo iam in hac vita satisfacit per gratiam sanctamque communionem, qua fimus filii Dei et cum eo ipso coniungimur. Sic religio christiana exponit optime hominis humilitatem et infirmitatem pariter ac eius dignitatem atque sublimitatem. — Accedit, quod *solus Christianismus habet propriam theologiam seu doctrinam, quae argumentis invictis ostendit religionis christianae in genere eiusque dogmatum singulorum in specie maximam credibilitatem et rationabilitatem.* — Sic Christianismus tum rationi tum appetitui cordis nostri satisfaciens toto caelo praecellit Iudaismo, Mohammedanismo et praesertim Buddhismo diebus nostris a Rationalistis summis laudibus elato, etsi, ut etiam Strauß[1]) concedit, est absque doctrina et est nudus atheismus negans veritates duas fundamentales religionis, scil. existentiam Dei et immortalitatem animae.

3. *Ethica christiana* est pura, respondet tum legi morali tum severitati vitae, innititur dogmati christiano pariter ac philosophiae sanae, fundatur in ordine divino et aeterno, in Deo ipso eiusque sanctitate, habet Dei retributionem iustissimam sempiternamque ut sanctionem et incitamentum efficacissimum. Tamquam principium fundamentale tenet arbitrium liberum. Sequitur viam 251

[1]) Der alte und der neue Glaube, 1872, p. 60. — Cfr. *Chamberlain*, I, 231.

auream mediam inter laxismum et rigorismum. Ostendit, bonitatem hominis positam esse magis in cultura cordis et in recta voluntate quam in operibus externis, etsi haec non parvipendit. Postulat non solum opus exterius bonum, sed etiam honestum finem et motivum. Poscit imprimis cordialem et practicam caritatem Dei et proximi, totalem resignationem in voluntatem Dei, sui ipsius abnegationem et humiliationem et omnimodam perfectionem; sanctificat dolorem et passionem. Religio christiana proponit nobis Christum et multos Sanctos exemplar perfectum omnium virtutum. Colit vitam et activam et contemplativam. Una ex parte non reiicit peccatorem in scelerum coenum prolapsum, sed admonet et adiuvat eum ad surgendum, altera ex parte hominem ad sanctitatem eximiam evehere studet. Media, per quae hominem ad Deum ducit, sunt supernaturalia et ideo efficacissima, attamen requirit, ut homo ipse in opere salutis, conversionis, sanctificationis et perfectionis serio cooperetur. Sic est religio christiana religio vitae internae et actionis externae, religio spiritus et libertatis, religio caritatis et misericordiae. Itaque religio et ethica christiana produxit innumerabiles Sanctos et heroes permagnos tum in orando ac contemplando tum in operandis virtutibus omnis generis, id quod etiam adversarii nostri concedere coguntur. Religio autem ea, quae est schola Sanctorum perpetua, non potest esse falsa. — Econtra doctrina ethica christiana valde congruit cum morali naturali, est nonnisi eius perfectior explicatio, ut pulchre ait Scotus:[1]) „Quid rationabilius quam Deum tamquam finem ultimum super omnia diligi et proximum sicut seipsum? . . In quibus *duobus praeceptis universa lex pendet et prophetae* (Mt 22). Item Mt 7: *Omnia ergo quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Ex istis quasi ex principiis practicis alia practica consequuntur in Scriptura tradita, honesta et rationi consona, sicut de eorum rationabilitate patere potest singillatim cuilibet pertractanti de praeceptis, consiliis et sacramentis, quia in omnibus videtur esse quasi quaedam explicatio legis naturae, quae secundum apostolum (ad Rom 2) *scripta est in cordibus nostris.*“

252 4. *Cultus christianus* revera est cultus Dei in spiritu et veritate, postulat internam venerationem et submissionem in Deum, purum cor et renovationem animi, sed nec reprobat externa signa eius. Profluit ex dogmate, est quasi eius corpus et visibilis manifestatio, est quasi vivum „sursum corda“, perpetua professio fidei, rationale servitium, elevat totum hominem cum corpore et anima ad caelestia, dat cibum spiritualem non minus phantasiae parvuli quam intellectui viri gravis. Centrum cultus christiani est sacrificium eucharisticum, quod reapse eum effectum habet, quem sacrificia et mysteria Paganorum frustra petiere, scil. expiationem et reconcili-

[1]) Prolog. in Sent. qu. 2. n. 7.

ationem hominis cum Deo veram. In liturgia ecclesia quotannis magnalia et mirabilia Dei ad redemptionem humani generis patrata nobis ob oculos ponit.

5. *Religio christiana etiam saluti naturali et temporali hominum* 253 *favet et promovet.* — Christus, Filius Dei, per multos annos ut faber laborans laborem manuum et statum operariorum apud antiquos contemptum summo honore accumulavit et sanctificavit. Instituit et promovit Christianismus curam infirmorum, erexit nosocomia, orphanotrophia et alia humanitatis instituta. Homini reddidit libertatem personalem, docens coram Deo non esse respectum personae, sed omnes in Christo fratres esse. Itaque eo ipso evanescit servitus, ubi religio christiana viget, cum in Paganismo et Mohammedanismo adhuc hodie floreat. Item amovit polygamiam et divortia, restituit sexui muliebri apud Paganos in lutum depresso suam dignitatem humanam, et sic fundavit, excoluit et sublimavit vitam vere familiarem. Eo ipso stabilivit fundamenta reipublicae vere civilis. Una ex parte enim conservat civibus suam libertatem et locum individualem, docet, eos esse in Christo liberos et filios Dei, ergo plus quam membra reipublicae absolutae, a qua prorsus absorbeantur; item docet, superiores in subditos non ad libitum posse animadvertere, sed de administratione officii sui Deo rationem reddere debere. Altera ex parte confirmat etiam auctoritatem dominorum, docens omnem potestatem prodire a Deo, et adhortatur subditos ad oboediendum principibus propter Deum et conscientiam. Teste historia res sociales et politicae populorum florent eo magis, quo sunt imbuti spiritu vere christiano. Item religio christiana plurimum valuit in artes bonas excolendas, scholas instituendas, litteras protegendas, agriculturam et artes mechanicas explicandas. Christianismus, etsi praescribit, ut primo quaeratur regnum Dei eiusque iustitia seu bona regni caelestis, tamen condidit novam culturam eamque talem, qualis studet perfectioni et progressui continuo, sed Goethe[1]) ipso teste nunquam superabitur, cum Buddhismus, quem multi moderni plurimi aestimant, nonnisi sit, sicut Chamberlain[2]) ait, senilis exitus et finis culturae indicae moriturae, ad errores abductae; Buddhistae genuini nonnisi ad id vivunt, ut quam celerrime iterum ad nihilum redigantur, quare eorum paulum interest cultum humanitatemque promovere.

---

[1]) Nota sunt verba (Eckermann, Gespräche mit Goethe, III. Teil, Magdeburg 1848, p. 373): „Mag die geistige Kultur nur immer fortschreiten, mögen die Naturwissenschaften in immer breiterer Ausdehnung und Tiefe wachsen, und der menschliche Geist sich erweitern, wie er will — über die Hoheit und sittliche Kultur des Christentums, wie es in den Evangelien schimmert und leuchtet, wird er nicht hinauskommen." — Item illud Du Bois—Reymond, scientiam recentiorem rerum naturalium originem suam debere Christianismo; Christianismus enim monotheisticus liberavit populos Europae ab adoratione creaturae et confusione rerum mundanarum cum Deo, et eo ipso viam munivit ad res visibiles sobrie intuendas et examinandas (cfr. Theol. Rundschau, 1898, 77 s).

[2]) L. c. I. 197 ss.

254 6. *Religio christiana* etiam eo alias cunctas valde superat, immo se veram et divinam praestat, quod *indole sua non est religio particularis* sicut Iudaismus, variae formae Paganismi et Mohammedanismus. *Reapse est religio universalis*, determinata et apta ad omnes populos, omnes status et gradus aetatis, sexus culturaeque, ad omnes condiciones et exigentias omnium temporum et gentium. Satisfecit olim per saecula complura Romanis et Graecis, illis populis classicis, dein populis rudibus, qui imperium romanum occupaverunt et qui demum per Christianismum ad cultum humanitatemque pervenerunt. Non minus convenit gentibus frigidi aquilonis quam anachoretis deserti libyci etc: Historia probatum est, Christianismum esse religionem universalem.

7. Excellentia religionis christianae praesertim ex eo apparet, quod *transmutavit et renovavit totam societatem humanam erroribus et vitiis obstrictam* et dubiis agitatam. Adduxit meliorem ordinem rerum domesticarum, civilium, socialium, politicarum et religiosarum, immo eiusmodi ordinem, quo melior unquam vix excogitari possit. Et sic adimpletum est illud (Ps 103, 30): „Emittes Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae."

Cfr. *Heinrich*, I. 482 ss. — *Gutberlet*, II, 235 ss. — *Hettinger*, I. 385 ss. — *Schanz*, II, 678. — *Wilmers*, 583 ss. — *Didon*, l. 3. — *Abert*, Das Wesen des Christentums nach Thomas von Aquin. 1901.

Pars IV.

De religione et ecclesia catholica.

Postquam vidimus praestantiam, veritatem, divinitatem et eo ipso necessitatem religionis christianae ad salutem consequendam, agendum est de illa forma religiosa, in qua religio christiana usque adhuc in abstracto considerata secundum voluntatem Christi concreta appareat. Haec forma religionis christianae est sola ecclesia catholica. Tractabimus

I. De eius institutione, membris et proprietatibus,
II. De veritate et divinitate ei exclusive competente (demonstratione catholica),
III. De eius triplici potestate.

Caput I.

De institutione, membris et proprietatibus ecclesiae.

§ 1. De institutione, fine, notione et divisione ecclesiae.

255 Ecclesia in sensu latissimo est corpus Christi mysticum, quod est tripartitum, scil. *ecclesia triumphans* consistens ex Sanctis in caelo, *ecclesia patiens*, quod complectitur animas in pur-

gatario morantes, et *ecclesia militans*, quae est ecclesia huius saeculi, adhuc in pugna contra diabolum et mundum constituta. Ecclesia militans est ecclesia κ. ε., de qua in paragraphis sequentibus agimus. Ad ipsam hanc ecclesiam militantem primo loco spectant illi textus, in quibus ecclesia corpus Christi nominatur: „Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro" (1 Cor 12, 27). „Ipsum Christum) dedit (Deus) caput supra omnem ecclesiam, quae est caput ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur" (Eph 1, 22 s) Item verba Patrum, e. c. iam Tertulliani[1]) „ecclesia vero Christus".

I. Institutio. — *Christus instituit ecclesiam.* — Hoc patet 256
ex Mt 16, 18: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam."

Institutio ecclesiae per Christum tempore novissimo vehementissime impugnata est, non solum a Protestantibus, sed etiam a Modernistis, praesertim a *Jos. Schnitzer* et *Hugone Koch*. Dicunt, Christum ecclesiam non solum non instituisse, sed longe afuisse a cogitatione instituendi, idque imprimis ex rationibus his:

1. Non solum apostoli et discipuli eosque sequentes primi christiani, sed et ipse Christus prorsus imbutus erat ideis eschatologicis, id est ei persuasum erat, se paulo post mortem iterum in terra appariturum esse ut iudicem mundi, et eo ipso finem mundi prope imminere; eo ipso non potuit cogitare de regno per saecula duraturo. Citantur varii loci velut Mc 13, 30: „Non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant." — Mt 10, 23: „Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis." — Mt 16, 28: „Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo." — Mt 26, 29: „Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei" (cfr. v. 64). Non negamus hos aliosque locos difficiles esse declaratu et ab exegetis diverse exponi. Non est nostrum heic dare interpretationem, sed breviter dicimus, eos non docere, quod Schnitzer etc quaerunt. Christus loquitur tamquam propheta, et prophetae non raro res ita pronuntiant, quasi brevi eventurae sint; loquitur ut Deus, apud quem mille anni sunt tamquam unus dies (Ps 89, 4). Praeterea Salvator in suis sermonibus eschatologicis interitum mundi in tantam relationem cum interitu urbis Ierusalem ponit, ut vix statuere possis, de utro mentio sit; atqui interitum huius civitatis anno 70. subsecutum absque dubio aliqui discipuli et coaevi Christi adhuc viderunt. — His locis non pauci alii obstant, qui plus minusve clare enuntiant, Christum non censuisse,

[1]) De poenit. 10; M. 1, 1245. Cfr. *Traugott Schmidt*, Der Leib Christi. Eine Untersuchung zum urchristlichen Gemeindegedanken. Leipzig 1919.

adventum suum alterum et finem mundi tam brevi esse futurum. Concedere possumus, divinum Redemptorem saepissime monere, ut homines in omnibus operibus respiciant finem; sed is finis non intelligendus est finis mundi brevi imminens, sed brevitas vitae et retributio aeterna. Dixit, ipsum Filium nescire diem et horam, id est tempus, quando mundus praeteriturus sit (Mc 13, 32); ergo non voluit praenuntiare, aliquos suorum coaevorum visuros esse hos dies.— „Interrogatus a pharisaeis: quando venit regnum Dei? respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione . . . ecce enim regnum Dei intra vos est." (Lc 17, 20 s). „Si autem ego in Spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei." (Mt 12, 28.) Ex his aliisque similibus textibus manifeste apparet, regnum Dei, de quo Christus saepe loquitur, non solum esse rem futuram, sed etiam praesentem, iam venisse, venisse cum ipso, et eo ipso esse intra pharisaeos, cum Christus, caput eius regni, in mediis pharisaeis stabat. Hoc terrestre regnum Christi non cum ea generatione hominum, quae ei contemporanea erat, perire debuit; hoc sequitur praesertim ex variis parabolis Christi, velut ex parabola de segete crescente, de grano sinapis, quod in arborem altam se evoluturum sit, de fermento (Mt 13, 24 ss), de reti congregante pisces ex omni genere (Mt 13. 47). Item ex eo quod apostolis dedit mandatum praedicandi evangelium omnibus gentibus (Mt 28, 19), universo mundo (Mc 16, 15) ut futurus sit unus pastor et unus grex (Io 10, 16). Item ex verbis (Lc 21, 24): „Ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur t e m p o r a n a t i o n u m." Haec prophetia divini Salvatoris praenuntiat conversionem gentium (paganorum) et nationum ad Christum, intra quae tempora urbs Ierusalem ab his gentibus calcata quasi humistrata iacet, et post haec „tempora nationum" iterum ad novum florem se eriget. At haec omnia spatium temporum non breve, sed per saecula continuum requirunt. Ex his rationibus etiam aliqui Protestantes, alias negantes divinitatem Iesu et institutionem ecclesiae per eum, renuunt dictum, doctrinam eius essentialiter fuisse eschatologicam in eo sensu, quem Schnitzer etc statuunt.[1])

257 2. Christum non intendisse instituere ecclesiam, secundum Schnitzer etiam ex eo lucet, quod principia et doctrina eius sint prorsus antihierarchica; nam per totam vitam bellum gerere dicitur contra sacerdotes, pharisaeos, scribas et seniores populi, id est contra sacerdotium tunc existens; ergo non potuit cogitare de instituenda ecclesia, quae novum et simile sacerdotium postulet et productura sit. — Resp. Christus non reicecit omne sacerdotium, sed solum sacerdotum mores depravatos et abusus vituperavit, auctoritatem autem eorum agnovit. Nam ipse misit leprosos sa-

[1]) Cfr. *Harnack*, Dogmengeschichte I⁴, 1909, 67. — *A. Juelicher*, Kultur der Gegenwart; ed. ab P. Hinneberg. Berlin 1906. I. 4, 60 ss.

natos ad sacerdotes, ut offerrent pro emundatione oblationem a lege praescriptam (Lc 5, 14). „Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt“ (Mt 23, 2 s). — Absque dubio dixit discipulis suis (Lc 22 25 s): „Reges gentium dominantur eorum . . . vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; et qui praecessor est, sicut ministrator.“ Sed haec verba non prohibent dominium et auctoritatem unorum in alios, immo praesupponunt. Nam voces „maior“ et „praecessor“ indubie exprimunt quandam superioritatem et munus. Admonetur solummodo, ut hic „maior“ et „praecessor“ munere suo fungantur, non dominantes sicut reges gentium, sed modo paterno vel fraterno, secundum exemplum Christi ipsius, qui venerat non „ut ministraretur ei, sed ut ministraret“ (Mc 10, 45). Similiter Mt 23, 8 ss, ubi Iesus vult, ne discipuli nominentur rabbi vel pater vel magister; nam secundum contextum solummodo prohibet, ne quis se ipsum exaltet, sicut fuerunt pharisaei, qui quaerebant „primos recubitus in coenis et primas cathedras in synagogis“ (v. 6). Etsi omnes fratres esse debent (v. 8), tamen Christus ipse ex omnibus discipulis solos duodecim elegit, quibus speciale mandatum dedit praedicandi evangelium, baptizandi, eucharistiam celebrandi, dimittendi peccata.

3. Aliorum vestigia premens Schnitzer contendit, verba Mt 16, 258
18: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam“, esse spuria, et demum postea, probabiliter Romae intra annos 180—200, in textum interpolata esse. Appellat praesertim in id, quod Mc 8, 27 ss et Lc 9, 18 ss continent quidem verba Petri: „Tu es Christus,“ sed non verba Christi: „Beatus es Simon . . et ego dico tibi, quia tu es Petrus“ etc. Praesertim obstat, quod evangelium Marci, antiquissimum omnium evangeliorum, haec verba Christi ad Petrum ignorat. Etiam Comma Ioanneum interpolatum est; interpolationes ergo etiam in evangeliis admitti possunt. Accedit, quod textus noster demum apud Tertullianum totus habetur, antea tantum apud Iustinum circa an. 150—160, sed solum mutilus. — Resp. a) Revera apud Mc et Lc nonnisi verba Petri: „Tu es Christus“ inveniuntur; sed ex hoc nondum sequitur, Mathaeum esse interpolatum; etiam nonnulla, immo multa alia verba et facta apud unum vel alterum evangelistam legenda sunt integrius quam apud alios. — b) Marcum prius scripsisse quam Mathaeum, exegetae quidem acatholici nunc passim asserunt, sed est sola hypothesis, cum eorum argumenta non sint certa vel sufficientia, sicut Introductio in S. Scripturam ostendit. Praeterea ex hac hypothesi nondum apparet, Mathaeum esse interpolatum. — c) Marcus et Lucas, qui non habent „Tu es Petrus“ etc, saltem habent loco nostro et alibi nomen Petri vel Simonis Petri, etsi apostolo antea simpliciter nomen Simonis erat. Soli huic apostolo Christus nomen mutavit,

ita ut nomen novum ei permanserit; et hoc nomen novum etiam Marc. et Luc. norunt, et eo ipso attribuunt apostolo praerogativam quandam ei soli competentem. Haec excellentia S. Petro non ob virtutes personales data esse videtur; nam non is, sed S. Ioannes ille discipulus erat, quem Iesus prae ceteris amabat. — d) Nihil obstat, quominus Comma Ioanneum interpolatum putandum sit. Nam deest in codicibus omnibus antiquis graecis, in permultis codicibus latinis, in omnibus versionibus antiquioribus, et intra controversias cum Arianis a Patribus silentio praetermissum est; praeterea ad contextum quadrare non videtur. Sed Mt 16, 18 in nullo codice, in nulla versione desideratur; saltem iam a Tertulliano verbotenus citatur, versio antiqua latina et syriaca iam ante Tertullianum confectae sunt; videtur assumptus fuisse etiam in Diatesseron seu compilationem ex quatuor evangeliis, quam Tatianus intra annos 150—180 in lingua syriaca composuit, sicut ipse Theodor. Zahn professor Protestans ostendit[1]). Praeterea hic textus optime convenit cum contextu et omnibus aliis multis locis Scripturae, qui S. Petro praerogativam prae aliis apostolis adscribunt. Praeterea praesto adest argumentum e silentio. Sed communiter periculosum est, hoc argumento uti ad probandum; nam adhiberi dumtaxat potest, si aliae rationes graves nos necessitant ad conclusionem, auctores aliquem locum necessario citaturos fuisse, si eum cognovissent; hoc contingit quoad Comma Ioanneum; sed prorsus nihil est, quare usurpetur quoad locum nostrum. — e) Non est probabile textum nostrum interpolatum esse in ecclesia Romana. Nam verba: Kephas, Simon bar Iona, portae inferi,
259 claves regni caelorum, solvere et ligare, in caelis et super terram, luculanter demonstrant, textum scriptum esse non ab auctore latino vel graeco, sed ab auctore iudaeo idque in lingua aramaica, qua Christus ipse et discipuli eius utebantur. Pariter obstat interpolationi, solum textum Mathaei deturpatum esse, non etiam textum Marci et Lucae, ut sic interpolatio facilius occultata maneret. Immo omnia haec momenta attestantur textum Mathaei genuinum esse. Praeterea nullus Pater innuit, hunc locum esse interpolatum; hoc dicitur factum esse paulo ante Tertullianum; is, qui tempore montanistico Romano Pontifici inimicus erat, certe hanc fraudem detexisset et ecclesiae Romanae crimini vertisset; sed nullatenus vertit. — f) Non fuit ratio urgens, cur Patres apostolici etc locum nostrum citarent. Tunc temporis non vel minus ortae erant lites de constitutione et organisatione interna ecclesiae, ad quas solvendas opportunum fuit citare Mt 16, 18. Sed pugna fuit contra Iudaeos et Paganos; refellendi erant eorum errores; ostendendum fuit, Christum esse Deum et Messiam; ad hoc locus noster „Tu es Petrus“ etc minus aptus fuit. — g) Quam fallax et labile argumentum

[1]) Forschungen zur Geschichte des neutestam. Kanons, Erlangen 1881, I, 163 s, 244 ss.

ex silentio esse possit, elucet ex citatione Orationis Dominicae (Pater Noster). Haec etiam secundum strictissimam artem hypercriticam modernam ad substanstiam doctrinae Christi pertinet. Verumtamen habetur dumtaxat apud Mathaeum 6, 9 ss verbotenus, apud Lc 11, 2 ss tantum mutile.[1]) Desideratur non solum apud Ioannem, sed etiam apud Marcum, qui primus omnium evangelistarum scripsisse ab adversariis existimatur. Item in tota alia Scriptura Novi Testamenti non citatur vel saltem obscure innuitur. Pariter a Patribus saeculi 1. et 2. non citari visa est usque ad tempora novissima. Continetur quidem in „Didache" seu „Doctrina duodecim apostolorum", sed haec demum 1883 detecta est. Similiter possibile est, temporibus posterioribus inveniri scripta ex saeculo 1. vel 2., quae Mt 16, 18 continent.[2])

II. Finis ecclesiae in genere est ille, quem habet re- **260**
ligio, scil. communicatio hominis cum Deo. In specie est continuatio *operis Iesu Christi;* ecclesia enim quodammodo Christus ipse est, sicut vidimus. Quare finis ecclesiae est *applicatio subiectiva redemptionis obiectivae fructuum ad omnes populos et tempora usque ad consummationem saeculi, translatio et conservatio hominum in unione cum Christo et Deo.* Hunc finem docet Conc. Vatican. initio sess. 4. dicens: „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur." Hunc finem Christus ipse designavit post verba: Tu es Petrus etc pergens: „Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis." Idem patet ex Io 20, 21 ss: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos . . . Quorum remiseritis peccata" etc. Ecclesia habet ergo eundem finem, quem habuit Christus, et est continuatio quaedam incarnationis Filii Dei. Quare „illius (ecclesiae) foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur" (S. Cyprianus)[3])

III. Essentia ecclesiae

1. Ecclesia non sola schola religiosa similis scholis et sectis **261**
philosophicis, e. c. scholae Platonicae, est. Christus non summam quandam doctrinarum ad libitum singulorum intelligendam et ex-

[1]) Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, sicut et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Cfr. *Jos. Hensler:* Das Vaterunser. Münster 1914.

[2]) Cfr. *B. Bartmann*, Das Himmelreich und sein König nach den Synoptikern. Paderborn 1904. — Idem: Das Reich Gottes in der Heil. Schrift. Münster 1912. — *Fr. Tillmann*, Jesus und das Papsttum. Köln 1910, cap. 1—3. — *Ant. Seitz*, Modernistische Grundprobleme etc. Köln 1912, 1 ss. — „Theologie und Glaube". Paderb. 1910, 842 ss. — *P. Dausch:* Kirche und Papsttum eine Stiftung Jesu. Münster 1911.

[3]) De unit. eccl. 5; M. 4, 502.

colendam reliquit, sed doctrina eius est codex regni spiritualis et verae religionis, paucis verbis: instituit ecclesiam concretam, et nonnisi in hac fit religio Christi realis et concreta. Religio Christi et ecclesia Christi (catholica) non possunt separari vel distingui realiter, sed tantum mentaliter. Extra ecclesiam hanc non est vera perfectaque religio christiana, summum scientia de religione Christi vel participatio eiusdem imperfecta.

2. Eo ipso est societas realis, historica, concreta, non collectio quaedam mere idealis vel abstracta hominum in Christum credentium. Sicut Christus est persona individualis, concreta, historica, non res vel persona idealis et abstracta, sic nec ecclesia, eius corpus. *Christus religionem suam instituit in societatem humanam concretam similem societatibus et regnis huius saeculi.* Hoc patet:

a) *ex analogia cum religione antiqui foederis.* Religio antiqui foederis vera, praesertim mosaica, fuit typus et imago religionis christianae. At haec fuit societas stricte in se conclusa, propriam organisationem, constitutionem, leges, caeremonias, praepositos et subditos habens, societas religiosa seu theocratia in sensu stricto.

b) *Prophetae praenuntiaverunt regnum Messianum simile regnis terrenis*, in quo Messias cum suis regnabit cunctosque populos sibi subiiciet (cfr. Is 2, 2 ss; Mch 4; Mal 1, 11). Quare Iudaei exspectaverunt, Messiam instituturum esse regnum par regno romano.

c) *Ipsa nomina, quibus religio Christi vocatur, significant societatem concretam* vel totum in se bene dispositum. Vox „ecclesia" (a verbo *ἐκκαλέω* = evoco, convoco) exprimit multitudinem convocatam (hac voce utitur iam Neh 13, 1 ad significandam religionem israeliticam); item *„συναγωγή"* (collectio, conventus, Hbr 10, 25; Iac 2, 2), vel „corpus" (Rom 12, 5 etc), „corpus Christi" (1 Cor 12, 27), „regnum Dei" (Mt 25, 1 etc), „domus Dei" (1 Tim 3, 15), „civitas" (Mt 5, 14) etc.

d) *Christus dedit ecclesiae organisationem similem constitutionibus regnorum et societatum civilium.* — Elegit duodecim apostolos, unum ex eis instituit primatem et caput totius communitatis, tradidit ei specialiter claves regni caelestis. Apostolis mandavit non solum, ut universos homines docerent, sed et baptizarent et eo ipso facerent discipulos Christi et in ecclesiam reciperent; eis praecepit, ut fideles gubernarent etc.

e) *Apostoli ita se gesserunt, ut manifesto religionem christianam considerarent societatem religiosam concretam.* — Praedicavere evangelium, baptizavere fideles, contulere eis signo visibili Spiritum S., celebravere cum eis coenam Domini, excommunicavere perfidos ex ecclesia, ordinavere viros aptos in coadiutores et successores officii sui, instruxere eos, quomodo fungerentur munere suo, admonuere subditos ad praepositis oboediendum.

3. Haec societas est plena et perfecta. — Omnia momenta, quae requiruntur ad societatem hominum plenam et perfectam, praesto

sunt. Adsunt membra superiora et inferiora, finis quidam adipiscendus, constitutio et organisatio stricta, leges praescriptae, subiectio subditorum sub praepositis etc. Hoc sequitur ex dictis et plus sequetur ex dicendis.

IV. Divisio. — Ecclesia potest dividi a) *in ecclesiam veteris et novi testamenti.* Quia religio veteris testamenti, religio patriarchalis et mosaica, fuit forma verae religionis, cuius centrum erat Messias seu Christus exspectandus, potest dici quodammodo religio et ecclesia christiana. Religio mosaica expresse vocatur „ecclesia Dei" (Neh 13, 1), sicut etiam ecclesia Christi nuncupatur „ecclesia Dei" (Act 20, 28). Etiam S. Augustinus[1]) ait: „Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana." — Similiter S. Gregor. Magn.[2]) — b) *in ecclesiam discentem et docentem.* Ecclesia discens sunt subditi, ecclesia docens sunt proposití ecclesiae, praesertim papa et episcopi. **262**

V. Corpus et anima ecclesiae militantis. — Ecclesia, quia est Christus continuus, sicut Christus corpus et animam habet. Corpus est pars visibilis et sensibilis, anima pars invisibilis. Quid pertineat ad partem invisibilem, de hoc theologi litigant. Omnes consentiunt, ad hanc pertinere gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis fidei, spei et caritatis. Praeterea secundum unos etiam characteres sacramentales sunt animae, secundum alios etiam gratiae actuales, gratiae gratis datae (charismata), dona Spiritus Sancti etc. Secundum has distinctiones statuitur quoque varia participatio ecclesiae, sive corporis sive animae sive utriusque. Dici possit: Sicut animae humanae sunt potentiae variae, inferiores et superiores, ita etiam animae ecclesiae varii gradus vel partes; et sicut corporis nostri varia sunt membra, ita etiam corporis ecclesiae sunt vel esse possunt.[3]) **263**

VI. Definitio. — Ecclesia potest definiri: Societas religiosa concreta historica perfecta, continuans ipsum Christum, eiusque imago visibilis, ex auctoritate divina per Iesum Christum condita, in qua per auctoritatem, fidem et cultum ab eo institutum opus Christi seu reunio generis humani lapsi cum Deo continuatur idque ita, ut eadem societas sit verae religionis nunc unica forma, sicut Christus est unicus Salvator.[4]) **264**

Cfr. *Franzelin*, theses de ecclesia Christi, Romae 1887, th. 1—3 et 6 ss et 17 ss. — *Bellarmin*, l. c. capp. 1—2. — *Passaglia*, de ecclesia Christi, l. 1, et 1. 2, c. 1 et 1. 3, VI. —

[1]) Retract. 1, 13, 3; M. 32, 603.
[2]) In evang. hom. 19, n. 1; M. 76, 1154.
[3]) Cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1915, 250 ss.
[4]) *Bellarmin* (de concil. et eccles. l. 3. c. 2) vocat ecclesiam „coetum hominum eiusdem christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue unius Christi in terris vicarii, Romani Pontificis." Haec definitio facta est proxime ad oppugnandum Protestantismum.

Regnier, tract. de ecclesia, cap. praeliminare. — *Pilgram*, Physiologie der Kirche, 1860, pars 1. — *Schanz*, III, 20 ss; Tüb. Quartalschr. 1893, 531 ss. — *Wilmers*, De Christi ecclesia, 1897, p. 28 ss. — *Gatti*, III, 339 ss. — *Palmieri Dom.*, Tractat. de Roman. Pontifice, 1877, Prolegom. de ecclesia, § 1 ss. — *Specht Th.*, Die Lehre von d. Kirche nach d. hl. Augustin, 1892, § 1 ss. — *E. Commer*, Die Kirche in ihrem Wesen und Leben dargestellt. Wien 1904. — *Ant. Straub:* De ecclesia Christi. Oeniponte 1912, I. cap. 1 et 2. — *J. Van de Groot*, Summa apologetica de ecclesia catholica ed. 3. Ratisbonae 1906, qu. 2.

§ 2. De membris ecclesiae.

I. De membris in genere.

265 1. *Opiniones falsae.* — Iam Montanistae,[1]) Novatiani, Donatistae censuerunt, solos spirituales (*πνευματικοί*), id est iustos, ad ecclesiam pertinere. Similiter Fraticelli opinantes, auctoritatem ecclesiasticam penes solos spirituales esse; quorum doctrinam damnavit Ioannes XXII. 1318. (Denzinger n. 486). Item Husitae, Wiclefitae, Pseudoreformatores, Iansenistae dicentes, solos praedestinatos vel iustos esse membra vera ecclesiae. Clemens XI. 8. Sept. 1713. reprobavit paucas eiusmodi theses Quesnellii (Denzinger 1423 ss), e. c. th. 73: „Quid est ecclesia nisi coetus filiorum Dei manentium in eius sinu adoptatorum in Christo, subsistentium in eius persona, redemptorum eius sanguine, viventium eius spiritu, agentium per eius gratiam et exspectantium gratiam futuri saeculi?“ Pius VI. 28. Aug. 1794. reiecit ut haereticam thesim 15. synodi Pistoriensis, ad corpus ecclesiae pertinere nonnisi perfectos adoratores Dei in spiritu et veritate. — Si soli praedestinati essent membra ecclesiae, fuisset iam Saulus, persecutor ecclesiae, membrum ecclesiae, non autem Iudas, electus apostolus et socius Christi. Si soli homines in gratia sanctificante constituti pertinerent ad ecclesiam, ecclesia visibilis esset impossibilis et ecclesia in se ipsam coincideret. In Scriptura ecclesia comparatur cum sagena, quae habet pisces bonos et malos (Mt 13, 47 s), vel cum agro, in quo inter triticum etiam zizania crescunt (Mt 3, 12), vel cum prudentibus et fatuis virginibus (Mt 25, 1 ss). S. Paulus vocat Corinthios „sanctos“ (1 Cor 1, 2; 2 Cor 1, 1), etsi non omnes reipsa sancti, sed peccatores inter eos erant. — Sunt quidem nonnulli loci, qui docere videntur, peccatores non ad ecclesiam pertinere, e. c. Eph 5, 27, ubi scriptum est, ecclesiam esse debere sine ruga vel macula; at hi spectant aut ad ecclesiam triumphantem aut ad ecclesiae militantis membra perfectissima.

266 2. *Membrum ecclesiae et Christo simpliciter insertum facit character baptismalis.* — „Quicumque baptizati estis, Christum induistis“ (Gal 3, 27). „Omnes nos in unum corpus baptizati sumus.“ (1 Cor 12, 13). Eugenius IV. in Decreto ad Armenos: „Baptisma, quod vitae spiritualis ianua est; per ipsum enim membra Christi ac de corpore

[1]) Cfr. *Adhémar d' Alès*, La theologie de Tertullien. Paris 1905, 448 ss. — *K. Adam*, Der Kirchenbegriff Tertullians. Paderborn 1907.

efficimur ecclesiae." — Baptismus ergo facit membrum Christi et eo ipso membrum ecclesiae, quia ecclesia est corpus Christi mysticum. Quatenus? Ex sola perceptione exteriore sine immutatione interna? Nequaquam. An ob gratiam iustificationis infusam? Minime. Gratia iustificans in baptismo data non potest esse momentum illud, quod hanc praerogativam praebet, quia alioquin relapsi in peccatum grave vel indigne quidem sed valide baptizati non essent membra ecclesiae. Quia nihil aliud restat nisi character baptismalis, hic sit oportet illud, quod hominem facit membrum ecclesiae; hic enim imprimitur etiam indigne sacramentum baptismi recipientibus et manet in peccatoribus, efficit hominem baptizatum imaginem et membrum Christi et eo ipso in ecclesiam inserit.

3. *Membra ecclesiae in sensu iuris canonici sunt illi, qui cum* **267**
ecclesia coniuncti sunt per vinculum symbolicum, liturgicum et hierarchicum, id est, qui habent fidem veram, utuntur sacramentis ecclesiae et subiecti sunt auctoritatibus ecclesiasticis legitimis: a) *Qui habent veram fidem.* Sine fide Christi, sine receptione doctrinae christianae homo non bene dici potest christianus. Christiani enim dicuntur „fideles", e. c. 1 Tim 5, 16; 6, 2; 1 Cor 7, 13. Apostoli neminem in ecclesiam acceperunt nisi illos, qui doctrinam christianam amplexi erant. Philippus diaconus, antequam baptizaret eunuchum Aethiopem, interrogavit, an crederet „ex toto corde" (Act 8, 37). — b) *Qui recipiunt sacramenta ecclesiae*, praesertim baptizati sunt. Cornelius centurio, etsi credebat, immo Spiritum S. visibiliter receperat, debuit baptizari et tunc demum percepto baptismo factus est membrum ecclesiae. S. Ignatius (ep. ad Eph 5; ed. Funk I 217s): „Nemo erret; nisi quis intra altare sit, privatur pane Dei . . . Qui igitur in conventum non venit, hic iam superbia elatus est et seipsum separavit atque iudicavit. Scriptum est enim: Superbis Deus resistit." — c) *Qui subditi sunt legitimis superioribus ecclesiasticis:* „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Mt 18, 17). „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit" (Lc 10, 16).

4. Membra ecclesiae viva et gaudentia omnibus privilegiis veri **268**
membri Christi sunt illi, qui praeter dicta etiam sunt in statu gratiae sanctificantis. Nam Christus ait (Io 15, 5): „Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet et colligent eum et in ignem mittent et ardet." Gratia sanctificans est quasi sanguis, qui in corpore Christi mystico fluit, a Christo capite fluit in membra, sicut sucus a vite in palmites. Qui hac gratia caret, spiritualiter mortuus est, immo inimicus Christi est, ab eo separatus arescet. Gratia sanctificans inseparabiliter cum caritate annexa, immo secundum Scotistas realiter idem habitus est. De caritate autem legimus 1 Cor 13, 2:

„Si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum." Quia ergo homo sine caritate vel gratia sanctificante nihil est, etsi fide et charismatibus extraordinariis gaudet, non membrum Christi vivum et plenum esse potest sine hac caritate seu gratia sanctificante.

269 5. Membra ecclesiae communiter dicuntur pertinere ad corpus ecclesiae aut ad animam aut ad utrumque.

a) Quia corpus hominis, corpus Christi est visibile et res exterior, omnes homines pertinent ad corpus ecclesiae, qui signo visibili receptionis, id est receptione exteriore valida sacramenti baptismi (per baptismum fluminis) ad ecclesiam admissi sunt, et in eo permanent, id est non ipsi egressi vel legibus ecclesiasticis exclusi sunt.

b) Quis pertineat ad animam ecclesiae, dubitari potest; nam non omnes theologi consentiunt, quid per animam ecclesiae intelligendum sit. Ex analogia cum homine et cum homine Christo nominavimus animam omnia illa momenta, quae sensibus prorsus impervia, sed sola mente percipienda sunt (cfr. n 263). Anima habet potentias varias, inferiores et superiores. Similiter loquendum esse videtur de diversa vel plus minusve arcta participatione animae ecclesiae; aliter illi, qui solummodo valide baptizati sunt et eo ipso characterem baptismalem habent, sed non sunt cum ecclesia coniuncti per vinculum symbolicum, liturgicum, hierarchicum, nedum sint in gratia sanctificante; aliter illi, qui sunt in statu gratiae per baptismum flaminis, sed non ornati sunt charactere baptismali, quia non vel non valide baptizati sunt etc.

c) Corporis et animae ecclesiae sunt illi, qui per characterem baptismalem, et per vinculum triplex dictum cum ecclesia uniti sunt et simul statu gratiae gaudent. Haec sunt membra Christi viva, membra in gradu altissimo.

d) Difficilius est quaestio, an quis pertinere possit ad animam solam, vel etiam ad corpus solum. In homine corpus et anima intime et essentialiter cohaerent ita, ut homo completus et persona humana completa solummodo ex unione animae cum corpore efficiatur; altera ex parte corpus sine anima non perdurare potest, anima autem sine corpore. Praeterea omne simile claudicat, et corpus Christi mysticum est et manet vere mysticum, mysteriosum, nobis non perfecte comprehensibile. In specie dicendum sit:

α) Infideles baptizati et haeretici occulti certe ad animam ecclesiae eatenus pertinent, quia retinent characterem baptismalem. Videntur autem pertinere etiam ad corpus ecclesiae. Nam episcopi et sacerdotes eiusmodi retinent iurisdictionem suam ecclesiasticam, id quod impossibile esset, si non essent membra vera corporis ecclesiae.

β) Haeretici publici, schismatici, nominatim excommunicati 270
passim dicuntur non iam esse membra ecclesiae, quia sunt extra ovile Christi, ab ecclesia separati, et quia ii, qui ecclesiam non audiunt, censentur sicut ethnici et publicani. Catechismus Rom. (p. 1. c. 10. qu. 8) numerat haereticos et schismaticos, quia ab ecclesia descivere, inter eos, qui ecclesiae militantis finibus non continentur similiter atque infideles, qui in ecclesia nunquam fuere. Verumtamen hi aliquo modo ad ecclesiam pertinere videntur, etsi in sensu latissimo, scil. in sensu dogmatico. Si enim rite baptizati sunt, portant in se indelebilem characterem baptismalem, et eo ipso sunt et manent membra saltem animae ecclesiae. Idem videtur sequi etiam ex aliis rationibus: $\alpha\alpha$) Gal 3, 27: „*Quicumque* baptizati sunt, induerunt Christum"; ergo etiam formales haeretici etc. $\beta\beta$) Sacramenta confirmationis, eucharistiae, extremae unctionis, ordinis ab eiusmodi episcopis vel sacerdotibus administrata, sunt praemissis praemittendis semper valida; eiusmodi praerogativa nihil gaudent Iudaei et Pagani, qui prorsus stant extra ecclesiam; qua ex causa etiam S. Augustinus, etsi saepius docet, nec haereticos nec schismaticos ad ecclesiam pertinere,[1]) tamen ait, eosdem adnumerandos esse „ad populum Dei" idque „propter communia sacramenta."[2]) $\gamma\gamma$) Secundum ius ordinarium in articulo mortis sacerdotes haeretici etc tenent iurisdictionem ecclesiasticam ad sacramentum poenitentiae conferendum; eo ipso videntur pertinere aliquo modo etiam ad corpus ecclesiae; nam incongruum esse videtur, illum, qui potest fungi iurisdictione ecclesiastica, nulla prorsus ratione membrum corporis esse ecclesiae; an ecclesia eiusmodi sacerdotes pro hoc casu antea iterum in sinum suum assumit et postea denuo reiicit? $\delta\delta$) Nominatim excommunicati etc in ecclesiam reducuntur per absolutionem, Iudaei et Pagani modo omnino alio, nempe per baptismum. $\varepsilon\varepsilon$) Haeretici formales etc manent subiecti praeceptis ecclesiasticis, non solum ipsi, qui sunt proprii desertores et fugitivi, sed etiam eorum liberi et posteri baptizati, etsi hi fortasse sunt optima fide; cur solummodo posteri baptizati, non autem non baptizati? (cfr. Cod. iur. can. 12). Hanc difficultatem optime vitamus censentes, etiam formales haereticos, quatenus sunt rite baptizati, esse membra ecclesiae ratione dogmatica et eo ipso legislationi ecclesiae substare. $\zeta\zeta$) Matrimonia inter acatholicos valide baptizatos per se valida et sacramenta sunt, et eo ipso imago unionis Christi cum ecclesia pariter atque matrimonia catholicorum. Ex hoc aliqua appertinentia ad ecclesiam sequi videtur. — Prorsus aliter habet se res, si respicimus ad ordinem canonicum. 271
Ecclesia non potest haereticis etc auferre characterem baptismalem indelebilem nec eo ipso inhaerentiam dogmaticam ad ecclesiam. At

[1]) E. gr. de fide et symb. 10, 21; M. 40, 193.
[2]) Enarr. in ps. 106, 14; M. 37, 1427; de baptism. 3, 19, 26 et 4, 12, 18; M. 43, 152, 166.

valet eis adimere appertinentiam canonicam; potest eos privare non solum iis bonis, gratiis, iuribus, privilegiis, quae sunt ordinationis pure humanae, sed etiam usu salutari talium, quae oriuntur ex institutione divina, praesertim usu salutari sacramentorum. Haeretici tum publici tum occulti, schismatici, excommunicati sive nominatim sive non nominatim excommunicati seu vitandi seu tolerati, omnes hi vetiti sunt sacramentum ullum licite recipere, etsi putant se esse in statu gratiae, vel etsi ob falsam praesuppositionem iniuste censuris notati sunt. Hoc modo sunt exclusi a praecipuis mediis gratiae, per excommunicationem eo ipso iuridice sunt semoti ab ecclesia et religione vera seu via unica ad salutem, et eatenus reipsa possunt assimilari cum Iudaeis et Paganis, possunt revera tamquam extra ecclesiam stantes designari, etsi dogmatice cum ea uniti manent. — Obiicitur imprimis: Sub hac hypothesi etiam damnati in inferno, qui ferunt characterem baptismalem, sunt membra ecclesiae. Resp.: In sensu dogmatico baptizati damnati profecto dici possunt membra Christi et ecclesiae, nempe ideo, quod per characterem Christo assimilati et eo ipso cum Christo et ecclesia coadunati sunt. At haec assimilatio et unio nonnisi est exterior per gratiam quandam gratis datam, non per gratiam gratum facientem. Etiam damnati manent naturales filii et imagines Dei, etsi deturpati, manent naturaliter cum Deo uniti per concursum naturalem, attamen sunt damnati. Quod illi Christiani, qui per vinculum symbolicum, liturgicum et hierarchicum cum ecclesia quidem coniuncti, sed in vitiis nefandis constituti sunt, membra Christi et ecclesiae sunt, damnati baptizati quoque ad utramque pertinere in sensu dicto possunt. Etiam illa membra familiae alicuius, quae sunt prorsus degenerata et ideo exhaeredata et a communitate familiae exclusa, ratione suae nativitatis sunt et manent membra eiusdem familiae. Nonne haec origo et unio frontibus eorum quasi indelebiliter insculpta est? Nonne filii in inferno reprobati sunt vel manent nati parentum suorum in caelis gloriosorum? Similiter se res habet quoad unionem reproborum cum Christo et ecclesia. Praeterea nunquam oblivisci debemus, ecclesiam esse corpus Christi *mysticum*, et ideo etiam unionem nostram cum iis esse rem mysteriosam, non omnino comprehensibilem.[1])

272 γ) Omnes non baptizati, qui saltem voto baptismi ad eam spectant, ergo omnes non baptizati iustificati, e. c. catechumeni nonnulli, ad animam ecclesiae pertinere videntur. Nam per gratiam sanctificantem Christi sunt. *S. Augustin.*[2]) „Omnes, quotquot fuerunt sancti, ad ipsam ecclesiam pertinent.“ Hi stricto in sensu membra ecclesiae non sunt, non subiacent legibus ecclesiae, matrimonia ab iis rite inita non sunt sacramenta.

[1]) De tota quaestione fusius ctr. *Minges Parth*, „Gehören Exkommunizierte und Häretiker noch zur kath. Kirche.“ (Theol.-prakt. Monatsschr., 1901/02, 339 ss).

[2]) Serm. 4, 11; M. 38, 39.

II. Membra superiora et inferiora, ecclesia docens et discens.

273 Ecclesia est societas inaequalis, quatenus non omnia membra corporis, etsi pariter per vinculum symbolicum, hierarchicum, liturgicum cum ecclesia sunt coniuncta, eundem locum et dignitatem tenent. S. Paulus scribit (1 Cor 12, 14 ss): „Nam et corpus non est unum membrum, sed multa . . . Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . . Numquid omnes apostoli, numquid omnes prophetae, numquid omnes doctores?“ Christus elegit apostolos et discipulos, instituit eos praepositos ecclesiae, iussit eis ab aliis tribui oboedientiam et reverentiam. Secundum Lc 10, 1 ss elegit 72 discipulos, misit eos ad docendum et addidit: „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.“ Apostoli et ipsi suo loco statuere episcopos (Act 20, 28), presbyteros (1 Tim 5, 17), pastores (Eph 4, 11), praepositos (Hbr 13, 7; 1 Thes 5, 12). S. Paulus instruxit Timotheum (I, 3) et Titum (capp. 1—3), quomodo se gererent ut episcopi in subditos. Admonet hos (Hbr 13, 17): „Oboedite praepositis vestris et subiacete eis.“ Idem docent iam primi Patres, Clemens Rom., Ignatius etc. Notetur unus tantum locus ex *S. Ignatio:*[1]) „Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum. Sine his ecclesia non vocatur“ (*ἐκκλησία οὐ καλεῖται*).

Cfr. *Franzelin*, l. c. th. 22 ss. — *Perrone*, l. c. p. 2, prop. 8. — *Regnier*, de ecclesia Christi, p. 2, sect. 2. — *Passaglia*, l. c. 1. 3, IV. — *Wilmers*, 619 ss. — *de Groot*, qu. 3, a. 3. — *Kellner H.*, Verfassung, Lehramt und Unfehlbark. d. Kirche, ed. 2, 1874, 13 ss. — *Palmieri*, l. c. § 12 et 23. — *Specht*, § 12 ss. — *Straub*, II thes. 32 ss.

§ 3. De proprietatibus ecclesiae.

274 I. Ecclesia est visibilis. — Ecclesiam non visibilem esse, consequenter docere debent omnes, qui dicunt, eam tantum ex iustis vel praedestinatis consistere; nam iustitia vera interna vel praedestinatio externis signis certo cognosci non potest. Praesertim Lutherani asseruerunt, ecclesiam esse invisibilem; cum enim Catholici obiicerent, religionem Lutheranam ante Lutherum non exstitisse, ergo non posse esse apostolicam nec veram, responderunt, ecclesiam suam invisibiliter semper fuisse, quia ecclesia non esset visibilis. Haec positio est falsa.

1. *Ecclesia pure invisibilis est contradictio in adiecto.* — Hoc concedunt et ipsi aliqui Protestantes.[2]) — Omnis vera societas hu-

[1]) Ep. ad Trall. 3; ed. Funk I, 245.

[2]) *A. v. Harless* und *Th. Harnack* (Die kirchl. religiös. Bedeutung der reinen Lehre von d. Gnadenmitteln. Erlangen 1869, p. 12) scribunt: „Die schlechthin unsichtbare Kirche ist weder eine Kirche noch eine christl. Gemeinschaft; sie hätte in der Unsichtbarkeit einzig und allein das Kriterium ihrer Unwahrheit.“

mana oportet sit visibilis, invisibilis non potest condi nec constare nec gubernari nec cognosci, est aliquid pure abstractum, imaginarium non concretum. Quomodo intelligitur, ecclesiam esse invisibilem? Ex Biblio? At sine ecclesia visibili non est Biblium; nonne Biblium ipsum, Christus, apostoli, qui ecclesiam condiderunt et Biblium scripserunt vel tradiderunt, visibiles sunt? An ecclesia invisibilis per gratiam solam internam vel per praedestinationem formatur? At sine Scriptura et ecclesia externa nihil scimus de gratia interna nec de praedestinatione. Doctrina de invisibili ecclesia perducit animos facillime ad sentimentalismum pure subiectivum. Omnes societates religiosae, quae esse voluerunt pure spirituales et organisationem externam reiecerunt, brevi in excessus pseudomysticos et visionarios inciderunt velut antiqui Montanistae et moderni Pietistae.[1])

2. *Christus nominat ecclesiam regnum Dei, domum Dei, civitatem, corpus Christi etc*, instituit apostolos, episcopos, sacerdotes, sacramenta. Contra Donatistas iam S. Augustinus scribit:[2]) „Non est autem ista (ecclesia) operta, quia non est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Et de illa dictum est: ‚Non potest civitas abscondi super montem constituta' (Mt 5, 14)." — *Non obstat Lc 17, 20 s:* „Non venit regnum Dei cum observatione." Ad interrogationem pharisaeorum: „quando venit regnum Dei?" respondit et ostendit Christus, regnum Messianum futurum non esse regnum carnale nec pomposum, sicuti Iudaei opinabantur, sed primarie regnum spirituale, et concessurum esse bona imprimis interna et moralia.

3. *Ecclesia est corpus et figura Christi.* — Christus autem fuit visibilis, carnalis, et etiam in caelis habitans non est pure invisibilis vel spiritualis sicut Deus, sed est et manet corpus, etsi gloriosum. Ita ecclesia quoque est et manet visibilis, res externa, etsi eadem interna, spiritualis est.

275 II. Ecclesia est invisibilis, spiritualis, non solum ecclesia triumphans et patiens, sed etiam militans quoad multa. Invisibilis est Christus, caput; invisibilis est connexio cum eo sive per gratiam sive per characterem baptismalem; invisibilis est gratia sanctificans; invisibilis est finis supernaturalis et aeternus ecclesiae; item effectus sacramentorum, gubernatio ecclesiae per Christum, Spiritus S. in ecclesia commorans. Quare possumus dicere: momenta ecclesiae invisibilia et spiritualia sunt sublimiora et graviora quam visibilia et externa, sicut in homine anima dignitate quasi infinite corpus superat, quia corpus sine anima existere nequit.

---

[1]) Cfr. Ritschl Alb., Gesch. des Pietismus. Bonn 1880 ss; 1, 411 ss; II, 183 ss; 238 ss; III, 177 ss.

[2]) De unit. ecclesiae, 16, 40; M. 43, 422.

III. Est supernaturalis. — Ecclesia constat quidem 276
ex hominibus communibus, habet constitutionem constitutionibus societatum naturalium similem, verumtamen est societas plus quam naturalis, est supernaturalis quoad originem, conservationem, caput, doctrinam et omnia momenta invisibilia.

IV. Est indefectibilis, essentialiter immu- 277
tabilis. — Indefectibilitas ecclesiae dicit, ecclesiam duraturam esse usque ad consummationem saeculi habituramque esse semper cuncta essentialia a Christo sibi data quoad doctrinam, formam, constitutionem. Eo ipso debet esse essentialiter immutabilis. Nam omne mutari est quoddam mori. Concilio Vaticano definienda proposita erat propositio: „Christi ecclesia nunquam potest excidere suis proprietatibus et dotibus, sacro suo magisterio, ministerio et regimine . . . Ad finem usque mundi in sua constitutione immutabilis semper et immota persistet.“[1]) — Hanc veritatem negant omnes Naturalistae et Rationalistae putantes, ecclesiam esse institutum pure humanum ideoque mutabile et corruptibile sicut omnia alia. Item Gnostici, Montanistae, Manichaei, Beguardi, Cathari, Fraticelli, Protestantes, Iansenistae, Modernistae dicentes, ecclesiam brevi post tempora apostolica essentialiter defecisse ab originali doctrina, morum et disciplinae praxi et constitutione externa novamque prorsus formam et statum assumpsisse. Item omnes, qui arbitrantur, ecclesiam non ab initio habuisse episcopos vel sacerdotes divinitus ad regendam ecclesiam institutos, sed solum Spiritum Sanctum per „prophetas“ ecclesiam gubernasse.[2]) Pariter cuncti, qui loquuntur de ecclesia petrina, paulina, ioannea sibi successiva, nec minus omnes, qui velut Irvingiani, Quaekeri fabulantur de nova effusione Spiritus Sancti, de nova futura ecclesia pure apostolica etc. Clemens XI. 8. Sept. 1713. n. 95 ss (Denz. 1445 ss) reprobavit theses eiusmodi paucas Quesnellii, e. c. n. 95: „Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas praedicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate apostolorum et supra communem captum fidelium.“ Pius X. (Lament. 53): „Constitutio organica ecclesiae non est immutabilis, sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia.“ cfr. ss. 59. — Haec thesis patet:

1. *ex natura rei.* — Religio christiana est religio vera; atqui haec essentialiter eadem esse debet, momenta constitutiva mutari nequeunt. — Quia religio semper perduret oportet, etiam religio christiana.

[1]) Martin, Omnium Concilii Vatic. documentorum collectio, ed. 2. Paderborn 1873, p. 43.

[2]) Ita praesertim *Thiersch H. W.*, Vorlesungen über Katholicism. und Protestantism., 1846, Vorles. 5 ss. — Cfr. *Harnack*, Dogmengesch. I, 337 ss.

2. *ex revelatione.* — *Scriptura* saepius docet, regnum Christi nunquam cessaturum esse, e. c. Lc 1, 32 annuntiavit Gabriel angelus: „Et regni eius non erit finis.“ Christus ipse promisit: „Portae inferi non praevalebunt adversus eam“ (Mt 16, 18). Portae inferi significant et vim mortis ac corruptionis, cui omnia visibilia subiacent, et potestatem inimicorum exteriorum, praesertim satanae: omnes has potestates infestas ecclesia superabit, quia Christus usque ad consummationem saeculi cum suis erit (Mt 28, 20). Ecclesia ergo usque ad finem talis erit, qualem eam instituit; crescet quidem et se evolvet, sicut granum sinapis se explicat in arborem amplissimam, at semper erit eadem religionis forma, sicut arbuscula per saecula perennis semper eadem planta est. *S. Cyprian.:*[1]) „Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica.“ *S. Augustinus:*[2]) „Senecta ecclesiae candida erit recte factis, morte autem non corrumpetur . . senecta ista iuvenilis est, senecta ista viridis est, semper virebit.“ Idem:[3]) „Non vincetur ecclesia, non eradicabitur nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat huius saeculi finis.“

278 V. Ecclesia est infallibilis. — Infallibilitas est duplex, scil. activa et passiva. *Activa est infallibilitas* praedicationis ecclesiae seu *ecclesiae docentis; passiva est infallibilitas fidei seu ecclesiae discentis;* ex infallibilitate activa sequitur passiva. De infallibilitate passiva nunc agimus. Haec dicit: ecclesia semper custodit fideliter ab errore immunem ambitum totum doctrinae revelatae et divinitus sibi traditae. Hoc patet:

1. *ex indefectibilitate ecclesiae.* — Doctrina revelata seu depositum fidei est lex, cui innititur religio christiana; quae si errore inficitur, ecclesia eo ipso essentialiter mutatur, non habet veram doctrinam, non iam est ecclesia Christi nec religio vera.

2. *ex fine ecclesiae.* — Ecclesia omnes homines ad veritatem et viam salutis et vitam aeternam ducere debet, quare parvulis suis panem poscentibus scorpionem dare nequit; secus esset non mater fidelium, sed eos interitui exponeret.

3. *ex revelatione.* — 1 Tim 3, 15 dicitur ecclesia „columna et firmamentum veritatis“. S. Augustinus:[4]) „Ecclesia catholica contra omnes haereses pugnans pugnare potest, expugnari tamen non potest. Haereses omnes de illa exierunt tamquam sarmenta inutilia de vite praecisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in caritate sua. Portae inferorum non vincent eam.“

279 VI. Unica in sensu numerico. — Christus unam nonnisi ecclesiam constituit, non plures, et haec una ecclesia est sola religio Christi concreta, religio vera. Hoc liquet:

---

[1]) De unit. eccl. 6; M. 4, 502.
[2]) Enarr. in ps. 91, 11; M. 37, 1179.
[3]) In ps. 60, 6; M. 36, 726.
[4]) De symbolo serm. ad catech. 6, 14; M. 40, 635.

1. *ex ratione theologica.* — Religio vera tantum una est, etsi plures formas habere potest, perfectiorem et imperfectiorem. Quod ergo, sicut vidimus, religio christiana est vera eaque perfectissima religio et simul ecclesia Christi, in qua religio christiana formam corporalem accipit, nonnisi una esse videtur.

2. *Prophetae* praenuntiavere unum regnum Messianum, unum Ierusalem novum, unam domum Dei, unum montem Sion, ad quem omnes populi confluent, e. c. Is 2, 2 s: „Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles et fluent ad eum omnes gentes."

3. *Christus et apostoli* nullatenus innuunt, extra religionem et ecclesiam christianam alias posse admitti, sed dumtaxat de(una) ecclesia loquuntur: „aedificabo ecclesiam meam"; „qui ecclesiam non audit"; „fiet unum ovile et unus pastor" (Io 10, 16). Mentio quidem est de ecclesia Ephesina, Laodiceensi etc, sed hae nonnisi partes unius ecclesiae sunt, non ecclesiae ab aliis distinctae; ecclesiae singulae habent quidem suos episcopos, at hos Spiritus S. posuit, regere (unam) ecclesiam Dei (Act 20, 28).

4. *Patres* unam solummodo ecclesiam norunt. Iam S. Cyprianus scripsit librum „de unitate ecclesiae". Ibidem[1]) dicit: „Unam ecclesiam in cantico canticorum Spiritus S. ex persona Domini designat et dicit: una est columba mea." Immo ipsa Didache (10, 5): „Memento, Domine, ecclesiae tuae . . Collige eam a quattuor ventis, quae fuit sanctificata, in tuum regnum."

VII. Ecclesia est sola salvum faciens.

1. *Natura rei* docet, non omnes vias ducere ad finem propo- 280
situm, non omnes doctrinas ad veritatem. Non potest esse indifferens, utrum cum Catholicis eucharistiam venerer ut corpus Christi verum, an cum Zwinglianis hunc cultum idololatriam nuncupem; utrum missam continuationem sacrificii Christi in cruce peracti putem, an cum Calvinistis abominationem maledictam vocem; utrum Papam videam vicarium Dei, an cum Luthero antichristum; utrum septem sacramenta ut media gratiae a Christo ordinata numerem, an duo vel nullum. Multum interest, utrum Scripturam S. mihi ipse interpreter, an sequar expositionem stricte fixam etc. Illi, qui dicunt, omnes religiones christianas esse eiusdem valoris, concedunt, nullam religionem christianam esse veram. Itaque etiam Lutherani, Calvinistae etc genuini recte docuerunt, non omnes religiones et societates, quae nomine christiano gloriantur, esse veras vel salvos reddere homines.

2. *Scriptura S.* — „Qui vos spernit, me spernit" (Lc 10, 16). — „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus" (Mt 18, 17). — „Ego sum via et veritas" (Io 14, 6). — „Ego sum

[1]) N. 4; M. 4, 500.

ostium; per me si quis introierit, salvabitur" (Io 10, 9). — „Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro" (Io 10, 1). — „Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri" (nisi nomen Iesu Christi, Act 4, 12). — Dominus ipse illos, quos miraculose ad fidem vocaverat, iussit ire ad ministros ecclesiae, e. gr. Paulum ad Ananiam (Act 9, 7), Cornelium ad Petrum (10, 5); ad eunuchum Aethiopem misit Philippum diaconum (8, 26 ss).

3. *SS. Patres.* — Iam *S. Ignatius* acriter invehit in haereticos et schismaticos, vocat eos feras, eos regno caelesti destitutos esse declarat, et stricte prohibet, ne fideles cum iis conversentur: „Si quis schisma facientem sectatur, regni divini haereditatem non consequitur."[1]) „Praemunio vos contra feras humana specie indutas, quas non solum oportet vos non recipere, sed si possibile est, neque obviam eis fieri."[2]) — *S. Cyprianus:*[3]) „Nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit, evadit." — *S. Augustinus:*[4]) „Foris ab ecclesia constitutus et separatus a compage unitatis et vinculo caritatis, aeterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris." — *S. Fulgentius:*[5]) „Firmissime tene et nullatenus dubites, quemlibet haereticum sive schismaticum . . . si ecclesiae catholicae non fuerit aggregatus, quantascumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari." „Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt", ait *Tertullian.*[6])

4. *Ecclesia* orat in symbolo Athanasiano: „Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit." Conc. Lateran. IV. (c. firmiter, Denz. 430): „Una vero est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur."

281 Nota. — Ecclesia dicens se esse solam ecclesiam salvificam, non damnat homines extra se stantes, sed tantum errorem, et hunc debet reprobare, nisi se ipsa tollere vult. Idem Pius IX., qui a. 1864 reiecit thesim 17. Syllabi: „Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi ecclesia nequaquam versantur," dixit in encyclica ad episcopos Italiae 10. Aug. 1863 (Denz. 1677): „Notum nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique

[1]) Ad. Philad. 3; M. 5, 699.
[2]) Ad Smyrn. 4; M. 5, 710.
[3]) De unit. eccl. 6; M. 4, 503.
[4]) Ep. 173, n. 6; M 33, 755. — Multos alios locos Augustini videas apud Specht, c. 294 ss.
[5]) De fide, c. 39, n. 80; M. 65, 704.
[6]) De praeser. 37; M. 2, 51.

naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus . . . minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat." — Omnes, qui extra ecclesiam constituti sunt in gratia sanctificante, pertinent saltem in voto ad ecclesiam, ad animam ecclesiae. Qui extra ecclesiam salvi fiunt, salvantur non ob participationem societatis acatholicae et doctrinam suam falsam, sed in quantum per gratiam Christi, qui cunctos vult servare, saltem in voto et ad animam ecclesiae pertinent. Bona fides inter acatholicos certe possibilis est et reapse evenit, sed quis bona fide sit, quis non, id iudicare penes Deum est.

VIII. Ecclesia est necessaria. — Ecclesia est 282
manifestatio necessaria externa religionis verae, ergo necessaria sicut religio ipsa. Quia homo est creatura socialis, etiam religio debet accipere formam socialem seu formam ecclesiae; teste experientia religio extra ullam societatem brevi ex se ipsa dissolvitur. Praeterea ecclesia necessaria est, quia continuat opus Christi et eo ipso sola salvos facit.

IX. Ecclesia est una unitate ontologica 283
seu interna, sancta, catholica, apostolica. De his proprietatibus fusius in capite sequente.

X. Has omnes proprietates ecclesiae competere debere et re- 284
vera competere, dogma formale est. Hoc patet ex dictis et dicendis. Heic tantum ostendatur in Symbolum Nicaenum, quod continet verba: „Credo . . et in unam, sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam."

Cfr. *Franzelin*, th. 21 et 24. — *Perrone*, l. c. prop. 4. — *Bellarmin*, 1. 3, capp. 11 ss. — *Hettinger*, II, §§ 2 ss. — *Passaglia*, 1. 2, capp. 3 ss. — *Wilmers*, 58 ss. — *de Groot*, qu. 3, a. 2; qu. 8, a. 1 ss. — *Palmieri*, 1. c., § 5 ss. — *Specht*, § 26 ss. — *M. Grabmann*, Die Lehre des hl. Thomas v. A. von der Kirche als Gotteswerk. Regensburg 1903. — *B. Poschmann*, Die Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des heil. Cyprian. Paderborn 1908. — *A. Seitz* Die Heilsnotwendigkeit der Kirche nach der altchristl. Literatur bis zur Zeit des heiligen Augustinus. Freiburg 1903. — *J. Cap. Romeis* O. F. M., Das Heil der Christen außerhalb der wahren Kirche nach der Lehre des heiligen Augustinus. Paderborn 1908. — *Straub*, I. c. 2 et 7.

Caput II.

De veritate et divinitate ecclesiae catholicae (demonstratio catholica).

§ 4. De cognoscibilitate et notis ecclesiae verae in genere.

1. Quia Christus unam tantum ecclesiam instituit; quia extra 285
hanc nulla salus est; quia omnis homo obligatus est condiciones ad salutem necessarias implere, ergo in hanc ecclesiam intrare debet: necesse est unumquemque scire, quaenam inter illas ecclesias, quae se christianas nuncupant, vera sit. Ut hoc facile cognosci queat, ornavit Christus ecclesiam signis et characteribus eiusmodi, ex quibus eius veritas et divinitas facile intelligatur et vera ecclesia Christi

a falsis distingui possit. Hoc dicit (Vatic. s 3, cap. 3; Denz. 1793): „Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci."

2. Haec attributa dicuntur notae vel criteria verae ecclesiae. Eadem sunt quasi manifestatio visibilis Spiritus divini invisibiliter in ecclesia commorantis. — Omnes notae ecclesiae sunt etiam proprietates ecclesiae, sed non vice versa. Nam non omnes proprietates, e. c. indefectibilitas, infallibilitas, sunt satis aptae ad ecclesiam veram facile a falsis discernendam, quia sunt minus conspicuae, manifestae vel quasi manibus comprehendendae. Certe ecclesia est indefectibilis, manet essentialiter eadem usque ad adventum Christi; at hoc naturaliter non demonstrari, sed nunc nonnisi credi potest; certe ecclesia est infallibilis nec errare potest, at hoc factum homo infidelis ex se ipso vix invenire valet.

286 3. Ex hoc patet falsitas doctrinae Protestantium,[1]) criterium verae religionis esse nonnisi puram praedicationem evangelii et rectam administrationem sacramentorum. Ei enim, qui extra ecclesiam stat, difficile est invenire, quae ecclesia utramque teneat; nam controversia magna est inter religiones christianas, quae sit vera doctrina et recta administratio sacramentorum. De utraque quaestione tantum ecclesia vera responsionem aptam dare potest. Ergo prius alio modo sciendum est, quae sit ecclesia vera. Pulchre scribit Bellarminus:[2]) „Prius debet esse notus custos thesauri quam thesaurus, et doctor quam doctrina, cum a doctore petatur doctrina, non contra; ergo potius ecclesia est nota verae praedicationis quam vera praedicatio sit nota verae ecclesiae."

287 4. Notae verae ecclesiae antiquitus illa attributa ecclesiae habita sunt, quae enumerat symbolum Nicaenum, scil. unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas. Symbola antiquissima profitentur tantum „*sanctam* ecclesiam" (cfr. Denz. 1 ss); aliae notae postea symbolo additae sunt. Has quatuor notas enumerat etiam Pius IX. 16. Sept. 1864 (Denz. 1686): „Vera Iesu Christi ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur, et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi; hinc fit, ut quae vere est et dicitur c a t h o l i c a, u n i t a t i s simul, s a n c t i t a t i s et a p o s t o l i c a e s u c c e s s i o n i s praerogativa debeat effulgere." Has quatuor notas theologi nunc communi consensu proponunt; temporibus prioribus nonnulli plures statuere velut Thomas Bozius 100, Bellarmin 15 etc. Sed ad dictas quatuor omnes aliae reduci possunt,

[1]) Cfr. Confessio Augustana, art. 7.
[2]) L. c. 4, c. 2.

et hae quatuor ita inter se cohaerent, ut nota notam efficiat et postulet.

5. Has notas ecclesia omni tempore ita ostendere debet, ut 288
hac quadruplici praerogativa effulgeat et sic ab omni alio coetu religioso ut vera ecclesia facile dignosci possit. Non requiritur, ut omnes quatuor in omni aetate et terra eodem fulgore splendeant; nam potest fieri, ut una alterave aliquibus temporibus et regionibus plus minusve obscuretur. Sed necessarium est omnes et singulas semper et ubique tam manifestas esse, ut omni homini bonae voluntatis, qui sincero corde et sufficienti studio veritatem vel veram ecclesiam quaerit, eam relative facile ex omnibus societatibus religiosis invenire possit. Qui non sincero, humili serioque animo veritatem quaerit, praesertim qui superbus est et inspirationibus gratiae non oboedit, nunquam ad lucem, etsi sole clariorem, perveniet, quia Deus superbis resistit. Homines simplices et indocti in genere facilius et celerius veritatem et veram ecclesiam cognoscant quam docti, quia minus obiectionum et difficultatum eis occurrere solet. At etiam doctis et philosophis hae notae sufficere debent, quia per se satis manifestae sunt.

6. Theologi varii distinguere solent inter momentum negativum 289
et positivum eiusdem notae. Nota est negativa, quatenus ostendit, ubi ecclesia vera non sit, non autem positive probat, ubi vera ecclesia sit; est positiva, si indubie demonstrat, ubi ecclesia vera sit. Sed ex eo quod cognosco, aliquam ecclesiam non posse esse veram, nondum cognosco, quae sit vera. Quare notae etiam positive sumendae sunt, ut positive ostendant, ubi ecclesia vera sit.

7. Hae notae non eo superfluae fiunt, quod non raro homines 290
acatholici ad ecclesiam catholicam convertuntur respectu non vel saltem minus habito ad eius unitatem etc, sed ex aliis motivis, e. c. eo quod ecclesia catholica strenue retinet et defendit divinitatem Iesu Christi, revelationem supernaturalem positivam, inspirationem divinam et infallibilitatem Scripturae, vel quia placet cultus catholicus, praesertim sacramentum eucharistiae et poenitentiae. Deus habet varias vias et media, quae ad veritatem ducunt, et adhibet singulas correspondentes inclinationibus et indigentiis religiosis hominum singulorum. Magisterium ecclesiae loquitur non solum de dictis quatuor notis, sed etiam de multis dispositionibus divinis: „Ad solam enim catholicam ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.“ (Vat. 3, cap. 3; Denz 1794). Sed omnia haec momenta aliquo modo ad unam alteramve notarum quatuor reduci

possunt. Ecclesia catholica non solum profitetur fidem in septem sacramenta, in divinitatem Iesu Christi etc, sed potest etiam ostendere, se hanc fidem semper et ubique habuisse et habere, et demonstrat sic suam unitatem symbolicam, et haec est impossibilis sine unitate hierarchica, et unitas hierarchica reduci potest ad apostolicitatem etc. Ceterum *notae ecclesiae non sunt formaliter idem cum criteriis credibilitatis, etsi intime cum eis cohaerent.*

Cfr. Zeitschrift für kathol. Theologie 1912, 715 ss, 1915, 231 ss. Cfr. bibliographiam in fine § sequentis notatam. — *Straub*, II. c. 7.

§ 5. De notis in specie.

I. Unitas.

1. *Unitas ecclesiae qua proprietas verae ecclesiae.*

291 Hic agimus de unitate ontologica, nempe de illa interna, quae pertinet ad notionem et essentiam ecclesiae verae. Haec est triplex, scil. unitas symbolica seu fidei, unitas liturgica seu cultus, unitas hierarchica seu gubernationis concordis et submissionis membrorum sub auctoritate ecclesiastica.

a) *Unitas fidei.* — Hanc postulant α) *Christus* (Mt 28, 20) apostolis mandans: „Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine P. et F. et Sp. S., docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.“ Christus unam dumtaxat doctrinam praedicavit eamque secundum totum ambitum observandam omnibus praescripsit. Haec una doctrina sine additione et mutilatione rerum a generatione in generationem tradita necessario facit unitatem fidei. — β) *Apostoli* saepe admonent fideles, ut sint „unanimes, idipsum sentientes“ (Phlp 2, 2), et ut dissensiones fidei tamquam malum maximum fugiant: „Haereticum hominem post unam et secundam correctionem devita sciens, quia subversus est, qui eiusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus“ (Tit 3, 10). — „Sicut praediximus et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.“ (Gal. 1,9). „Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis“ (Rom. 16, 17). Ipse ille mitissimus S. Ioannes (II, 9 s): „Omnis, qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet . . . Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec ave ei dixeritis.“ — γ) *SS. Patres* idem docent omnibus his locis, ubi dicunt, extra fidem vel ecclesiam catholicam non esse salutem (cfr. supra n. 280). *S. Irenaeus*[1]) exponit, ecclesiam ab apostolis fidem in unum Deum recepisse, et pergit: „Hanc praedicationem cum acceperit et hanc fidem . . . ecclesia et quidem in universum mundum disseminata diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans . . . unam animam habens et unum cor, et consonanter hoc praedicat et docet et tradit,

[1]) 1, 10, 1—2; M. 7, 550 s.

quasi unum possidens os." — *S. Augustinus:*[1]) „Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta multa tolerat, et tamen quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat nec tacet nec facit."

b) *Unitas cultus.* — α) *Christus* apostolis mandavit, ut omnes gentes non solum docerent, sed et baptizarent. — β) *S. Paulus* (Eph 4, 5): „Unus Dominus, una fides, unum baptisma." — 1 Cor 10, 17: „Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus." — 1 Cor 12, 13: „Omnes nos in unum corpus baptizati sumus." — γ) Ex unione fidei necessario sequitur unio cultus, nam cultus nonnisi est corpus, manifestatio eius visibilis. Sine unione liturgica ne species quidem externa unionis ecclesiasticae servari potest. — δ) Iam *S. Ignatius Antioch.*[2]) monet: „Studeatis una eucharistia uti; una enim est caro Domini Nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis, ut, quod faciatis, secundum Deum faciatis."

c) *Unitas hierarchica.* — α) Unitas symbolica et liturgica praesupponit unitatem hierarchicam. — β) Unitas hierarchica necessario competit ecclesiae, quae tantum una est et habet constitutionem similem constitutionibus regnorum civilium, quia alioquin per se ipsam dissolveretur. — γ) *S. Ignatius:*[3]) „Quotquot Dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo." — *S. Cyprianus:*[4]) „Ecclesia (est) plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse." Item:[5]) „Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata, quam dum sacerdoti Dei non obtemperatur." — *S. Augustinus:*[6]) „Credamus, fratres: quantum quisque amat ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum S. . . . Habemus Spiritum S., si amamus ecclesiam; amamus autem, si in eius compage et caritate consistimus."

2. *Unitas ut nota ecclesiae.*

Unitas haec triplex est nota ecclesiae. a) Christus vocat unitatem criterium ecclesiae suae dicens (Io 17, 21): „Ut omnes unum sint sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti." — b) *S. Augustinus:*[7]) „In ecclesia Christi nonnisi concordes atque unanimes habitant." Dicit ecclesiam ipsam unitatem:[8]) „Ecclesia unitas." *S. Cyprianus* 292

[1]) Ep. 55, n. 35; M. 33, 221.
[2]) Ad. Philadelph. 4; ed. Funk, I, 267.
[3]) L. c. 3. — [4]) Ep. 69, n. 8; M. 4, 406.
[5]) Ep. 12 ad Cornelium, n. 5; M. 3, 802.
[6]) Tract. 32, in Ioan. n. 8, M. 35, 1645 s.
[7]) De baptism. 7, 49, 97; M. 43, 240.
[8]) Enarr. in ps. 101, sermo 2, n. 8; M. 37, 1309.

scripsit proprium librum „De unitate ecclesiae," cuius scopus est dare notam dinoscendi ecclesiam veram a conventiculis haereticis et schismaticis.[1]) — c) Unitas ecclesiae continuo perseverans est quasi miraculum perpetuum. Cum religio christiana membris suis onus grave imponat; cum singuli et nationes totae naturaliter studeant esse sui iuris et independentes; cum paulatim omnes societates civiles et religiosae aliae se dissolvant: debet illa ecclesia, quae per tot nationes et saecula unitatem praedictam triplicem servet, re ipsa esse opus divinum et eo ipso ecclesia vera. — Ex his rationibus unitas revera est nota ecclesiae verae.

II. Sanctitas.

1. *Sanctitas ut proprietas ecclesiae.*

293 a) *Quid est sanctitas?* Sancta dicitur in Scriptura omnis persona vel res, quae est separata a profanis et Deo specialiter dedicata. Quia nonnisi illi, qui sunt puro corde, digni sunt, ut cultui divino sacrentur, dicuntur sancti illi, qui sunt immunes a peccatis et ornati virtutibus et sic moraliter similes Deo, sanctitati substantiali.

b) *Ecclesia est sancta.* — Nam sancta est α) *causa efficiens*, scil. Christus seu Deus ipse, qui eam instituit. — β) *causa exemplaris*, scil. Deus, secundum Lv 19, 2: „Sancti estote, quia ego sanctus sum." — γ) *causa finalis*, scil. sanctitas membrorum, 1 Thes 4, 3: „Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra" (cfr. Eph 5, 26 s). — δ) *causa materialis*, scil. baptizati, qui saepe in Scriptura vocantur „sancti", e. c. 1 Cor 1, 2. — ε) *causa formalis*, scil. Christus qua caput ecclesiae, et Spiritus S. in ecclesia et Christianis inhabitans: „Nescitis, quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?" (1 Cor 3, 16). — ζ) *causa instrumentalis*, scil. media gratiae, quibus ecclesia sanctificat membra sua, nempe doctrina, sacramenta.

2. *Sanctitas ut nota ecclesiae.*

294 Omnes ecclesiae christianae dicunt, suum auctorem, doctrinam, finem etc esse sanctum; ergo haec sanctitas non potest esse criterium vel nota verae religionis. Debemus igitur statuere talem, quae se ad extra manifestat et sic facile ecclesiam veram a falsis distinguit: *Haec manifestatio sanctitatis est sanctitas eximia membrorum ecclesiae et facta sancta* (divina), *scil. charismata.*

a) *Sanctitas membrorum ecclesiae extraordinaria per virtutes ad extra se manifestans est nota ecclesiae.* — Christus ipse ait (Mt 5, 16): „Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est." Etiam Patres ad probandam veritatem et divinitatem ecclesiae ostenderunt in Christianorum, praesertim ss. martyrum, virginum, anachore-

[1]) Hoc diserte ostendit *Kneller* in Zeitschr. f. kath. Theol. 1912, 280 ss.

tarum, puritatem morum, constantiam, virtutes, opera caritatis etc, e. c. Tertullianus,[1]) Augustinus.[2])

b) *Charismata sunt criterium verae religionis et ecclesiae.* — Charismata initio ecclesiae crebrius data sunt quam nunc, e. c. glossolalia, donum curationis, quia nunc minus necessaria sunt, sicut iam *S. Gregorius Magnus* scribit:[3]) „Haec necessaria in exordio ecclesiae fuerunt. Ut enim fides cresceret, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos, cum arbusta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam convaluisse videamus, et si semel radicem fixerint, in rigando cessamus." Attamen secundum verba Christi sunt charismata eiusmodi praemia fidei in ipsum vivae accessoria nec deficient unquam in ecclesia, quare sunt notae ecclesiae. Ait enim (Mc 16, 17 s): „Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent et bene habebunt." Io 14, 12: „Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet." Similiter *S. Irenaeus:*[4]) „Ubi ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia." Econtra de haereticis dicit idem:[5]) „Nec enim caecis possunt dare visum neque surdis auditum neque omnes daemones effugare . . . Tantum autem absunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit et apostoli per orationem, et in fraternitate saepissime." — *S. Bonavent.:*[6]) „Nunquam auditum est, quod haereticus vel ante vel post mortem vel in morte fecerit miracula." Reapse omnibus temporibus Christianismi occurrunt nobis eiusmodi signa extraordinaria et semper et ubique putantur criteria verae religionis.

III. Catholicitas.

1. *Notio et divisio.*

a) Notio. — „Catholicus" secundum etymon (*καθ' ὅλου*) **295** significat „universalis", et exprimit oppositionem ad coetus haereticos vel schismaticos. Nomen occurrit iam apud S. Ignatium:[7]) „Ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est ecclesia"; similiter in epistola ecclesiae Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi, quae scripta est[8]) „omnibus ubique terrarum sanctae et catholicae ecclesiae paroeciis." Epitheton „catholica" deest quidem in variis formulis symboli apostolici, sed certe iam saeculo 4. communiter in symbolum

---

[1]) Apol. 39; M. 1, 467 ss.
[2]) De moribus eccles. cathol. 1, 31, 68; M. 32, 1339.
[3]) Hom. 29, in evang. n. 4; M. 76, 1215.
[4]) 3, 24, 1; M. 7, 966.
[5]) 2, 31, 2; M. 7, 824.
[6]) In hexaëm. coll. 9, n. 17.
[7]) Ad Smyrn. 8; ed. Funk, I. 283.
[8]) Funk, I. 315.

receptum est.[1]) *S. Augustinus* habet vocem sexcenties sine appositione „ecclesia" (cfr. Specht 3, 7, 263 s etc). — Momenta varia in voce „catholica" contenta amplectitur *S. Cyrillus Hier.*:[2]) „Catholica . . vocatur eo, quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est; et quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent, dogmata . . ., tum etiam eo, quod omne hominum genus recto cultui subiiciat, principes et privatos, doctos et imperitos; ac denique quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quae per animam et per corpus perpetrantur, curat et sanat; eademque vero omne possidet, quovis nomine significetur, virtutis genus." Similiter S. Augustinus, Vincentius Lirin. aliique.[3])

b) *Divisio.* — Catholicitas est

α) *extensiva et intensiva seu quantitativa et qualitativa:* Intensiva est, si ecclesia vi institutionis et naturae ad omnes homines, tempora, status cultus humanitatisque est apta et ordinata; extensiva, si revera ad omnia saecula et homines diffusa est.

β) *materialis et formalis:* Materialis, si vere super totum orbem Christiani inveniuntur; formalis, si hi inter se vinculo interno unitatis symbolicae, liturgicae et hierarchicae coniuncti sunt.

γ) *successiva et simultanea*, in quantum nonnisi successive aut simul uno et eodem tempore super orbem totum extensa est.

δ) *physica et moralis:* Physica, si omnes homines ad ecclesiam pertinent; moralis, si saltem pars magna eorum in sinu ecclesiae est.

ε) *localis et temporalis:* Localis, si propagata est super omnes vel saltem plurimos locos; temporalis, si durat usque ad finem mundi; haec est indefectibilitas.

ζ) *absoluta et relativa:* Absoluta, si numerus membrorum ecclesiae superat numerum aliorum omnium Christianorum; relativa, si saltem superexcedit numerum membrorum uniuscuiusque ecclesiae falsae.

2. *Catholicitas ut proprietas ecclesiae.*

296 a) *Ecclesia Christi gaudet catholicitate intensiva seu qualitativa.* — Ecclesia est instituta ad omnes populos usque ad consummationem saeculi docendos; itaque doctrina eius nequit exhauriri per status rerum civilium et socialium externos quoslibet nec per progressum scientiarum. Id, quod S. Paulus de se ipso loquitur (1 Cor 9, 20 ss): „Factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarer . . . Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam", valet etiam de christiana religione et ecclesia catholica. Doctrina, cultus, organisatio eius apta sunt Iudaeis et Gentibus, populis barbaris et maxime excultis; parvulis dat lac, adultis cibum

[1]) Cfr. *Denz.* 1 ss; *Harnack*, Das apost. Glaubensbekenntnis, 1892, ed. 9, p. 30 ss.
[2]) Cat. 18, 23; M. 33, 1043.
[3]) Cfr. ap. Specht, 262, 265.

massivum. Semper essentialiter eadem manens accommodat se indigentiis omnium temporum et populorum. Eo ipso non est neque esse potest ecclesia territorialis vel regionalis, nationalis. Item: quaecumque vera, bona, pulchra quoad doctrinam et cultum in omnibus religionibus nobis occurrunt, habentur etiam in ecclesia catholica, sed sunt purgata ab errore, exculta, sublimata, in unum collecta, non dispersa vel erroribus permixta sicut in aliis religionibus.

b) *Ecclesia debet esse extensive seu quantitative catholica localiter*, quatenus omnes populos sibi consociare studere oportet: „docete omnes gentes;" — *et temporaliter*, quia est indefectibilis.

c) Ecclesia, sin aliter catholica esse vult, reapse super totam terram diffusa esse debet saltem temporibus posterioribus. *Debet ergo esse catholica materialiter* idque ita, ut *formaliter* sit catholica seu habeat vinculum unitatis.

d) Catholicitas ecclesiae debet esse *successiva* ita, ut paulatim ubique propagetur; item *simultanea* saltem ita, ut in pluribus locis et terris simul per multa saecula permaneat fixa et stabilis.

e) At haec propagatio et permanentia *non debet esse absoluta nec physica*. Nam propagatio fit secundum leges morales, quia tum singuli homines tum toti populi ecclesiae resistere aut ab ea deficere possunt et reapse hoc faciunt. Quare *sufficit catholicitas moralis et relativa*.

3. *Catholicitas ut nota ecclesiae.*

De illa ecclesia, quae praetendit se esse veram ecclesiam 297
Christi, est dicendum:

a) *Debet habere nomen „catholica;"* idque non solum sibi ipsa dare, sed etiam ab aliis hoc nomine passim vocari. Hoc nomen enim est antiquissima praerogativa ecclesiae. *S. Pacianus* scribit:[1]) „Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit . . Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum catholicus nuncupatur." — *S. Cyrillus Hier.*[2]) admonet catechumenos: „Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras, ubi sit dominicum . . . neque ubi sit simpliciter ecclesia, sed ubi sit catholica ecclesia: hoc enim proprium nomen est huius sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est Domini nostri Iesu Christi." Apud *S. Augustin.*[3]) non raro occurrit vox „catholica" sola sine additamento „ecclesia".

b) *Habere debet catholicitatem formalem, id est, membra ecclesiae inter se coniuncta esse debent vinculo interno unitatis symbolicae, liturgicae, hierarchicae; imprimis debet esse unita cum ecclesia Romana.* — Sicut videbimus, Romanus Pontifex tenet primatum

[1]) Ep. ad Sympronian. n. 4; M. 13, 1055.
[2]) Cat. 18, 26; M. 33, 1047.
[3]) E. c. contra epist. Parmen. 2, 13, 28; M. 43, 70.

iurisdictionis ecclesiae Christi, ergo omnis ecclesia, quae gloriatur se esse vere christianam, sequi debet Pontificem Romanum. *S. Hieronymus:*[1]) „Fidem suam quam vocat (Rufinus)? Eamne, qua Romana pollet ecclesia? . . . Si Romanam responderit, ergo catholici sumus." — *S. Ambrosius*[2]) scribit de Satyro fratre suo defuncto: „Advocavit ad se episcopum . . . percontatusque ex eo est, utrumnam cum episcopis catholicis, hoc est cum Romana ecclesia conveniret."

c) Habere debet catholicitatem qualitativam, vi cuius ex tota indole sua nullatenus esse potest ecclesia territorialis, vel stare et cadere debet cum humanitate et condicionibus alicuius saeculi vel aetatis.

d) Controversia est, an et quatenus ei competere debeat catholicitas quantitativa. Aliqui theologi putant hanc catholicitatem non posse esse notam propriam. Nam numerus membrorum dependet a variis circumstantiis et condicionibus historicis plus minusve fortuitis velut a persecutionibus; saeculis primis ex natura rei ecclesia minus late extensa esse et eo ipso pauciora membra habere potuit; similiter res se habeat circa finem mundi, praesertim temporibus Antichristi. Praeterea numerus arte statistica statutus non absolute certus est, praesertim cum singuli coetus religiosi gloriari soleant permultis asseclis et numerum eorum exaggerent. Quare theologi recentiores postulant catholicitatem quantitativam nonnisi moralem, id est ecclesia vera oportet possideat membrorum numerum saltem maiorem quam unaquaeque alia religio christianam se nuncupans, cum antiquiores theologi postulaverint, ut ecclesia vera numero membrorum superet omnes coetus christianos collective sumptos. — De hac quaestione ecclesia nihil dicit; nullibi docet, quatenus catholicitas sit nota ecclesiae vel quae momenta ad eam pertineant. Saltem opus est catholicitate simultanea ea, ut in multis locis et terris sedem stabilem et diuturnam habeat eamque talem et tantam, ut relative facile ab omnibus bona voluntate inquirentibus inveniri possit. Nam α) Christus vocat ecclesiam civitatem super montem positam, quae non possit diu abscondi, sed iam eminus et facile cognoscatur. — β) *Patres* quoque contra Donatistas nominant illam ecclesiam veram, quae longe lateque est diffusa, e. c. *S. Augustinus* provocat Donatistas[3]): „Si . . . vestra est ecclesia catholica, ostendite illam per universam terram ramos suos copia ubertatis extendere." Item[4]) demonstrat, ecclesiam Donatistarum non veram esse posse, quia in sola Africa coarctatur.

e) *Non requiritur* catholicitas extensiva localis nec absoluta nec physica; nam haec tantum successive attingi quit, et ecclesiae propagatio subiacet legibus moralibus. Nec catholicitas temporalis

[1]) Apol. adv. Rufin. 1. l. n. 4; M. 23. 400.
[2]) De exitu fratr. s. Satyri, l. 1, n. 47; M. 16, 1362.
[3]) Cont. Gaudent. l. 2, c. 2; M. 43, 741.
[4]) Ep. 49, 3; M. 33, 190, cfr. Optatus Milev. de schism. Donat. 1, 26; M. 11, 936.

perpetua est criterium, quia haec est res futura, obiectum fidei, sed non res naturaliter certo cognoscenda.

298 Nota. — *Iam Donatistae reprobavere catholicitatem ut criterium ecclesiae, praesertim localem;* citaverunt Lc 12, 32: „Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.“ At S. Augustinus[1]) disserit, numerum bonorum hominum non absolute esse minimum, sed relate ad numerum reproborum: „Ipsi boni verique Christiani per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.“ — Item Lc 18, 8: „Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?“ Ex eo probavere Donatistae, tempore secundi adventus Christi non multos esse futuros Christianos, ergo numerum Christianorum non esse criterium ecclesiae verae. At hic locus nonnisi dicit, sub finem mundi Christianos futuros esse tepidos et lassos, ut legimus (Mt 24, 12): „Refrigescet caritas multorum.“ — *Haec catholicitas localis nec sublata est tempore haereseos Arianae,* cum episcopi plurimi anno 359 in synodo Ariminensi subscripsissent formulae fidei Arianismo faventi. S. Hieronymus[2]) quidem scribit: „Ingemuit totus orbis et Arianum se esse miratus est.“ At hi episcopi non fuerunt nec esse voluerunt Ariani, sed vi imperatoris Constantii coacti et dolo decepti haeresi tantum favisse videntur et brevi post (a. 361) mortem Constantii res Catholica victrix palam triumphavit.

IV. Apostolicitas.

299 1. *Apostolicitas ut proprietas ecclesiae.* — Ecclesia dicitur apostolica, quia ab apostolis fundata est et quia quoad essentialem doctrinam, cultum et statum eadem semper mansit. Sed eiusmodi apostolicitas non est nota ecclesiae, quia omnes haereses iactant conversationem purae doctrinae apostolicae.

2. *Apostolicitas ut nota ecclesiae.* — Omnis ecclesia, quae vult esse vera, debet habere apostolicitatem materialem et formalem.

a) *Apostolicitas materialis* in eo consistit, quod ecclesia quaedam sit mediate vel immediate ab apostolis fundata et cum apostolis sit coniuncta per successionem episcoporum non interruptam. Iam Tertullianus[3]) haereticos provocat: „Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.“ — Item S. Irenaeus.[4])

b) *Apostolicitas formalis est,* si episcoporum ab apostolis successio est legitima. Quia Pontifex Romanus est successor legitimus S. Petri, capitis apostolorum, debet omnis ecclesia, quae veram se dicit, coniuncta esse cum ecclesia Romana, quae antiquitus vocatur „Sedes Apostolica“ *κ. ε.* Iam *S. Cyprianus*[5]) scribit: Communicare cum Pontifice Romano Cornelio „hoc est cum catholica ecclesia communicare.“ — *S. Ambrosius:*[6]) „Ubi Petrus, ibi ecclesia“. —

[1]) Cont. Crescon. 3, 66, 75; M. 43, 537.
[2]) Adv. Lucifer. 19; M. 23, 172.
[3]) De praescript. 32; M. 2, 44.
[4]) 3, 3, 1; M. 7, 848.
[5]) Ep. 52, 1; M. 3, 763; cfr. de unit. eccl. n. 4; M. 4, 500.
[6]) In ps. 40, n. 30; M. 14, 1134.

S. Hieronymus[1]) scribit papae Damaso: „Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est cathedrae Petri, communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est . . . Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est."

Cfr. *Bellarmin*, l. 4. — *Regnier*, l. c. sectio 2. — *Lessius:* Quae fides et religio sit capessenda? — *Hettinger*, II, § 7 ss. — *Heinrich*, I, § 51. — *Pilgram*, l. c. pars 2. — *Denzinger*, Kritik der Vorlesungen des Herrn Professors Thiersch über Catholizismus und Protestantismus 1847, pars 1, c. 1. — *Möhler*, Die Einheit der Kirche, ed. 2, 1843. — *Kaufmann J. M.*, Die Einheit, Katholizität und Apostolizität der Kirche, 1858. — *Kagerer*, Die Heiligkeit der christl. Kirche, 1859. — *Soeder*, Der Begriff der Katholizität, 1881. — *Stoeckl*, § 25. — *Doellinger*, Christentum und Kirche, 1860, p. 218 ss. — *Schanz*, III, 85 ss. — *Wilmers*, 478 ss. — *Gatti*, III, 444 ss. — *de Groot*, qu. 5. — *Palmieri*, l. c. § 21 ss. — *Specht*, § 30 ss. *Idem*, Die Einheit der Kirche nach dem heiligen Augustin, 1885. — *Straub*, II, c. 7 s.

§ 6. Ecclesiae Romano-catholicae competunt omnes condiciones et notae verae ecclesiae et verae religionis.

I. Ecclesiae huic attribuenda est nota unitatis.

300 In ecclesia Romana videmus revera unitatem symbolicam, liturgicam et hierarchicam, sicut patet ex symbolis fidei, ex liturgia et ex oboedientia omnium Catholicorum in Pontificem Romanum. Haec unitas non solum est unitas facti, unitas fortuita, sed unitas iuris et necessaria, oritur ex constitutione interna ecclesiae catholicae. Omnia membra eius debent submissi esse regimini episcoporum et per episcopos regimini Summi Pontificis, et simulatque se separant ab hac auctoritate, discesserunt ab ecclesia. Ex hac unitate hierarchica reali ecclesiae catholicae necessario sequitur unitas symbolica et liturgica. Ergo ecclesia catholica gaudet reapse summa et singulari unitate facti et iuris.

II. Ecclesia Romana demonstrat notam sanctitatis.

301 1. *In eadem inveniuntur semper viri et mulieres vita sancta eximii*, quorum sanctitas etiam a iudicibus morum acatholicis rigorosissimis agnosci debet. — Surgunt *ordines religiosi* per omnia saecula novi vel ordines antiqui regenerantur et per hos vita christiana semper denuo reflorescit.[2]) — Ecclesia catholica praesertim *versatur in omni genere caritatis proximi christianae;* eius hospitalia, orphanotrophia, nosocomia etc iam diu ubique locorum floruerunt, priusquam Acatholicis in mentem venit, eiusmodi instituta condere; atque etiam hodie competunt ecclesiae catholicae quoad opera cari-

[1]) Ep. 15, n. 2; M. 22, 355.

[2]) *v. Hammerstein*, Das kathol. Ordenswesen, 1896. — *Braunsberger*, Rückblick auf das kath. Ordenswesen im19. Jahrh. 1901. — *Harnack Ad.*,Das Mönchtum ed 4. 1895.

tatis proximi primae partes.[1]) Atqui „in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem" (Io 13, 35). — Non minus vigent *missiones ad propagationem fidei* et infideles convertendos per totum orbem dispersae; non raro etiam ab Acatholicis dexteritas, labor indefessus, animus fortis et invictus, devotio, virtus, innocentia ac probitas missionariorum catholicorum summis laudibus extolluntur.

2. *In ecclesia catholica continuo apparent signa stupenda*, quae etiam critica acerrima non potest probare ut opera a viribus naturalibus vel fraude producta. In multis sacris locis peregrinationibus fidelium frequentatis vel coram imaginibus thaumaturgicis morbi sanantur, preces devotae exaudiuntur modo extraordinario et nobis incomprehensibili. Permulta eiusmodi facta, praesertim illa, quae in Lourdes contigerunt, evenerunt coram plurimis testibus fidei indubiae, et etiam a medicis, inter quos non pauci acatholici et extranei, ut supernaturalia designata sunt.[2]) Licet non omnes hi eventus miracula stricta sint, tamen naturaliter declarari non potest, cur sola in ecclesia catholica res eiusmodi eveniant.

3. Haec sanctitas excellens multorum membrorum ecclesiae et haec facta extraordinaria elucent praesertim *in processibus beatificationis et canonisationis Sanctorum.* Fere quotannis[3]) Sedes Apostolica inserit viros et mulieres in catologum Sanctorum vel Beatorum, quorum virtus et iustitia eminens luce clarior est, cum vita eorum tota accuratissime perlustretur, an reapse splenduerint virtutibus heroicis, an non appareant, nedum peccata gravia et vitia, tamen saltem defectus et imperfectiones leves. Pariter eorum facta et signa examinantur cum tanta cura et rigore, per theologos, medicos et physicos, ut nemo sanae mentis dubitare possit, quin miracula ab ecclesia ut genuina admissa profecto propria miracula sint. Omnes hi processus iudicales aguntur coram plurimis testibus, actus scripti propalantur ab unoquoque pervestigandi; at nemo conatur probare, ecclesiam in iudicandis eiusmodi factis se decepisse.

---

[1]) Quantopere exerceantur opera caritatis in sola urbe Viennae, cfr *Pesch H.*, Die Wohltätigkeitsanstalten der christl. Barmherzigkeit in Wien 1891. — Cfr. *Ratzinger*, Gesch. der kirchl. Armenpflege, ed. 2, 1884.

[2]) Cfr. *G. Bertrin*, Histoire critique des événements de Lourdes. Paris edd. plus quam 30. ex an. 1904. Ibi legimus, non solum surdos, claudos, caecos, sed etiam phtisicos copiosos et infirmos, quorum facies cancro et lupo dilacerata erat, sanatos esse; item quotannis 100, 200 vel plus sanationes per notarios publice confirmari.— In Oostacker in Belgio coram imagine B. M. V. de Lourdes 7. April. 1875 Petrus de Rudder subito ex precibus suis restitutus est sanitati nullo alio remedio adhibito. Ei anno 1867 crus sinistrum dupliciter confractum et conquassatum erat, et complures medici hoc malum incurabile declaraverant; sanatus vixit adhuc 23 annos bene valens et obiit 1898. (Cfr. Bertrin, part. 2, chap. 2. I.)

[3]) Cfr. *Seeböck*, Die Herrlichkeit der kath. Kirche in ihren Heiligen und Seligen des 19. Jahrh. 1900.

III. Ecclesia Romana revera gaudet nota catholicitatis.

302 Imprimis *dicitur communiter catholica*, cum aliae religiones et sectae christianae secundum nomen fundatoris nuncupari soleant. — *Habet catholicitatem internam seu qualitativam;* nam ratione suae constitutionis et organisationis non potest esse religio territorialis seu certae regionis vel civitatis, quia caput eius visibile, Pontifex Romanus, stat super omnes principes et terras. Sicut historia probat, apta est ad omnia genera hominum, ad omnia tempora, ad omnes status cultus humanitatisque etiam futuros, ut in Corollario fusius disseremus. — *Item ei attribuenda est catholicitas extensiva tum moralis tum relativa*, nam numerat circa 265 milliones filiorum, a quo numero certe tum Protestantes tum Catholici Schismatici orientales longe absunt.[1]) Certe superat ecclesia Romana numero membrorum longe numerum uniuscuiusque ecclesiae christianae. *Accedit, quod Catholici sunt veri Christiani*, omnes saltem sacramento baptismi corpori mystico Christi inserti. Iidem ex parte longe maxima sunt genuini discipuli Christi, firmiter tenentes fidem, etsi fere ubique terrarum ob religionem suam plus minusve ludibria, incommoda, persecutiones pati debent. Sed in his omnibus ecclesia catholica in dies crescit et numerat et lucrifacit asseclas in cunctis mundi partibus. Saeculo 19. elapso permulta millia Acatholicorum ad ecclesiam catholicam transierunt, inter quos non pauci ex familiis regiis et illustribus exorti, docti, poëtae, litterati, artifices valde eximii, in Anglia praesertim theologi protestantici egregii.[2]) — Ipsis diebus nostris personae quaeque illustrissimae, auctoritate ac scientia excellentissimae, in quantum religionem magni aestimant,

---

[1]) Kirchenlexikon de Wetzer etc. 2 ed. t. 7 p. 526 ss. — Cfr. *Werner O.*, Kathol. Kirchenatlas Freiburg 1888. — *Hettinger*, l. c. — *H. A. Krose S. J.* (Stimmen aus M. Laach 65, 1903, 205 s; cfr. Osservatore Romano 1922, 29 marzo) numerat pro praesenti tempore 264 milliones Catholicorum, 166 m. Protestantium, 117 m. Schismaticorum orientalium. Hoc numero religio catholica est religio extensissima omnium religionum totius terrae; proxime venit Confucianismus habens 235 m. (Krose l. c. 205).

[2]) Cfr. *Rosenthal* (Konvertitenbilder aus dem 19. Jahrh. ed. 3. 1899—1902, 6 tomi cum 2 supplem.), agit de plurimis conversis Germaniae, Angliae, Franciae, Americae, Russiae, inter quos plurimi ex domibus principalibus et nobilissimis. — *Zahn Ad.* (Abriss einer Geschichte der Evangel. Kirche im britischen Weltreich im 19. Jahrh. 1891). Is (Protestans) inter alia scribit, unico anno 1886 personas 1051 in Anglia non raro ex generibus nobilibus natos, ad sinum ecclesiae revertisse (p. 55. cfr. p. 50 ss, 136. — Cfr. *P. Thureau-Dangin*, La renaissance catholique en Angleterre au XIX siècle. Paris 1903. — *Nippold Friedr.*, (Kleine Schriften zur inneren Geschichte des Katholizismus, t. 1. 1899. p. 209 ss) enumerat plurimos conversos saeculi 19.: principes, nobiles, artifices, litteratos, poëtas, dominas illustres; p. 232. scribit, ipse Protestans: „Aus keinem Stande haben sich die katholischen Konvertiten so rekrutiert als aus dem höchsten und hohen Adel"; p. 258. A. dicit, nunc inter nobilissimos totas familias stricte catholicas esse quarum maiores olim fulcimenta Protestantismi erant; p. 253. denotat, fere omnes illos theologos protestanticos, qui excitationem et revivificationem orthodoxiae protestanticae modernae effecerunt, inter discipulos suos etiam tales educasse, qui ad ecclesiam catholicam se converterunt.

pertinent ad ecclesiam catholicam vel ei appropinquant vel saltem de ea bene iudicant.[1]) — Non raro ad Catholicismum redeunt homines in articulo mortis constituti, nemo autem moriturus unquam ab eo apostatavit ad Protestantismum etc. *Franz Delitzsch*,[2]) theologus protestanticus primae notae, pulchre scribens, apologiam pro Christianismo meliorem non esse nisi lectulum mortis, eo ipso, etsi invitus, testimonium pro veritate Catholicismi perhibet.

IV. Ecclesia Romano-catholica est aposto- 303
lica. — Habet enim *apostolicitatem materialem*, quia episcopi linea non interrupta ab apostolis oriuntur; item *apostolicitatem formalem*, quia caput eius, Summus Pontifex, est legitimus successor S. Petri, capitis et principis apostolorum. Ex temporibus antiquissimis dicitur „Sedes Apostolica" *κ. ε.*

Corollarium. — *Praerogativa praecipua ecclesiae ca-* 304
tholicae etiam in eo posita est, quod permulta conduxit et conducere quit pro cultu humanitateque civili seu naturali bono populorum. 1. Quoad tempora praeterita: a) *Abstulit sexcentas superstitiones*, abominationes immanitatesque, *quas secum tulit Paganismus*, et quae inter gentes non christianas adhuc hodie plus minusve vigent. — b) Amovit servitutem, restituit infimis, mulieribus et parvulis iura sua naturalia. — c) Superavit particularismum et nationalismum angustum limitatumque Iudaismi et Paganismi, munivit vias universalismo, qui omnes homines considerat et tractat ut filios unius Patris caelestis, inter se pares et praedestinatos ad salutem unam aeternam. — d) *Cultura alta imbuit populos omnes Germanicos*, Slavicos, Ungaricos, permultos Asiaticos, Africanos et

[1]) Nota sunt verba *de Moltke*, illius ducis praeclarissimi: „Katholisch müssen wir Protestanten doch alle einmal wieder werden" (cfr Hefte zur Christlichen Welt, 1897. n. 28. p. 22). — *Mittelstaedt Otto*, iurista protestanticus eximius, scribit (Vor der Fluth, ed. 3—4, 1897, p. 101): „Das historisch gewordene Christentum vermag ich aber einzig und allein in der Gestalt der römisch-katholischen Kirche wieder zu erkennen; denn hier allein finde ich geschichtlichen Zusammenhang, die Kontinuität lebendiger Tradition, stetige bis zum unfehlbaren Papste und seiner Stellvertretung Gottes folgerichtig durchgeführte Entwicklung der Christologie." Ibidem vocat historiam ecclesiae protestanticae historiam pugnae et reactionis contra Christianismum historicum. Pag 104 s explicat, ecclesiam catholicam nostri temporis vim vitae improvisam atque inopinatam ostendisse et ostendere, et in hodierna dissolutione rerum omnium cultum catholicum ex sua traditione et historia singulari atque ex substantia sua dogmatica firmissima manifestare potentem vim attrahendi omnes animos, qui sitiunt pacem salutemque internam atque religionis stabile fundamentum. — *Paulsen*, philosophus protestanticus praestantissimus, ait (Philosophia militans, 1901, 65—67): „Der Katholizismus hat sich diesem Ziele (eine geistige Weltherrschaft anzustreben) in einem Masse genähert, wie es noch vor einem Menschenalter der Welt völlig unglaublich erschienen wäre." „Die Aussichten für den Katholizismus und seine Philosophie scheinen günstig genug zu liegen." „Bis in die Kreise der nationalliberalen Politiker geht jetzt die Sehnsucht nach Anlehnung an die Macht der unfehlbaren Kirche." „Kein Zweifel, daß dies (die moderne Ideenlosigkeit) die rechte Gemütsdisposition ist, katholisch zu werden." Putat, fortasse ipsum Nietzsche Canossam vel Lourdes iturum fuisse, si posteriores dies vidisset.

[2]) System der Apologetik, 1869, 499.

Americanos, qui sine ecclesia auctore vel adiutrice vix vel saltem multo posterius, lentius et imperfectius a barbarismo se elevassent. Non catholica ecclesia, sed alii arguendi sunt eo, quod adhuc sunt plurimae gentes rudes. — e) *Nationes christianas praeservavit a dominio absoluto tyrannico regiminis civilis*, tutata est dignitatem personalem hominum veramque libertatem conscientiae; libertatem cogitandi, sentiendi et agendi omnino illimitatam admittere non potuit, quia talis in se absurda et immoralis est. — f) *Promovit litteras bonasque artes* instituendo Universitates aliasque scholas pro doctis et plebe vulgari. — g) *Opera caritatis omnimodo exercuit* condendo, fundando, adiuvando nosocomia, orphanotrophia aliaque similia instituta. — h) *Procuravit*, quantum fieri potuit, *operariis, rusticis omnibusque condicionis humilis omnia ad vitam satis humanam degendam necessaria;* sicut historia medii aevi ostendit, tunc eiusmodi hominum classes quoad multa humanius tractati sunt quam hodie. — *Omnia haec bona cultui humanitatique utilissima produxit Catholicismus proprie dictus*, non Christianismus abstractus seu in se solo consideratus; nam Christianismus in concreto nihil aliud est nisi Catholicismus; praeterea Protestantes, asserentes iam immediate post tempora apostolica Christianismum perversum esse in Catholicismum, eo ipso debent concedere, Catholicismum ut talem peperisse culturam novam eamque perfectissimam.[1]) *Varii abusus annorum praeteritorum* praesertim medii aevi velut combustio sagarum *non prodeunt ex principiis catholicis*, sed fuerunt nonnisi apparitiones temporis sui et status rerum socialium et politicarum tunc existentis, quare non minus, immo fortasse magis, inveniuntur apud Protestantes quam apud Catholicos. Catholicismus non est idem ac populi, principes, papae, episcopi et catholici, qui principia catholica practice adhibent; non est idem cum rebus et statibus alicuius temporis inter Catholicos valentibus; hae personae et hi status veniunt et decedunt et mutantur, principia autem

[1]) Revera etiam *Harnack* fatetur (Wesen des Christent. 154): „Was hat die römisch-katholische Kirche geleistet? Nun zunächst — sie hat die romanisch-germanischen Völker erzogen und zwar in einem anderen Sinn als die östliche Kirche die Griechen, Slaven und Orientalen. Mag auch die ursprüngliche Anlage, mögen elementare und geschichtliche Verhältnisse jene Völker begünstigt und ihren Aufstieg mitbewirkt haben, das Verdienst der Kirche wird darum nicht geringer. Sie hat den jugendlichen Nationen die christliche Kultur gebracht, und nicht nur einmal gebracht, um sie dann auf der ersten Stufe festzuhalten, — nein, sie hat ihnen etwas Fortbildungsfähiges geschenkt, und sie hat selbst diesen Fortschritt in einem fast tausendjährigen Zeitraum geleitet. Bis zum 14. Jahrhundert ist sie Führerin und Mutter gewesen; sie hat die Ideen gebracht, die Ziele gesetzt und die Kräfte entbunden ... Aber auch dann noch, in dem Zeitraum der letzten 600 Jahre ist sie nicht so zurückgeblieben wie die griechische Kirche ... Zweitens hat diese Kirche in Westeuropa den Gedanken der Selbständigkeit der Religion und der Kirche aufrecht erhalten gegenüber den auch hier nicht fehlenden Ansätzen zur Staatsomnipotenz auf geistigem Gebiete ... Auf dem Boden des Abendlandes ist das anders (als im Orient); das Religiöse und das mit ihm verbundene Sittliche hat sein selbständiges Gebiet und läßt es sich nicht rauben. Das verdanken wir vornehmlich der römischen Kirche." (p. 154.)

catholica semper eadem manent. Si hodie in nonnullis terris catholicis res religiosae, civiles, sociales et culturales non sunt splendidae, sed partim tristes, non culpanda est ecclesia catholica per se ipsa, sed circumstantiae exteriores vel illi populi, quia principia catholica minus sedulo vel recte ad usum praximque vitae induxerunt vel adhuc inducunt. — 2) Quoad tempus quoque praesens et futurum principia catholica et illae vires, quas ecclesia interne continet et quotidie noviter producit, aptae sunt ad 305
culturam amplissimam gignendam atque conservandam. a) *Dogma catholicum nullatenus est contra profectum verum*, immo talem praesupponit et optat, quia secundum doctrinam catholicam fidei veritates salva sua essentia secundum indigentias temporum magis explicari possunt et debent, et quia ecclesia postulat, ut filii sui in dies crescant cognitione, fide, caritate, omnimoda perfectione spirituali. — b) *Institutiones, caeremoniae et leges ecclesiae*, etsi substantialiter sunt semper eaedem, tamen non sunt rigidae, sed *possunt mutari et accommodari indigentiis singularum nationum et temporum;* etiam Harnack confitetur, ecclesiam Romanam habere capacitatem et dexteritatem se applicandi ad rerum progressionem historicam sicut nullam aliam.[1]) — c) Secundum organisationem et finem *ecclesia est institutum per se internationale*, etsi teste historia nullatenus vult supprimere virtutes, qualitates et proprietates bonas nationibus singulis convenientes. — d) Nullam *formam regiminis civilis* ut absolute perfectam vel pro omnibus temporibus et pro omnibus populis unice idoneam confirmavit, nec monarchiam nec oligarchiam nec democratiam nec aristocratiam nec constitutionalismum, sed *stat super omnes hos rerum publicarum status omnesque admittit*, etsi nunquam approbavit, iura humana iuste acquisita violari licere. — e) Illa momenta, quae ad veram culturam mentis et cordis gravissima sunt, scil. *religionem et ethicam, maxime omnium colit et fovet.* — f) *Magni aestimat usum philosophiae*, praescribit ante studium theologiae studium philosophiae. Praeambula fidei servat docetque concordiam inter theologiam et philosophiam. Tuetur et defendit philosophiam perfectissimam, scil. Socraticam (Platonicam, Aristotelicam) a Patribus et Scholasticis eximiis purgatam excultamque. Sic tenet illas ideas philosophicas, quarum cognitio optime satisfacit desideriis animorum et plurimum conducit ad salutem naturalem omnium singulorum et civitatum, scil. propositiones: existit Deus personalis, creator et gubernator mundi, remunerator iustissimus boni et mali; anima est spiritualis, libera, immortalis; praecepta decalogi quasi naturaliter cordibus nostris inscripta sunt observanda etc. Extra ecclesiam catholicam tota fere philosophia immersa est in deismum. pantheismum, materialismum, atheismum, pessimismum,

[1]) „Diese Kirche besitzt in ihrer Organisation eine Fähigkeit, sich dem geschichtlichen Gang der Dinge anzupassen wie keine andere; sie bleibt immer die alte — oder erscheint doch so — und wird immer neu." (Wesen des Christ. 160.)

scepticismum, nihilismum. Haec systemata vacant ideis ad vitam vere humanam degendam idoneis, negant magna ex parte libertatem voluntatis, et consequenter ad vitam practicam adhibitae ducunt ad desperationem vel dissolutionem omnium rerum socialium et
306 politicarum seu absolutam anarchiam.[1]) — g) *Tenet principium auctoritatis maxime necessarium* praesertim nostris diebus, ubi ob studium rerum novarum excessivum totus ordo religiosus, socialis etc subverti videtur. Altera ex parte historia teste *non delet vel arcet individualitatem hominum singulorum*, prout falso accusatur. Inter Catholicos inveniuntur non pauciores viri magni ingenii sequentes et excolentes propriam suam indolem quam alibi. Nonne ecclesia catholica genuit permultos Sanctos, episcopos, theologos, philosophos, historicos, medicos, perscrutatores rerum naturalium, poëtas, artifices, duces, civitatum gubernatores etc, qui erant tum filii eius fidi cum viri characteristici, plebem et coaevos longe superantes et introducentes novam quandam epocham? Econtra auctoritas ecclesiae praeservavit et quotidie praeservat viros ingeniosos ab excessibus periculosis, a nimio subiectivismo, criticismo, immo a scepticismo, agnosticismo et pessimismo. Filii ecclesiae sciunt se esse in vera via salutis, ideo non vexantur scrupulis vel dubiis molestis; sentiunt se filios Dei providentis, gaudent ita animarum tranquillitate valentque uti omnibus viribus suis ad provincias culturales alias excolendas. — h) *Secundum dogma catholicum nullae inventiones scientiarum historicarum vel naturalium contradicere possunt veritatibus fidei;* itaque investigatoribus physicis quit concedere scrutationem illimitatam, dummodo hi ne transgrediantur fines a natura rei positos vel hypothesibus non certe probatis utantur ad maculandam ecclesiae doctrinam. Falsum est dictum rationalisticum:[2]) Perscrutator naturalis catholicus in studiis suis etiam quoad res pure naturales semper debet sequi axioma: salva approbatione Congregationis Indicis. Numquam ecclesia propositiones eiusmodi mere scientificas indubie certas repulit, semper est parata, inventiones practicas ad sua commoda et servitia adhibere.[3]) — i) *Ecclesia*, quantum per leges civiles et res exteriores licet, *ubique terrarum scholas cum vulgares tum Universitates erigit.* — k) Cultus ecclesiae quasi natus est ad *architecturam*, *sculpturam*, *picturam*,

[1]) Perpulchre *Paulsen* (Philos. militans, 67): Ubi, sicut temporibus nostris, desunt certitudo interior cogitandi et credendi vel ideae constantes vitam regentes, ibi ecclesia infallibilis et confessionale ultimum fulcimentum et refugium sunt.

[2]) E. gr. apud *Paulsen*, Philos. milit. 95 s.

[3]) *Non obstat prop. 80. Syllabi*: „Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere." Progressus et civilitas hic repulsa non est verus progressus, sed ille, qui favet atheismo, materialismo, rationalismo seu falso liberalismo. — *Item non obstat reiectio sententiae Galilaei dicentis, terram se movere.* Sicut ostendit Linsmeier (Natur und Offenbarung, 1895. 155 ss), tunc temporis (a. 1616) rationes a Galilaeo pro sua nova doctrina in medium prolatae tam insufficientes erant, ut secundum statum scientiae naturalis illius temporis non esset, quare ecclesia a sensu litterali Scripturae recederet.

poësim, musicam aliasque artes ingenuas fovendas. — l) *Enixe poscit, ut operarii communes tractentur tamquam homines*, eorum iura **307** serventur ipsique satis mercedis aliorumque remediorum recipiant ad vitam honestam atque humanam cum suis vivendam.[1]) — m) Ecclesia, quamquam sequitur illud Christi (Mt 6, 33): „Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius," tamen non *prohibet licite procurare emolumenta huius mundi*, praesertim cum eiusmodi bonis indigeat ad pauperes sublevandos, artes liberales promovendas, cultum divinum exornandum, regnum Dei dilatandum. *Tuetur possessionem rerum propriam privatamque*, tolerat quoque vitam communem vel societates atque confoederationes multarum personarum ad commoda maiora materialia et spiritualia facilius assequenda. — n) *Per sacerdotium et ordines regulares* ex sinu suo producit continuo novas legiones virorum et mulierum, qui idonei sunt et parati ad humani generis progressionem religiosam, intellectualem, ethicam, aestheticam et socialem assidue promovendam. Ipsum studium theologiae catholicae praesupponit cognitionem non parvam philologiae, philosophiae, historiae et rerum naturalium. — o) Quantopere et quali cum effectu ecclesia catholica sollicita sit de cultu humanitateque fovenda et amplianda, liquet potissimum *ex missionibus suis ad Paganos convertendos;* hae sunt multo antiquiores, copiosiores et praesertim fructuosiores quam missiones Protestantium, sicut neminem fallit.

Ex praefatis evidenter liquet, *Catholicismum* Romanum esse **308** formam unice veram ecclesiae christianae et eo ipso religionis verae. Item patet, eundem *plene et largiter habere omnes condiciones et momenta a religione vera supra* (n 24 ss) *requisita*, scil. dogma, ethos et symbolum (cultum) rationi consonum; is respicit etiam ad sensus et affectus cordis, complectitur tum totum hominem cum corpore et anima tum societatem universalem. Accedit, quod omnia, quae supra (n 249 ss) diximus de excellentia interna religionis christianae in abstracto, de eius doctrina theoretica et practica, de eius ethica et cultu, de eius cura pro salute naturali humani generis, de eius potentia se applicandi ad res et indigentias omnium populorum et temporum, sumpta sunt de ecclesia Romano-catholica in concreto.

Cfr. *Bellarmin*, l. c. — *Regnier*, sect. 2. — *Denzinger*, Kritik etc, l. c. — *Hettinger*, II. 88 ss. — *Gutberlet*, II. 261 ss. — *Schanz*, III. 91 ss. — *Wilmers*, 535 ss. — *de Groot*, qu. 6—7. — *v. Hammerstein*, l. c. — *Bougaud*, Die Kirche Jesu Christi, übers. v. Arenberg, 1897. 208—276. — *Ehrhard Alb.*, Der Katholizismus und das 20. Jahrhundert im Lichte der kirchl. Entwicklung der Neuzeit, 1902. 349 ss. — *P. Muck*, Das größte Wunder der Weltgeschichte. Ursprung, Fortbestand, Wirksamkeit und Merkmale der kathol. Kirche. Regensb. 1905. — *Konst. Kempf*, Die Heiligkeit der Kirche im 19. Jahrh. Einsiedeln 1913. — *F. X. Kiefl*, Kathol. Weltanschauung und modernes Denken. Regensburg 1922.

[1]) Cfr. Litt. Encycl. Leonis XIII. de condicione opificum, 15. Maii 1891.

§ 7. Ecclesiis acatholicis non competunt omnes notae ecclesiae verae nec condiciones verae religionis.

I. Ecclesiae schismaticae Graeco-orientales.

309 Hae ecclesiae, scil. Graeca, Russica, Serbica, Rumaenica etc, ecclesia Nestoriana et Monophysitica in Aegypto, Syria, Armenia, Chaldaea etc, habent quidem in genere *unitatem symbolicam et liturgicam, sed non hierarchicam.* Aliud regimen habet ecclesia Russica, aliud Graeca etc, quia sunt ab invicem independentes, sunt ergo ecclesiae nationales; patriarcha Constantinopolit. apud Russos, Bulgaros etc nonnisi primatu honoris gaudet. Quare *non habent catholicitatem extensivam*, non intensivam nec internam[1]) formalemque, quia reprobant primatum Summi Pontificis. Ex eadem ratione *deest eis apostolicitas formalis*, tantum habent apostolicitatem materialem. Loco Romani Pontificis est eis Czar vel rex Graecorum etc papa; episcopi omnino subsunt regimini saeculari; immo patriarchae, metropolitae et episcopi Graeci non erubuerunt sultanum Turcicum vocare „splendorem divinitatis" eumque advocare iudicem in quaestionibus religiosis, e. c. de quaestione, an vino sacrificali etiam aqua admiscenda esset.[2]) — Item *deest nota sanctitatis.* Certe sunt etiam in his ecclesiis viri multi serio studentes vitam agere Deo placentem, e. c. monachi copiosi in monte Athos, qui continuo orationi incumbunt et ascesim externam rigorosissimam sequuntur.[3]) At omnes hae ecclesiae prolapsae sunt in ignorantiam crassam, superstitionem, simoniam, tenent partim sanctificationem per opera legalia solam et mechanismum externum; ex se ipsis non habent vim resurgendi ex hoc statu tristi. Quare steriles sunt quoad praedicationem verbi divini et viros vere sanctos. Ecclesia Russica habet quidem canonisationes, sed Czar sibi ipsi hoc ius reservavit, et certe tum hi sancti, qui partim sunt pseudomystici et hesychastae, tum eorum miracula non starent in processu rigoroso canonisationis in ecclesia Romana praescripto.

---

[1]) *In ecclesia Russica*, maxima et potentissima omnium ecclesiarum schismaticarum, sicut disserit Gehring J. (Die Sekten der russischen Kirche, 1898. 223), nunc sunt c. 20 milliones sectariorum (Rascolniki), id est sexta pars totius populi Russici; iidem magis in dies crescunt, anno 1840, nonnisi 9 milliones erant, 1860. 13 milliones; p. 218; in vico maiore omni saltem 1 vel 2 sectae sedem firmam habent. Hae sectae ob crassam ignorantiam cleri et populi ortae sunt partim ex rationibus ridiculis, e. gr. ex lite, utrum sit pronuntiandum Iissus an Issus (Jesus), vel quoties Halleluia cantandum sit, vel a quo latere baptisterii baptizandus stet, vel quo digito sit formandum signum crucis, vel an barba sit tondenda etc. — Cfr. *Karl Konrad Grass*, Die russischen Sekten. Leipzig 1907, 1914. — *Isid. Silbernagl*, Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients.[2] Regensburg 1904. — *Stef. Zankow*, Die Verwaltung der bulgar. orthodoxen Kirche. Halle 1920.

[2]) Cfr. *Pichler*, Geschichte der kirchl. Trennung zwischen d. Orient und Occident, 1864; I. 448, 457.

[3]) Cfr. *Fallmerayer*, Fragmente aus d. Orient, 1845; II, 103 ss. — *Silbernagl*, Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients, 1904. 50 ss, 79 ss.

Ecclesiae schismaticae orientales, quia non gaudent omnibus notis christianae ecclesiae, eo ipso non sunt formae verae religionis. Nec satisfaciunt plene omnibus condicionibus a religione vera requisitis, sicut sequitur ex dictis; praeter alia deest eis character universalitatis, sunt religiones nationales et territoriales et eo ipso non sunt dignae, quae vocentur religiones omnibus numeris absolutae vel perfectae seu religio vera *κ. ε.*

II. Ecclesia Protestantium.

Ei minime omnium adscribendae sunt notae verae ecclesiae. 310

1. *Non habet unitatem symbolicam nec hierarchicam, ne liturgicam quidem veram.* — Iam anno 1525. scripsit *Lutherus* ipse ad Christianos Antwerpienses: hic non vult habere baptismum, ille negat sacramentum (eucharistiae), tertius ponit mundum inter hunc mundum et diem novissimum, nonnulli docent, Christum non esse Deum, alii aliud docent et fere sunt tot sectae et fides quot capita, unusquisque vult propheta esse, et quidquid quisque somniat, putat provenire de Spiritu S.[1]) — Sicut Protestantes ipsi concedunt,[2]) *Lutherus ipse de fide et iustificatione, doctrina fundamentali protestantica, tam diversa pronuntiavit, ut difficile sit, notionem dogmatice fixam apud eum invenire.* — De confessione Augustana celeberrima ait Alb. Ritschl, theologus Protestantium praeclarus:[3]) *In confessione Augustana,* etsi charactere praecellit litteris privatis Reformatorum, inconsequentia singularum doctrinarum et institutionum manibus capessenda est. — Contradictio ergo sedet iam in scriptis Lutheri etc et in antiquissimis libris symbolicis. Quare Protestantismus brevi in se ipso divisus est. Alius est in Germania, alius in Anglia, alius in Gallia etc, ecclesiae singularum terrarum et nationum inter se nullam connexionem internam habent, immo in se ipsis iterum in permultas sectas et partes discissae sunt. *In civitatibus foederatis Americae septentrionalis* secundum Zahn Ad. Protestantem anno 1889. fuere c. 80 societates protestanticae et sectae inter se diversae et aliae ab aliis independentes, *in sola urbe New-York* c. 26 variae denominationes eiusmodi.[4]) Secundum eundem auctorem *ecclesia Anglica* territorialis ipsa in tres partes divisa est et praeter eam anno 1891 fuerunt plus quam 300 sectae; is enumerat nominatim

---

[1]) *De Wette*, Luthers Briefe, 3. Teil. Berlin 1827. p. 61: „Dieser will keine Taufe haben, jener leugnet das Sakrament, ein anderer setzt noch eine Welt zwischen dieser und dem jüngsten Tage; etliche lehren, Christus sei nicht Gott; etliche sagen dieß, etliche das, und sind schier so viel Sekten u. Glauben als Koepfe; kein Ruelze ist jetzt so grob, wenn ihm etwas traeumt oder dunket, so muss der Heilig Geist ihm eingeben haben, u. will ein Prophet seyn."

[2]) Cfr. *H. Schmidt*, Herzog, Real-Encykl. der protest. Theologie. ed. 2. t. 12. p. 573, 575; et 5, 724.

[3]) L.sc. I. 85.

[4]) Abriss einer Geschichte der Evangel. Kirche in Amerika im 19. Jahrhundert 1889, 31—108, 13.

210 foederationes sui iuris dissentientes.[1]) Similiter tristes sunt res in aliis terris.[2]) *In Germania*, ubi ob protectionem gubernii civilis res relative bonae erant, occurrit nobis nonnisi series magna ecclesiarum et ecclesiolarum territorialium inter se absolute independentium,[3]) quae solo vinculo regiminis saecularis ab aperta dissolutione praeservantur; ceterum ne hic quidem desunt variae sectae. In imperio germanico in numeratione a gubernio civili praescripta 12. Iunii 1907 secundum tabellas officiales numeratae sunt confessiones „evangelicae et aliae christianae" (non catholicae) 236. Hae omnes nominatim indicatae sunt apud Hans Rost.[4]) *In regno parvo Württembergico* numerabat Protestans Palmer Chr.[5]) praeter ecclesiam territorialem undecim sectas et complures similes communitates minoris momenti. — *Protestantes consentiunt fere nonnisi in reiectione ecclesiae catholicae*, sicut iam S. Augustinus[6]) de haereticis sui temporis fatetur: „Dissentiunt inter se, contra unitatem omnes consentiunt." — *Discrepantiae inter theologos spectant non solum ad accidentalia, sed ad ipsos articulos fidei christianae fundamentales*, e. gr. de necessitate baptismi, de divinitate Christi. Homo Protestans potest publice negare resurrectionem mortuorum, vel supernaturalem conceptionem et deitatem Iesu Christi, vel inspirationem divinam Scripturae S.,[7]) attamen quit esse et manere pastor animarum et professor theologiae. Quomodo ecclesia illa potest esse vera ecclesia Christi, quae tolerat publicam et manifestam reiectionem mysterii SS. Trinitatis et fere omnium articulorum symboli apostolici et *sustinet in sinu suo evidentes materialistas, pantheistas vel forte atheistas*?[8]) — Et *hae differentiae in doctrina* ingentes non sunt fortuitae, sed necessario *prodeunt ex principio formali prote-*

[1]) Abriss einer Geschichte der Evangel. Kirche im britischen Weltreich im 19. Jahrhundert 1891, 13, 90 ss.

[2]) Cfr. *Zahn Ad.*, Abriss einer Geschichte der Evangel. Kirche auf dem europäischen Festlande im 19. Jahrhundert, ed. 3. 1893.

[3]) Unio harum ecclesiarum, eo fortius unio ecclesiarum Germanicarum cum ecclesiis Anglicis, Ungaricis etc, eo ipso totalem dissolutionem Protestantismi efficeret, sicut etiam Protestantes concedunt (cfr. Hefte zur Christl. Welt, n. 28. 1897. p. 24; Neue Kirchliche Zeitschrift 1899, 986 ss.)

[4]) Der Protestantismus nach protestantischen Zeugnissen. Paderborn 1920, 218—226.

[5]) Die Gemeinschaften und Sekten Württembergs, Tübingen 1877; cfr. *Dresbach Ew.*, Di protest. Sekten der Gegenwart. Barmen 1888. — *P. Scheurlen*, Die Sekten der Gegenwart.[2] Stuttgart 1921. — *M. Heimbucher*, Methodisten, Adventisten und Neuapostolische Gemeinden.[2] Regensburg 1921.

[6]) Serm. 47, 15, 27; M. 38, 313.

[7]) Cfr. *Hettinger*, Die Krisis des Christentums, 1881. — *Katholik*, 1892. t. 72. II. p. 7 ss. — *Röhm*, Der Protestantismus unserer Tage, 1897, 143 ss. — *Rohnert*, Was lehren die derzeitigen deutschen Professoren der evangel. Theol. über d. Hl. Schrift u. deren Inspiration? Leipzig 1892. — *Zeitschrift* f. kath. Theol. 1901, 452 ss; 1902, 81 ss.

[8]) *Schleiermacher*, qui etiam ab orthodoxis theologis summis laudibus extollitur ut restaurator theologiae protestanticae, fuit pantheista, reprobavit creationem mundi, miracula, inspirationem Scripturae, divinitatem Christi etc, sicut etiam Protestantes concedunt (cfr *Zahn*, Geschichte der evangel. Kirche auf dem europ. Festlande, 12 ss.—

stantico, scil. ex „individualismo religioso" seu principio liberae interpretationis Scripturae S. Hoc πρῶτον ψεῦδος ne admittit quidem ecclesiam, sicut etiam Protestantes sinceri confitentur.[1]) Quare ad Protestantismum spectat illud (Mt 12, 25): „Omne regnum divisum contra se, desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit."

2. *Deest ei nota sanctitatis.* — Certe vivunt etiam inter Pro- 311
testantes personae multae Deo devotae, moribus integrae, viri praestantes pietate, caritate in Deum et proximum, excellentes animo religioso constanti et invicto.[2]) At sanctitatem tam extraordinariam, quam crebro invenimus in Catholicismo, ibi non videmus. *Tersteegen*, Protestans pius 18 saeculi, scripsit librum copiosum: „Vitae selectae sanctarum animarum,"[3]) in quem nullum ex sua confessione assumere potuit, sed nonnisi Catholicos ut S. Franciscum, S. Ioannem de Cruce, S. Theresiam etc. Ad hoc accedit, quod *Protestantes vere virtuosi non facti sunt boni qua Protestantes, sed ob laudabilem inconsequentiam adversus principia suae religionis, eo quod appropinquabant Catholicismo.* Protestantismus genuinus non novit sanctitatem personalem, quia reprobat arbitrium liberum et internam renovationem ex iustificatione factam, sed tantum externam imputationem iustitiae Christi sine vera deletione peccatorum et interna iustitia admittit; item reiicit merita, necessitatem operum bonorum, realitatem consiliorum evangelicorum; non minus reiicit media gravissima sanctitatem promoventia, scil. confessionem sacramentalem, sacrificium, ieiunium, abstinentiam aliaque exercitia as-

---

Strauss, Der alte und der neue Glaube, 1872, 118. — *Protestant. Monatshefte*, 1897, 12 ss; ibidem p. 27, serio celebratur tamquam Sanctus). Schola Schleiermacheriana vel Ritschliana, cuius patronus celeberrimus nunc Harnack Ad. est, et quae in dies magis diffunditur, manifesto reprobat SS. Trinitatem, divinitatem, supernaturalem conceptionem, resurrectionem Christi etc, immo immortalitatem personalem animae, creationem mundi (cfr. *Neue Kirchliche Zeitschrift*, 1897, 8; 1898, 117 ss, 136, 501 ss; 1899, 313 ss). Quare Strauss (l. c. 13 ss) contendit, modernos Protestantes non iam esse Christianos; reapse permulti eorum nonnisi sunt moderni Pagani; quare super omnia colunt Goethe, qui, etsi omnem ecclesiam et confessionem christianam despexit, tamen genuinus christianus fuisse dicitur (cfr. *Protestant. Monatshefte* ,1898, 203 ss; 1899, 375 ss). Cfr. *Cathrein*, Das Heidentum im evang. Deutschland (Theol.-prakt. Quartalschrift, Linz, 1902, 13).

[1]) Cfr. *Paulsen Fr.*, Geschichte des Gelehrten-Unterrichts auf den deutschen Schulen etc. t. 1. 1894. ed. 2. p. 213. A. — *Harnack*, Dogmengeschichte, ed. 4. III. 896 ss.

[2]) Protestantes sinceri non pauci lamentantur, quod inter suos facta est apostasia fere universalis a doctrina et vita vere christiana, et quod passim negligitur lectio biblica, et quod deficit conversatio intima membrorum cum Christo, et quod econtra ubique viget laxismus, corruptela morum, indifferentismus ingens erga omne ecclesiasticum et divinum, negligentia horrenda sacramentorum et praedicationis, cessatio omnis disciplinae ecclesiasticae, pantheismus, deismus, materialismus, rationalismus, quietismus, pseudomysticismus, occultismus etc, et quod theologia re et substantia supernaturali religiosaque fere prorsus destituta omnino depravata est in philosophiam, philologiam et historiam, et quod regimen ecclesiasticum depressum est ad gubernium mere saeculare (cfr. *Mittelstaedt*, l. c. 101 ss. — *Christliche Welt*, 1898, 497 s,1106. — *Zahn*, passim in libris. citatis. —*Oehninger Friedr.*, Prinzip, Beruf und Entartung des Protestantismus, 1881, 32 ss).

[3]) Auserlesene Lebensbeschreibungen heil. Seelen, 1733—1753.

ceseos.[1]) — Praeterea non dat illam infallibilem fidei certitudinem, quae necessaria est ad aedem perfectionis et sanctitatis in se ipsa stabiliendam. *Inter Pietistas* etc occurunt nobis nonnullae personae filialiter piae, internae, purae, heroicae, perfectionem et sanctitatem studiose petentes, quae vere sanctae factae essent, si vixissent in ecclesia catholica et ita habuissent claram et certam normam credendi, gubernationem animarum prudentem et bene ordinatam, media salutis catholica uberrima et efficacissima. At in Protestantismo non potuerunt superare dubitationes suas nec scrupulos, immo pervenerunt ad ineptias et excessus periculosos. Ipsi hi effecerunt multum ad Protestantismum in sectas innumerabiles dissolvendas, cum econtra Sancti catholici ad religionem catholicam propagandam, conservandam, promovendam et renovandam plurimum conduxerint. *De Spenero*, illo pio patrono Pietistarum inter Lutheranos praecipuo, ait Alb. Ritschl Protestans:[2]) „Usque ad hodiernum diem controversia est, utrum sit putandus reformator an deformator ecclesiae; nam ipse aperuit ecclesiam sexcentis fanaticis et enthusiasticis motibus." — *Miracula propria* etc a rerum peritis examinata et approbata, sicut in ecclesia catholica fit, inter Protestantes non videmus; econtra excessus multos non naturales nec christianos nec evangelicos pseudomysticismi, spiritismi etc.

312 3. *Protestantismus non est catholicus.* — Ob defectum unitatis formalis *deest catholicitas omnis tum iuris tum facti.* Ecclesia protestantica tantum est congeries ecclesiarum et hominum Lutheranorum, Calvinistarum etc orthodoxorum, Pietistarum, Pantheistarum, Theistarum, Deistarum, Rationalistarum, Materialistarum, baptizatorum et non baptizatorum, qui fere nil commune habent nisi reprobationem ecclesiae catholicae. Quia reiicit fere omnem cultum externum, non est apta religio omnibus, e. c. non convenit populis meridionalibus nec orientalibus, quare inter hos fere nulla membra numerat. *Caret ergo etiam vera catholicitate exteriore locali*, etsi multa centena milia hominum suos dicit. Prorsus *deest catholicitas temporalis*, quia ante Lutherum non exstitit. Etiam Pro-

---

[1]) *Zöckler Otto*, Protestans (Askese u. Mönchtum, 1897), non potest non confiteri, *ascesim* esse communiter humanam et plus minusve omnes religiones et cultus religiosos perpenetrare (p. 3): „Die Askese ist etwas gemeinmenschliches, sie durchdringt als ein bald schwächer, bald stärker auftretendes Ingredienz alle Religionen und religiösen Kulturen." Item concedit, etiam Scripturam et antiquitatem christianam iam ex temporibus apostolicis plus minusve nosse ascesim eamque commendare (p. 139 ss). Verumtamen vituperare non audet Pseudoreformatores omnemque Protestantismum, qui ubique terrarum exercitia ascetica et eo ipso monachatum reiecere ut res saltem superfluas (p. 558 ss, 628 ss).

[2]) L. c. II. 125 s, 183. „Es ist jedoch bis auf den heutigen Tag streitig, inwieweit er als Reformator oder als Deformator der Kirche zu achten ist." „Ist das nicht ein eklatanter Fall der vorsätzlichen Nichtunterscheidung fremder Lehrweise von der kirchlichen, durch welche Spener die lutherische Kirche allen möglichen fanatischen und enthusiastischen Bewegungen geöffnet hat?" — Cfr. *Werner Mahrholz*, Der deutsche Pietismus. Berlin 1921.

testantes possunt interrogari sicut Gnostici eis similes:[1]) „Quis estis? Quando et unde venistis?“ Venere sicut Gnostici nonnisi ex apostasia ab ecclesia catholica, cum secundum voluntatem Christi ecclesia se constituere debeat ex conversione Iudaeorum et Gentium, sicut reapse id factum est in fundatione ecclesiae catholicae.

4. *Deest omnis apostolicitas* tum materialis tum formalis. Reiiciunt episcopatum et eo ipso successionem apostolicam episcoporum. Anglicani quidem retinent episcopos, at eorum ordinationes nullae sunt, ut decidit Leo XIII. 13. Sept. 1896. Eo fortius desideratur apostolicitas formalis, quia Protestantes non agnoscunt Romanum Pontificem, successorem S. Petri.

N o t a. — *Coetus Protestantium vel ecclesiae orientales schismaticae ne partes seu* 313
rami quidem verae ecclesiae Christi designari possunt, sicut inter alios praesertim Thiersch[2]) falso censet. Ecclesia Christi tantum una est eaque est ecclesia Romano-catholica, ut ostendimus; omnes aliae ecclesiae non sunt genuina ecclesia Christi et eo ipso non partes eius, quia falsum non est pars veri.

Pius IX. 16. Sept. 1864 (Denz. 1685 s) damnavit opinionem, praesertim in Anglia propagatam, „tres christianas communiones, romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare.“ Nam „nec alia est ecclesia catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit.“

C o r o l l a r i u m I. — *Ex Protestantismi ortu, propagatione* 314
celeri, conservatione diuturna, ex gradu alto civilitatis populorum protestantium non sequitur, ipsum esse formam christianae religionis veram vel meliorem quam Catholicismum, sicut saepe falso contenditur.

1. *Ortus et diffusio rapida Protestantismi non est testimonium pro eius interna veritate.* — a) *Non apparuere miracula vel* alia signa stupenda. — b) *Vita Reformatorum* velut Lutheri, Zwinglii, Calvini, *maculis moralibus non paucis nec levibus foedata est.* — c) *Sufficientes fuerunt factores mere naturales tunc temporis simul convenientes:* α) Reformatores, praesertim Lutherus, erant viri populares verbis, scriptis operibusque energici. — β) Iam ex annis plus quam centum antea gemuit totus christianus occidens reformationem in capite et membris; Lutherus talem patrare visus est, quare permulti ei applauserunt, primo etiam non pauci eorum, qui erant et manebant filii fidi ecclesiae catholicae. — γ) Abusus graves paulatim irrepserant in ecclesiam; Lutherus retinens nonnisi fidem, biblium cultumque simplicem visus est restituere res simpliciores temporum apostolicorum. — δ) Iam ante Lutherum in ecclesia excitatus erat spiritus quidam religiosi individualismi et subiectivismi excessivi, sicut elucet praesertim ex Husitismo, Wiclefismo; huic spiritui Lutherus pronuntians liberam expositionem Scripturae portas et ianuas aperuit. — ε) Illo tempore diffusa erat magna corruptela morum intra clerum saecularem, regularem et laicos; Lutherus promisit vitam licentiorem, ab observatione votorum, praeceptorum

[1]) Tertullian. de praescript. 37; M. 2, 51.
[2]) L. c. I. 138 ss.

divinorum et humanorum liberam.[1]) — ζ) Res culturales tunc aliae factae erant atque medio aevo; novitas rerum oeconomicarum, iuridicarum, intellectualium, aestheticarum, socialium et politicarum valde favit motibus novis religiosis; per typographiam antea inventam libelli Reformatorum in lingua vernacula scripti copiosi passim propagari poterant. — η) Lutherus blanditus est nationalismo Germanorum tunc non paulum contra Romanos iratorum: ex odio Romanorum facile secutum est taedium in ecclesiam Romanam seu catholicam. — ϑ) Principes saeculares Germanici et urbes maiores voluere se emancipare ab imperatore Romano et in hoc adiuti sunt a pseudoreformatione, quae eis dedit regimen absolutum etiam quoad res religiosas. Praeterea eis tradita sunt omnia bona temporalia ecclesiae, quare fere omnes protexerunt motus novos, immo non raro subditos suos invitos per vim a fide antiqua amoverunt.[2]) Ubi haec fulcimenta per brachium saeculare defuerunt, vel ubi novatores obstacula invenerunt, fere nullos progressus fecerunt. — Haec dicta momenta pure naturalia per se sufficientia erant, totum Catholicismum subvertere, attamen pars longe maior Europae in eius sinu permansit et adhuc permanet; ne populos Germanicos quidem prorsus ad se trahere potuit Protestantismus, adhuc hodie sunt circa 40 milliones Germanorum catholicorum. Ex eo ipso, quod ecclesia catholica Protestantismo non succubuit, manifesto sequitur eius auctoritas, constantia et firmitas divinitus data. Hoc ostendunt ipsa tempora nostra et motus novissimi politici, sociales etc post bellum internationale exorti. Ecclesia catholica stat multo quietius et fortius quam Protestantismus; ab hoc se separant membra longe plura quam ab illa. Status civiles fere omnes amicitiam cum Sede Apostolica petunt.]

315 2. *Conservatio per saecula fere quattuor non est nota divinae protectionis specialis.* — a) *Diuturnitas alicuius religionis non est per se criterium, eam esse veram.* Arianismus perstitit 3 saecula, Nestorianismus et Monophysitismus plus quam 14, Mohammedanismus plus quam 12 saecula, Paganismus per millenaria, verumtamen sunt religiones falsae, id quod etiam Protestantes orthodoxi concedunt. — b) Protestantismus, sicut ipsum nomen designat, per se est anticatholicus, et ideo, etsi formae hodierni Protestantismi evanuerint, aliquo modo perdurabit, quamdiu erunt anticatholici. Si non per regimen saeculare artificiose conservatum esset, iam diu se dissolvisset in sectas, partes et atomos multo plures quam revera iam sunt.

---

[1]) Ipse *Fridericus Magnus, rex Borrussiae,* scribit (Memoires de Brandenbourg, tom. I. Berlin 1767. p. 40): „Si donc on veut réduire les causes de la Reforme à des principes simples, on verra, qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intérêt, et Angleterre celui de l'amour, et en France celui de la nouveauté ou peut-être d' une chanson."

[2]) Etiam *Chamberlain* Protestans (l. c. II. 577, 840, 845) ait, Reformationem saltem dimidiatam fuisse motum politicum, et Lutherum fuisse virum multo magis politicum quam religiosum.

Orthodoxi Protestantes seu genuini Lutherani non iam multi sunt. Protestantismus per se non est religio vel ecclesia in se clausa, sed dumtaxat denominatio externa omnium illorum occidentalium, qui christiano nomine adhuc gloriantur vel gloriari cupiunt simulque protestantur contra ecclesiam catholicam, etsi sunt fortasse non baptizati, sed pantheistae, rationalistae, deistae, materialistae notorii; omnes hi antichristiani, antireligiosi, antitheistae consentiunt in reiectione ecclesiae catholicae, et eatenus sunt Protestantes, et reapse permulta millia eorum in tabellis religionum publicis numerantur ut Protestantes et qua tales tractantur, quamdiu adhuc mos viget, ut homo saltem quoad forum externum alicui confessioni christianae adhaereat.[1])

3. *Status culturae populorum protestantium non ostendit, illam* **316** *esse religionem catholica superiorem.* — a) *Ex gradu alto culturae exterioris, quem aliquis populus prae se fert, non liquet eius religionem esse veram.* Antiqui Aegyptii, Babylonii, Graeci et Romani divitiis, artibus ingenuis et mechanicis, vi armorum etc valde vicerunt Israelitas, verumtamen religio eorum toto caelo fuit inferior quam Israelitica. Christus iteratis vicibus vae exclamavit locupletibus. Si fortunae essent criterium veritatis religionis eorum, qui eas possident, esset Iudaismus modernus religio perfectissima, quia Iudaei habent plurima bona temporalia. — b) *Aetas illa, quae produxit culturam hodiernam amplissimam, non ab Reformatione initium sumpsit.* Iam multo ante floruit humanismus, qui coluit studium antiquorum classicorum; factae sunt inventiones et detectiones gravissimae, quae introduxerunt novam epocham culturae, praesertim

[1]) Protestantismus modernus simillimus est Paganismo imperii Romani antiqui; sicut hic continuit permultas formas et sectas religiosas et philosophicas, quae inter se valde differebant, sed omnes in respuendo Christianismo consentiebant, ita Protestantismus contra Catholicismum; sicut hic nonnisi per gubernium civile aliquatenus conglutinatus erat, sic et ille; sicut hic protegebatur et promovebatur per filios, amicos et grandes huius mundi, sic et ille; sicut hic omne studium et laborem mediaque etiam immoralia adhibebat ad dominium suum retinendum, ita et ille; sicut hic fabulis et mythis suis sensum meliorem supponebat, ita et ille partim doctrinam suam in scriptis Reformatorum et in libris symbolicis indubie contentam in sensu Scripturae conformiore exponit (ipsum nomen „protestanticus", quod male sonat et meram negationem exprimit, submovere studet per nomen „evangelicus"); sicut hic internam nuditatem conabatur occultare et supplere per exteriorem speciem et gloriationem et ostentationem, similiter ille; sicut hic provocabat brachium saeculare dicens, per Christianismum esse imperium Romanum in periculo, vel Christianos esse per se patriae inimicissimos, pariter ille quoad Catholicismum; sicut hic, etsi interna vis et res penitus exhausta erat, etiam per complura saecula perdurabat, sic fortasse et ille: quam diu ut religionis forma exterior permansura sit, solus Deus scit. Certum est, ipsum superaturum esse ecclesiam catholicam non magis quam Paganismum antiquum. (Etiam Protestantes statum hodierni Protestantismi interdum comparant cum statu veteris Ethnicismi sub imperatoribus Romanis constituti; ita Uhlhorn, Zahn (Geschichte der Evang. Kirche im britischen Weltreich, 139 s); Mittelstaedt (l. c, 103) animadvertit, nunc sicut illo tempore florere spiritismum, mysticismum, necromantiam, atheismum in doctrina, separationem in sexcentas sectas religiosas etc).

detectio Americae et viae maritimae ad Indiam orientalem, inventio pulveris pyrii et typographiae; Universitates aliaeque scholae iam antea conditae sunt multae et floruerunt. Novam culturam Reformatio non peperit, sed culturam novam iam antea ortam partim destruxit vel eius progressionem retardavit. Lutherus vocavit rationem humanam meretricem, nonnisi Scripturam et fidem admisit, reiecit omnem philosophiam et humanismum, Universitates et scholas doctas everti cupiit; similiter Melanchthon aliique Reformatores;[1]) reapse ex pseudoreformatione omnes Universitates Germaniae fere exstinctae sunt, nefanda corruptio morum intravit, bella civilia immanissima exarserunt, studium artium bonarum quasi suffocatum est sub controversiis theologicis, logomachiis et disputationibus inutilibus; axioma illud viguit: cuius regio, illius et religio; dominium absolutum gubernii civilis exortum est, sub quo subditi quasi servi premebantur, una voce: omnes res domesticae, religiosae, intellectuales, aestheticae, sociales et politicae peiores redditae sunt.[2]) — c) *Si temporibus posterioribus res cultus humanitatisque sub Protestantibus refloruerunt, id factum est non ex principiis genuini Lutheranismi vel Calvinismi*, sed ex felici inconsequentia contra ea; orthodoxi Lutherani reiecerunt vehementius et diutius quam Catholici systema Copernicanum. Non Protestantes, sed astronomi catholici correxerunt calendarium iussu Summi Pontificis, Protestantes vero per multos annos hoc calendarium Gregorianum accuratum reiecerunt. — d) *Protestantes transtulere multa principia bona ex Catholicismo* et per haec idonei erant ad
317 magna pro salute generis humani praestanda. Haec principia autem certe non adhibere potuissent, nisi per catholicam ecclesiam a temporibus apostolicis fideliter custodita et ad posteros tradita essent; sine ecclesia catholica non iam fuisset religio christiana, quam Lutherus reformare potuisset. — e) *In terris catholicis*, quae velut Italia, Hispania, Francogallia a motibus religiosis saeculi 16 seu a Protestantismo non vel minus tactae sunt, *ipso eo tempore, quo in Germania* ob pseudoreformationem *omnia divina et humana perturbata erant, floruerunt valde litterae*, artes bonae, negotia, commercia, ordines religiosi; exstiterunt plurimi viri et feminae sanctitate eximia praecellentes; hae nationes erant potentissimae totius Europae, colonias permultas in America et Asia condiderunt et etiam ita maxima fecerunt pro salute generis humani. Si postea res se mutavere, non religio catholica qua talis accusari potest. Etiam hodie inter Catholicos cultus humanitasque civilis multum vigent; ubi „inferioritas" quaedam praesto esse videtur, id non ecclesiae catholicae ipsi attribuendum est. — f) *Protestantismus non est idem ac populi protestantici*, sicut Catholicismus non idem est ac nationes

[1]) Cfr. *Paulsen*, l. c. I. 185 ss. Idem: Philosophia militans, 1901, 38 ss. — *Döllinger*, Die Reformation 1846, I. 443 ss.

[2]) *Janssen*, Geschichte des deutschen Volkes.

catholicae; non omnia bona, quae Protestantes fecerunt, manarunt ex principiis suae religionis, sicut nec omnia mala quae Catholici commisere, derivanda sunt ex Catholicismo. Non solum religio, sed etiam alia momenta: nationalia, socialia, geographica, historica, politica etc respicienda sunt, si iudicium rectum de populo aliquo ferendum est. Per se autem principia catholica non solum Scripturae et Traditioni christianae, sed etiam rationi humanae magis congrua sunt quam protestantica; id elucet ex tractatibus sequentibus et dogmatica speciali. Sicut Catholicismus solus est religio christiana tota et perfecta, sic ipse solus continet principia christiana integra. Alia omittentes nonnisi innuere volumus, quam immensam utilitatem etiam naturalem solum institutum confessionis sacramentalis iam generi humano contulerit et adhuc hodie pariat.

---

4. *Iam ex allegatis evidenter* atque manifesto sequitur, *Protestan-* **318**
tismum nihil esse posse ecclesiam Iesu Christi et eo ipso non *religionem veram.* Reipsa minime ex omnibus iis denominationibus, quae Christi nomine gloriantur, ostendit momenta vel condiciones a vera religione desideratas. 1. *Caret imprimis doctrina certa stabilique.* Libri symbolici protestantici sunt pleni contradictionum apertarum; ceterum nemo ad eos se obligatum putat, et unusquisque eos pro libitu suo interpretatur. Quare Protestantes ipsi nesciunt, quid credant et velint.[1]) Una ex parte conceditur absoluta libertas quoad expositionem Scripturae, id quod absurdum est, sicut videbimus; altera ex parte cognitio naturalis veritatum religiosarum omnino denegatur. Paulsen Protestans ipse concedit, Protestantismum secundum originem et essentiam esse irrationalem, cum secundum eius principia ratio in rebus fidei ex se ipsa prorsus nihil intelligere queat.[2]) Passim theologi et philosophi protestantici negant, existentiam Dei, factum revelationis supernaturalis etc ex solo lumine rationis cum certitudine demonstrari posse; passim excludunt omnem philosophiam ex theologia, favent scepticismo quoad religiosam cognitionem. Etiam theologi orthodoxi velut Frank, Seeberg non longe distant a schola Schleiermacheriana et Ritschliana eo, quod systemata dogmatica sua fundant in sensu et affectu subiectivo, nos esse iustificatos per Christum; vel dicunt, divinitatem

---

[1]) Sincere fatetur Dr. Krüger, professor theol. (Hefte zur Christl. Welt, 1897, n. 28, p. 22): „Was der Protestantismus ist und will, das kann in einem irgendwie formulierten Bekenntnis überhaupt nicht zum Ausdruck kommen."

[2]) Philosophia militans, 1901, 38. Idem (l. c. 31 ss) fusius disserit, Kant esse philosophum Protestantismi *κ. ε.* et niti eius principiis; revera Kant est patronus et auctor praecipuus moderni subiectivismi, agnosticismi, nihilismi, pantheismi, modernismi et sic valde convenit cum Protestantismo. Rem ita se habere, exponit etiam Dr. Kratzer, pastor in Löbau in Saxonia, qui quoad multa Kantii doctrinam cum Protestantismo confert: uterque separat theologiam et philosophiam, reprobat certam cognitionem et moralem libertatem arbitrii etc (Kants Bedeutung für den Protestantismus, 1897; Hefte zur Christl. Welt, n. 30).

Christi potissimum ex sensu subiectivo singulorum vel ex sensu communi plebis christianae, non autem ex rationibus obiectivis proprie deduci posse; certitudo religiosa ergo nonnisi affectibus subiectivis nititur et eo ipso est labilis, insufficiens, nulla.[1]) Quare theologia moderna protestantica est prorsus irrationalis et indogmatica. — 2. Principium genuine protestanticum, cui adhuc non pauci adhaerent, *negat liberum arbitrium* saltem quoad res divinas et religiosas; atqui haec sententia tollit ordinem omnem religiosum, ethi-
319 cum et socialem, omnem culturam veram, deprimit hominem ad brutum. — 3. *Principium materiale Protestantismi*, scil. iustificatio ex sola fide sine ulla cooperatione a parte nostra, *privat hominem omni propria actione in opere salutis*, facit eum truncum, quem Deus movet, quocumque vult. Et in his non pudet Protestantes, ad nauseam et fastidium iactari, se personalitati humanae dignitatem suam iterum reddidisse vel se promovere et fovere individualismum religiosum vel se solos tueri et conservare conversationem et consuetudinem intimam cum Deo! Gloriantur immediato usu cum Christo et Spiritu Sancto, sed reprobant personalitatem divinam eorum! — 4. *Protestantismus non admittit proprium cultum externum*, quia, ut vidimus, secundum eum ecclesia stricte sumpta sit invisibilis. Eo ipso Protestantismus non amplecti potest totum hominem cum anima et corpore nec universam societatem. — 5. *Disrumpit vinculum pulchrum inter gratiam et libertatem*, fidem et scientiam, theologiam et philosophiam, supernaturale et naturale, ecclesiam et politicam civitatem, subiiciens ecclesiam prorsus gubernio civili, item inter nationalismum et cosmopolitismum statuens nonnisi religiones nationales vel territoriales.

320 Nullatenus ergo Protestantismus potest esse vera religio vel ecclesia Christi. Ex felici inconsequentia autem homines saepe meliores sunt doctrina, quam sequuntur. Permulta Protestantes transtulerunt ex religione et ecclesia catholica, quare saepissime uni aliis opprobrio dant, quod Romanismo faveant vel in via directe Romam pergente stent vel superstitioni, magiae, Pelagianismo Romano etc adhaereant.

---

[1]) De hac re sexcenta testimonia ex ore Protestantium in medium proferri queunt. Dr. theol. *Dreyer Otto*, superintendens Gothae, edidit librum „Undogmatisches Christentum" (ed. 3 et 4, 1890), in quo diserte et fusius explicat, religionem christianam et fidem nequaquam admittere ulla dogmata propria, nullum systema theoreticum proprium, sed in solo amore et fiducia erga Deum vel Christum consistere (cfr. 3 ss, 74 ss etc). Cfr. *Dorner*, Grundriß der Dogmengeschichte, 1899, 628 ss. — *Protest. Monatshefte*, 1897, 4 ss, 53 ss, 89 ss, 129 ss etc; 1898, 232 ss; 1899, 217 ss; 1900, 49 ss, 138 ss, 161, 181; 1901, 22 ss, 98 ss, 138, 223 ss, 425, 465 ss. — *Theol. Rundschau*, 1898, 41, 218 ss; 1901, 30 s, 287. — Nationi Germanicae non honori magno est id, quod Protestantes quotidie asserunt, scil. Protestantismum esse religionem animo et indoli Germanicae maxime accommodatam; systema doctrinarum tam confusum et irrationale, reiiciens omnia argumenta obiectiva, quam Protestantismus prae se fert, econtra menti Germanicae dedecori est.

Corollar. II. — Vanum et ineptum est dictum et studium, componere ex genuino Protestantismo seu „Evangelio puro" et de elementis catholicis novam ecclesiam, quae dicitur esse vera religio et ecclesia Christi. — Acatholici moderni velut Soederblom, Heiler, intelligentes Protestantismum per se solum nimis debilem esse et continuo non posse persistere, eum firmare et reformare student momentis catholicis, praesertim introducendo cultum et constitutionem magis catholicam; loquuntur de „evangelica catholicitate", id est de catholicitate, quae non est romana, sed „pure evangelica". Petenda esse dicitur ecclesia, quae non solum evangelica, sed etiam catholica vel christiana eademque universalis est, cuius anima „evangelica", et cuius corpus catholicum est; haec ecclesia est ecclesia idealis et vera catholica.[1]) At eiusmodi ecclesia iam pridem adest, nihil aliud est nisi ecclesia catholico — romana. Nam haec ecclesia a Christo condita est, habet et docet verum evangelium Christi, et ideo evangelica est; eandem catholicam esse, nemo negat, ipse Heiler etc concedunt. Omnia bona, quae hic aliique ab ecclesia evangelico — catholica postulant, in eo invenienda sunt largissime, id quod ipse Heiler non negat; altera ex parte non negamus, non omnes Catholicos, ne omnes quidem praepositos ecclesiae catholicae ita vivere, sicut evangelium Christi praescribit. Sed certe ita viverent, si viverent, sicut ecclesia romano-catholica praescribit vel saltem optat. Quod si omnes Catholici et Acatholici faciunt, ecclesia catholica eo ipso ecclesia idealis et quoad omnia vere evangelica fit. At eiusmodi ecclesia idealis, quam Heiler aliique petunt, non ecclesia vereque idealis christiana vel evangelica fiet; nam haec revera „complexio oppositorum" et eo ipso impossibilis est. Nam sicut Heiler rectissime effert (93): repugnantiae inter Catholicismum et „Christianismum evangelicum" (id est Protestantismum) fundamentales sunt; si fodimus usque ad radices psychologicas, inveniuntur etiam multo radicaliores quam membra utriusque ecclesiae communiter putant;[2]) sunt revera quasi duo mundi religiosi, qui interius toto caelo unus ab altero distant, etsi exterius in doctrinis et ritibus non paucis inter se conveniunt. Utraque ecclesia Scripturam S. prae manibus habet, sed catholica interpretatur eam secundum traditionem divino — apostolicam seu sicut magisterium ecclesiasticum eam exponit; protestantica interpretatur eam secundum spiritum privatum seu mentem subiectivam legentium; quare idem locus non solum aliter atque ab ecclesia catholica, sed etiam aliter ab aliis legentibus declarari potest, et quoad ipsa puncta fundamentalia velut quoad creationem mundi, divinitatem Iesu Christi, retri- 321

[1]) Heiler, Das Wesen des Katholizismus. 92 ss, 115.

[2]) *Heiler* alibi (Katholischer und evangelischer Gottesdienst. München 1921, 44) ait: „Zwei verschiedenartige Welten tun sich vor unseren Blicken auf; man kann nicht zugleich in der einen und in der anderen leben; wer von der einen in die andere geht, muß notwendig der alten Welt sich entfremden."

butionem aeternam revera prorsus aliter declaratur. Hae aliaeque veritates biblicae in ecclesia catholica sunt dogmata, habent sensum accurate et in continuum fixum, necessario ab omnibus membris suis cum consensu interno accipiendae sunt; in ecclesia protestantica autem unicuique licet approbare aut reprobare has veritates, accipere in quo sensu et quam diu ei placet. Idem dicendum est quoad cultum et constitutionem. Praesertim ecclesia anglicana quoad sacrificium missae, sacramenta, institutionem episcoporum etc ecclesiam romanam imitata est, et eatenus „evangelicam catholicitatem" quandam, de qua Heiler loquitur, iam habet; sed revera est et manet vere protestantica, non vere catholica; nam unusquisque Scripturam interpretari potest secundum libitum et eo ipso non eget auctoritate episcoporum, quamquam forsitan in praxi eam admittit. Catholicismus nititur auctoritate, fide ex auditu, et eo ipso oboedientia, Protestantismus oritur ex interna experientia, ex mente subiectiva, est et manet subiectivismus, et eo ipso impotens est constituendae ecclesiae verae, etsi auctoritatem praepositorum admittit. Nam auctoritas eorum est personalis, fundatur in virtutibus personalibus praepositorum eorumque agnitione prorsus libera a parte subditorum, sicut Heiler ipse effert (101); secundum Catholicismum autem auctoritas ecclesiae a Christo ipso instituta est, quare officium strictissimum est eam agnoscere eique oboedire, ita ut ab hac oboedientia salus aeterna dependeat; qui hanc sententiam accipit, eo ipso Catholicus est, qui negat, non iam Catholicus est, sed Protestans; eo ipso hae duae religiones et ecclesiae se invicem excludunt, et nunquam ad tertiam melioremque ecclesiam coadunari possunt. Praeterea ecclesia catholica semper et ubique et ab omnibus postulat, ut credant in divinitatem Iesu Christi, Protestantismus hanc veritatem christianam fundamentalem non iam ut neccessariam esse censet; pariter mysterium S. S. Trinitatis, inspirationem divinam Scripturae multasque alias doctrinas a Scriptura et etiam Evangeliis doctas: quomodo in his unio vera possibilis esse potest?[1])

Cfr. *Bellarmin*, l. 4. — *Perrone*, l. c. prop. 9 ss. — *Regnier*, l. c. — *Denzinger*, Kritik, l. c. — *Roehm J.*, Der Protestantismus unserer Tage, 1897. — *Moehler*, Neue Untersuchungen der Lehrgegensätze zwischen d. Kathol. u. Protest., ed. 2, 1835, § 75 ss. — *Jörg*, Geschichte des Protestantismus in seiner neuesten Entwicklung, 1858, t. 2. — *Doellinger*, Kirche u. Kirchen. — *Schanz*, III. 91 ss. — *Wilmers*, 521 ss. — *de Groot*, qu. 6—7. — *v. Hammerstein*, Katholizism. etc c. 5, 10, 18, 34. — *Ehrhard*, l. c. 78—181. — *Hans Rost*, Der Protestantismus nach protestant. Zeugnissen. Paderborn 1920. Is permulta testimonia virorum protestantium valde eximiorum contra Lutherum etc et in favorem ecclesiae catholicae profert.

---

[1]) Etiam Heiler divinitatem Christi reprobare videtur; saltem nullibi eam profitetur, sed certe narrationes miraculosas, quas evangelistae de nativitate Iesu enuntiant, „legendas" nominat (78, 128).

Caput III.

De triplici potestate ecclesiastica.

Iesus Christus, qui in ecclesia opus redemptionis suae con- 322
tinuat fructusque eius hominibus singulis subiective applicat, ad hunc finem melius consequendum ecclesiam suam eadem triplici potestate instruxit, qua ipse inter vivos commorans functus est, scil. potestate sacerdotii seu ordinis, potestate magisterii seu docendi, potestate pastorali seu iurisdictionis. *Potestas iurisdictionis continet implicite potestatem magisterii.* Sedes episcopalis et papalis est tum thronus tum cathedra. Potestas magisterii explicat legem divinam, secundum quam potestas iurisdictionis iudicat. Quare Scholastici tantum de potestate ordinis et iurisdictionis loquuntur, e. c. *S. Thomas:*[1]) „Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia iurisdictionalis." Secundum hanc duplicem potestatem distinguitur *hierarchia ordinis et iurisdictionis.* Utraque divinitus instituta est. In genere sunt subiecta hierarchiae ordinis eadem ac subiecta hierarchiae iurisdictionis, sicut fusius disserit ius canonicum. Distinctio magna praesertim in eo constat, quod subiecta hierarchiae ordinis per consecrationem accipiunt characterem indelebilem, quare potestas ordinis manet etiam haereticis et schismaticis, etsi eam licite exsequi non possunt; ad exercendam potestatem iurisdictionis autem non requiritur character sacramenti ordinis eaque privantur haeretici et schismatici. Ad hierarchiam iurisdictionis pertinent iure divino episcopi, praesertim episcopus Romanus, ad hierarchiam ordinis ex iure divino etiam presbyteri et ministri. — *Cum ordine episcopatus non eo ipso coniuncta est iurisdictio ecclesiastica.* Iam Sozomenus[2]) tradit, apud Edessam duos monachos ad recompensanda sua praeclara facinora in monasteriis suis episcopos ordinatos esse „non alicuius urbis, sed honoris dumtaxat causa". Altera ex parte antiquitus simplices presbyteri et diaconi cum debita delegatione, praesertim abbates, ad concilia oecumenica admissi sunt vel alia iurisdictione ornati sunt. — De potestate ordinis seu de munere sacerdotali fusius tractatur in dogmatica speciali, nempe in doctrina de sacramentis, praesertim de sacramento ordinis. Ibidem etiam ostenditur, in ecclesia esse distinctionem inter clericos et laicos, inter clericos superiores et inferiores, et existere sacerdotium visibile divinitus ordinatum. Hic nonnisi de potestate iurisdictionis et magisterii ecclesiae agetur.

Articulus I.

De potestate iurisdictionis ecclesiasticae.

§ 8. De potestate iurisdictionis apostolorum et episcoporum.

1. *Christus elegit 12 apostolos κ. ε.* — In Scriptura vox apostoli 323
habet sensum latiorem et angustiorem. In sensu latiore significat

[1]) 2, 2. qu. 39, a. 3. — [2]) Hist. eccl. 6, 34; M. 67, 1394.

omnes ad evangelium praedicandum missos vel omnes in regno Dei dilatando cooperantes, e. c. Hbr 3, 1 dicitur Christus ipse apostolus, Phlp 2, 25 vocatur apostolus Epaphroditus, Rom 16, 7 Andronicus et Iunia. In sensu angustiore sunt apostoli illi viri duodecim, quos Christus specialiter ex omnibus discipulis elegit (Lc 6, 13; Mt 10, 2 Mc 3, 14), et inter quos loco Iudae proditoris assumptus est Mathias (Act 1, 15 ss), postea Paulus et Barnabas.

324 2. *Christus dedit solis apostolis potestatem iurisdictionis seu potestatem legislativam et iudiciariam. Modernistae* renuentes institutionem ecclesiae propriae per Christum, reiciunt eo ipso potestatem omnem gubernativam ab ipso apostolis datam. Omnis potestas ecclesiastica iuris dumtaxat humani est. Similiter plurimi *Protestantes* dicentes, apostolos nihil fuisse nisi primos et praecipuos discipulos Christi seu christianos a Christo ad praedicandum evangelium missos et ad hoc munus charismatibus instructos vel testes et praecones resurrectionis Christi, et ob hanc auctoritatem eo ipso factos esse capita coetuum christianorum; item dicunt, episcopos non divinitus, sed tantum humanitus esse institutos, quia nulla societas sine praepositis existere possit. Alii Protestantes concedunt quidem, ecclesiam a Deo recepisse potestatem iurisdictionis, sed ita, ut communitati toti collata sit, et per hanc singulis animarum pastoribus detur, ita ut hi nihil aliud sint nisi mandatarii populi christiani. At Scriptura clare docet, Christum apostolis tradidisse potestatem iuridicam super ecclesiam. Solis „discipulis" dixit Christus (Mt 18, 18): „Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo." Item solis discipulis ait (Io 20, 23): „Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt." Hi discipuli, quibus Christus dedit has facultates, fuerunt duodecim apostoli. Hoc sequitur ex eo, quod post ascensionem Domini locus Iudae proditoris, qui sortitus erat „sortem ministerii huius" (Act 1, 17), suppletus est, et ex numero „fratrum" fere centum viginti electus est solus Mathias, qui „annumeratus est cum undecim apostolis" (Act 1, 15 ss). „Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus" (Act 1, 23), et ipse a baptismate Ioannis usque ad ascensionem Christi cum Domino consuetudinem habuit, excellebat ergo eadem dignitate et gravitate ac Mathias, attamen non assumptus est inter apostolos seu discipulos *n. e.* — *Apostoli duodecim hanc potestatem sibi datam exsecuti sunt, et in solis duodecim viderunt alii fratres auctoritatem extraordinariam*, sicut manifesto docent Actus apostolorum. E. c. ad electionem septem diaconorum convocavere „duodecim multitudinem discipulorum", sed soli apostoli septem a communitate electis manus imposuerunt (Act 6, 2 ss).

325 3. *Haec potestas transiit in episcopos ut successores apostolorum.* — Hoc ita probatur:

a) *Scriptura* docet, apostolos in suum locum alios viros instituisse. Ii dicuntur tum presbyteri tum episcopi, quia primo tempore termini nondum erant fixi (de distinctione episcoporum et presbyterorum fusius in ordinis sacramento tractatur). In Scriptura praesertim Timotheus et Titus episcopi apparent. S. Paulus instruit eos (1 Tim 3 ss; Tit 1, 5 ss), quomodo ut episcopi se in regenda ecclesia gerant. Hi episcopi divinitus instituti sunt ad ecclesiam Dei gubernandam (Act 20, 28): „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere ecclesiam Dei."

b) Idem docent *Patres iam antiquissimi. S. Clemens Romanus:*[1]) „Christus missus est a Deo, et apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis . . per regiones et urbes verbum praedicantes primitias earum, spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui crediturі erant." — *S. Ignatius Ant.:*[2]) „Omnes episcopo obtemperate ut Iesus Christus Patri, et presbyterio ut apostolis, diaconos autem revereamini ut Dei mandatum. Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant . . . Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapem celebrare, sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne, quod peragitur."

c) *Conc. Trid.* (23. cap. 4): „Proinde sacrosancta synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos, sicut idem apostolus ait, a Spiritu S. regere ecclesiam Dei."

4. *Episcopi*, etsi Summo Pontifici subsunt, et hic habet iuris- 326
dictionem immediatam et ordinariam super omnes dioeceses, tamen non sunt soli legati eiusdem, sed *fruuntur iurisdictione ordinaria et immediata divinitus data super fideles sibi commissos.* Vatic. 4. cap. 3: „Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu S. in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur roboretur ac vindicetur." Teste historia ecclesiastica Papae summa cum diligentia studuerunt, episcopales sedes fundare, conservare, restituere, iura earum defendere contra iniurias et praesumptiones dominii civilis, ita ut plurimae cathedrae episcopales existentiam, permanentiam, usum liberum facultatum divinitus concessarum debeant Pontificibus Romanis. Sine Papa iam diu plurimae dioeceses subversae essent, et episcopi nonnisi servi regiminis civilis facti,

[1]) Ep. 1. ad Corinth. c. 42; ed. Funk I, 153.

[2]) Ad Smyrn. 8; Funk I, 283; cfr. ad Trall. 2—3; F. I, 243 s; ad Magnes. 6—7; F. I, 235 s.

sicuti fuit et est apud schismaticos Graecos et Russos, qui primatum Papae non agnoscunt.

5. *Obiectum iurisdictionis episcoporum est in genere idem quod Summi Pontificis*, nempe omnes res, quae ad fidem, mores, cultum, disciplinam et regimen ecclesiasticum pertinent. In specie idem est angustius quam Papae, sicut ius canonicum fusius disserit.

6. *Iurisdictionem plenam et universalem super totam ecclesiam* episcopi tantum in unum collecti et Summo Pontifici, capiti ecclesiae, subordinati ab eoque dependentes habent; hac utuntur praesertim in conciliis oecumenicis.

327 Nota I. — Praesertim Harnack negat, ecclesiam vel episcopos habere vi institutionis divinae ullam iurisdictionem super fideles; ad hoc probandum provocat ad tempora Christianismi primitivi. Disserit enim:[1]) „Ecclesia primordialis nihil aliud docuit vel habuit nisi fidem in unum Deum et Iesum salvatorem, doctrinam ethicam evangelicam, baptismum, orationem communem una cum cena Domini, spem in regnum Christi gloriosum mox futurum. Praeterea non noverat ullas alias caeremonias vel doctrinas, nullas leges statutaque exteriora. Nemo nisi „apostoli, prophetae et doctores" seu illi, qui charismatica scientia et elocutione praediti erant et ideo verbum Dei praedicabant, habiti sunt ut auctoritate divina gaudentes, et ipsi soli erant proprii *ἡγούμενοι* in communitatibus. Praeter eos erant praepositi quidam nonnisi auctoritate humana ornati, scil. episcopi et diaconi; hi alia negotia publica curabant et, si apostoli, prophetae et doctores dicti deerant, etiam cenam Domini offerebant. Seniores seu superiores eorum vocabantur episcopi vel etiam presbyteri, iuniores seu inferiores diaconi; partim erant senes venerabiles et personae charismate gubernationis instructi, quibus ex pietate quadam omnes ultro oboediebant, partim erant viri a communitate electi, quoniam nulla societas sine praepositis existere potest. Potestas eorum, quatenus erat iuridica et legislativa, nonnisi ad forum externum, non ad forum divinum spectabat. Fideles gaudebant plena libertate christiana; coniuncti erant potius per vinculum fidei et caritatis quam per leges et institutiones externas. Ad membra communitatum arctius et firmius continenda, imprimis in pugnis cum Gnosticis et aliis haereticis, necessaria erat organisatio strictior. Episcopi seu presbyteri receperunt sensim vim et iura maiora, acceperunt etiam facultatem verbi divini praedicandi, praesertim cum apostoli, prophetae doctoresque charismatici mox

[1]) Dogmengesch. 4. I. 159 ss, 235 ss, 399 ss; item Wesen des Christent. 157. Idem: Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechtes in den ersten zwei Jahrhunderten. Leipzig 1910, et aliis in libris. Similiter Protestantes passim dicentes, Christum nullatenus iurisdictionem apostolis vel episcopis dedisse, sed nonnisi communitati ecclesiasticae in genere, quae dein hanc singulis pastoribus animarum demandat (cfr. Neue Kirchl. Zeitschrift 1898, 722 ss). — Secundum *Sohm* (Kirchenrecht, I. 1892. 1) ius ecclesiasticum adversatur essentiae ecclesiae.

evanescerent. Quia monarchia utilissima esse videbatur, paulatim ubique unus tantum episcopus creatus est, cuius senatus alii presbyteri erant. Ut hic novus ordo rerum confirmaretur et magis sanciretur, designatus est tamquam ab apostolis duodecim seu a Christo ipso institutus; mos enim erat reducendi omnes usus ecclesiasticos ad apostolos. Sic omnes leges et caeremoniae successive in ecclesia ortae ut apostolicae et etiam conscientias obligantes habitae sunt. Dimidio posteriore saeculi 3 nullibi — praeter civitates aliquas remotas — sufficiebat fidem catholicam servare, sed erat oboediendum episcopis seu ecclesiae, extra quam nulla salus possibilis esse dicebatur; ad augendam auctoritatem episcopalem praeter episcopos Romanos potissimum S. Cyprianus multum conduxit. Ita Christianismus originalis paulatim ad Catholicismum depravatus est, et hic seu ecclesia Romana nihil aliud est nisi antiquum imperium Romanum per evangelium consecratum et ad sphaeram divinam elevatum, ab eo nonnisi ideo differens, quod institutione divina gloriatur. Quare Protestantismus, quamquam et ipse multa non evangelica retinuit vel assumpsit, potius ecclesia apostolica et forma vera Christianismi vocari quit quam Catholicismus, quia restituit libertatem evangelicam seu subiectivismum et individualismum religiosum vel hominibus reddidit immediatam conversationem cum Deo sine mediis sacramentorum et ecclesiae. — R e s p. 1) *Ecclesia* 328
visibilis necessario eget aliqua exteriore constitutione, legibus, superioribus, caeremoniis, quia sine his non posset constare, non posset propagari, non vitam communem regere vel homines erudire. Hoc et Harnack fatetur addens, eiusmodi ordines nullo tempore communitates christianas defecisse et semper characterem iuristicum habuisse.[1]) — 2) *Si qua organisatio ecclesiae absolute necessaria est, Christus ipse eam instituere debuit,* quia omnia essentialia ipse ecclesiae suae dare debet, et quia sine ordinatione positiva divina propter individualismum singulorum hominum, regionum, nationum et temporum alibi aliae formae regiminis ecclesiastici orerentur, et sic unitas ecclesiae esset impossibilis, sicut manifesto liquet ex historia Protestantismi. — 3) Si normae quaedam exteriores organisationis et cultus et disciplinae a Deo ipso sunt ordinatae, *observatio earum etiam ad forum conscientiae spectat,* praesertim cum alioquin eis non inesset vis et pondus requisitum. — 4) Dogmatica generalis et specialis atque ius canonicum ostendunt, revera *essentiales formas cultus et disciplinae catholicae doceri ab ipsa Scriptura et observatas esse iam temporibus apostolicis.* Concedi potest, aetate apostolica

[1]) „Es ist doch nicht abzusehen, wie Gemeinschaften auf Erden existieren, sich fortpflanzen und Menschen erziehen sollen ohne Ordnungen, und wie Ordnungen existieren sollen, ohne daß sie eine Rechtsbildung zur Folge haben. In Wahrheit haben solche Ordnungen in keiner Zeit den christl. Gemeinden gefehlt und stets den Charakter von Rechtsordnungen besessen." (Dogmengesch. I, 339, Nota; item III, 855; Wesen des Christent. 113).

doctrinas et institutiones cunctas catholicas adhuc quasi in cunis iacuisse ideoque multo minus excultas fuisse quam postea, medio aevo et nunc; quia tunc res omnes erant simpliciores ac quasi familiares, et quia revera viguit fides et caritas viva, stricto regimine ecclesiastico minus opus erat. — 5) *Certe epistolae apostolorum interdum de libertate quadam christiana loquuntur*, at per hanc proxime est intellegenda libertas a iugo gravi legis mosaicae. Idem Christus, qui nos liberos reddidit, ait (Mt 18, 17): „Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus." Idem S. Paulus saepius mentionem faciens de abolitione legis (iudaicae) vel de libertate evangelica etiam postulat (Hbr 13, 17): „Oboedite praepositis vestris et subiacete eis"; idem expresse dicit (Rom 13, 1—2): „Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt; itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt." Idem S. Petrus, qui scribit (II, 2, 5), omnes fideles esse sacerdotium sanctum, in eodem capite (v. 13) hortatur: „Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum"; praescribit ergo oboedientiam erga omnes superiores humanos et eo ipso etiam erga ecclesiasticos idque „propter Deum". Quomodo Delitzsch, apologeta protestanticus orthodoxus, declarare potest, Christianismum genuinum praesupponere necessario libertatem fidei et conscientiae, vel per Christum relationem nostram ad Deum factam esse a b s o l u t e liberam etc?[1]) Nonne omnes anarchistae moderni has propositiones libenter concedent? — 6) *Regimen ec-*
329 *clesiasticum strictum et oboedientia in magistratus ecclesiae nullatenus excludunt subiectivismum et individualismum religiosum seu christianum*, quatenus est licitus et moralis. Hoc ostenditur potissimum ex vita *S. Francisci Seraphici*, quem ob suam vitam interiorem et „subiectivismum atque individualismum religiosum" Protestantes summis laudibus efferunt et tamquam praecursorem Lutheri celebrant.[2]) Sed ipse valde erat imbutus reverentia et obsequio erga Sedem Apostolicam, episcopos et sacerdotes. Scribit enim in regula Fratrum Minorum cap. 1: „Frater Franciscus promittit oboedientiam et reverentiam Domino Papae Honorio ac successoribus eius." Et in testamento suo: „Et postea dedit mihi Dominus et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae ecclesiae propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes in parochiis, in quibus morantur, nolo praedicare contra voluntatem ipsorum. Et ipsos et omnes alios volo timere et amare

[1]) System der christl. Apolog. 1869. 479, 481, 490.

[2]) „La vie de S. François d'Assise", Paris 1894. a Sabatier Protestante edita vidit in lingua originali usque ad annum 1902, 27 editiones et est translata in linguas fere omnes culturae modernae, etiam in linguam Russicam (cfr. Theol. Rundschau 1898, 109; Protestant. Monatshefte, 1900, 403).

et honorare sicut meos dominos" etc. Subiectionem sub auctoritate ecclesiastica non prohibere studium scientiarum energicum vel explicationem indolis singulorum doctorum vel intimam conversationem cum Deo, *ipse Harnack* innuit. Una ex parte enim disserit, medio aevo et etiam nunc totam traditionem catholicam dogmaticam et iustificationis processum permutatum esse in iurisprudentiam (confessio sacramentalis et indulgentiae, in quibus iudicium, poenae, satisfactiones, advocati etc apparent). *Altera ex parte concedit, medio aevo inter Scholasticos omnes scientias, etiam ethicas et politicas, philosophiam non minus quam theologiam, fecisse progressus non parvos, et theologos ostendisse stupendam energiam cogitandi et voluptatem laborandi magnam et omnem scientiam in Deum reduxisse,* etsi omnes res profligatae essent in vincula hierarchiae, et etiam theologiam mysticam valde floruisse, et Albertum, Bonaventuram et Thomam maximos mysticos fuisse idque, non quamvis essent mendicantes et theologi, sed ob id ipsum, quia theologi et mendicantes essent (hi autem erant propugnatores acerrimi ecclesiae iurisdictionis, sacramentorum et papatus). Item, etsi putat, Christianismum catholicum modernum quasi suppressum esse sub copia et pondere caeremonarium et legum externarum, tamen agnoscit, in ecclesia Romana adhuc vigere et florere pietatem et vivam devotionem S. Augustini vel S. Pauli eorumque doctrinam circa peccatum, gratiam atque iustificationem, et permultos Catholicos degere vitam internam externamque genuine evangelicam.[1]) Immo normae et leges exteriores valde utiles, immo necessariae sunt ad subiectivismum religiosum custodiendum a separatismo et haeresibus vel ab excessibus nec christianis nec religiosis, sicut potissimum historia Pietistarum, Quaekerorum etc ostendit. Id concedunt etiam Protestantes prudentiores.[2]) — 7. *Ecclesia catholica docens, nonnisi per se ipsam, per sua sacramenta et ministros gratias conferri, non intendit aditum liberum ad Deum intercludere,* sed nonnisi 330
eum sublevare seu id praestare, quod singuli ex institutione divina per se praestare non possunt. Si Protestantismus conversationem immediatam cum Deo reddidit et vitam internam promovit: quare non peperit personas sexcentas, quae quoad virtutes theologicas et morales, pietatem, devotionem et opera christiana saltem aliqualiter comparari possent cum legionibus Sanctorum, quos ecclesia catholica per sua sacramenta et media gratiae produxit? Cur inter Protestantes tantus rationalismus, naturalismus, materialismus, immo atheismus? Religio positiva divina innititur principio mediationis; nonne sunt revelatio, patriarchae, prophetae, Christus, apostoli,

---

[1]) Dogmengesch. III. 367 ss, 435 ss; Wesen des Christent. 160 ss.

[2]) Cfr. *A. v. Harless* u. *Th. Harnack*, Die kirchlich-relig. Bedeutung der reinen Lehre von den Gnadenmitteln. 1869. 171. Etiam *Ad. Harnack* dicit, sine regimine hierarchico episcoporum Roman., S. Athanasii etc illos, qui hodie de hac re queruntur, una cum dogmatica sua non praesto futuros esse (Dogmengesch. II. 369 N.)

Scriptura media ad religionem veram constituendam, conservandam et explicandam? Deus consulto totam religionem, etiam christianam, condidit et constituit in rebus et personis intermediis, quia sine his ecclesia visibilis usque ad consummationem saeculi perduratura impossibilis est. Hoc modo unusquisque, qui salutem vult assequi, debet se applicare ad ecclesiam et ita ecclesia ipsa continuo permanebit; sed si homines sicut in Protestantismo mediatione ecclesiae non egent, nihil ipsorum interest in corpore ecclesiae esse, et sic, prout reapse historia demonstrat, separatismo omnes ianuae patent.

331 *Quod attinet locum et dignitatem praepositorum ecclesiae*, animadvertendum est: 1. *Apostoli duodecim erant plus quam praedicatores evangelii a Christo missi et donis charismaticis praedidi;* erant, ut vidimus, primi rectores christianitatis, instructi potestate iuridica et legislativa divinitus commissa. — 2. *Illi apostoli, prophetae et doctores*, qui enumerantur 1 Cor 12, 28 s, Eph 2, 20; 3, 5; 4, 11 et in „Doctrina apostolorum" cap. 11 ss, *non erant omnes nec per se praepositi ecclesiarum proprie dicti, sed erant praedicatores evangelii charismatibus donati*, quorum nonnulli nullam sedem fixam habentes per urbes et provincias verbum Dei annuntiabant et, quocumque venerant, ob suam dignitatem, doctrinam et eloquentiam egregriam locum quendam primarium honoris causa tenebant. Hoc elucescit ex „Doctrina apostolorum"; hic cap. 11 ss primo mentio est de dictis apostolis et prophetis; agitur de eo, quomodo venientes sint suscipiendi et quomodo dignosci possint a pseudoapostolis et pseudoprophetis; sed cap. 15 immediate post tractatum de celebratione eucharistiae legimus: „Constituite (*χειροτονήσατε*) igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino."[1]) Episcopi et diaconi ergo erant distincti ab apostolis et prophetis et doctoribus, erant ordinarii praepositi per manuum impositionem in omnibus singulis communitatibus constituti; hi plurimum erant nonnisi missionarii altioribus muneribus ornati, quare non ubique, non in omnibus civitatibus erant (Didache 13, 4), cum certe in omnibus civitatibus maioribus essent praepositi liturgici. Hi prophetae potuerunt esse laici; immo etiam filiae Philippi diaconi prophetabant (Act 21, 9), sed mulieres nunquam poterant administrare munus ecclesiasticum. Hi apostoli, prophetae et doctores extraordinarii charismatici postea evanuerunt; si fuissent per se praepositi ordinarii, usque hodie permanere debuissent. Ceterum saltem aliqui horum prophetarum ob suam dignitatem et virtutem personalem ut praepositi proprii et eo ipso ut sacerdotes (episcopi) constituti esse videntur. Nam (cap. 13) dicuntur „summi sacerdotes": „ipsi enim sunt summi sacerdotes" (*αὐτοί γάρ εἰσιν οἱ ἀρχιερεῖς ὑμῶν*); sed *ἀρχιερεύς* significat virum ornatum dignitate et iuribus, quae in Vetere Testa-

[1]) *Ludwig*, Zur Lehre vom Kirchenamt in der Didache (Hist. pol. Blätter 1901, t. 128, 732 ss).

mento summi sacerdotis erant. Quatenus erant proprii praepositi certe sedem fixam habebant, saltem ad tempus diuturnius. Illis temporibus communitates non ubique constitutionem et gubernium idem habuisse videntur; in aliis fuisse videntur praepositi charismatici (prophetae), in aliis non charismatici, aliae minores sine praepositis ordinatis fuisse, sed tantum hincinde ab prophetis externis invisae esse videntur. — 3. *Falsum est, ante saeculum 3. in singulis communitatibus non viguisse monarchiam;* epistolae ad Timotheum et Titum, Apocalypsis cap. 2 et 3, epistolae Clementis et Ignatii, Pastor Hermae et Irenaeus norunt nonnisi unum proprium caput singularum civitatum, et hic dicitur episcopus, etsi voces episcopi et presbyteri temporibus primitivis interdum promiscue adhibentur. — 4. *Ex rationibus pure naturalibus non potest declarari, quomodo intra annos vix centum totus orbis christianus simul ubique terrarum eandem organisationem exteriorem assumpserit, et quomodo hic status* 332 *usque hodie permanserit.* Harnack ipse concedit, omnes institutiones ecclesiasticas quoad cultum, disciplinam et regimen externum, quae adhuc hodie constant, iam saeculo secundo substantialiter ab ecclesia esse conditas, et hanc esse rem valde obstupendam.[1]) Quomodo autem ecclesia subito saeculo secundo organisationem tam firmam et excultam sibi dare potuit, nisi iam antea fundamenta aderant? Quomodo simul in toto orbe christiano, non solum in imperio Romano, sed etiam ultra eius fines, ab Hispania usque ad Mesopotamiam, a deserto Libyco usque ad silvas Germaniae, ab Aegypto usque ad Britanniam et Hiberniam, omnes ecclesiae christianae particulares eandem organisationem assumere potuerunt, nisi eis persuasum fuisset, ita a Deo esse ordinatum? Quomodo id fieri valuit eo tempore, quo ordo ecclesiasticus ob continuas immanes persecutiones et schismata haeresesque inter Christianos ipsos exortas potius debuit dissolvi quam componi, eo tempore, quo gens post gentem a dominatione Romana descivit et sibi ipsa formam novam regiminis civilis dedit, eo tempore, quo barbari undique in fines Romanos ingredientes omnem ordinem humanum et divinum subvertere studuerunt? Quomodo permultae milliones Christianorum, cives Romani liberi, voluntarie se subiecissent potestati presbyterorum et episcoporum, nisi id ex iure divino faciendum esse cognovissent? Quare non invenimus motus et rebelliones populorum contra novitatem rerum iuribus suis et libertati maxime contrariam?[2])

---

[1]) „Nimmt man ferner hinzu, daß im zweiten Jahrhundert die Grundlagen für alles ‚Kirchliche' bis auf den heutigen Tag gelegt worden sind, so kann man nur staunen über die Größe der Leistung, die damals vollbracht worden ist." (Wesen d. Christent. 123).

[2]) Secundum aliquos (cfr. *Harnack*, Dogmengesch. I. 426 ss. — *Ritschl A.*, Die Entstehung der altkathol. Kirche 1850, 365 ss, 577 ss) Montanismus fuit reactio quaedam contra organisationem hierarchicam ecclesiae. At hic per se non reprobavit episcopatum divinitus institutum nec eius iura, sed fuit velut Novatianismus rigorismus excessivus docens, peccata capitalia non posse remitti ab ecclesia. Harnack ipse scribit, Montanistas petiisse a Pontifice Romano approbationem communitatum suarum eamque paene ac-

Nonne haeretici schismatici, Ariani, Nestoriani, Monophysitae, Graeci etc semper eandem organisationem episcopalem retinuere? Quomodo constitutio ecclesiae in tanta mutatione omnium rerum religiosarum, civilium et socialium usque hodie persistere semperque formam essentialiter parem conservare potuit, si fuit opus mere humanum?[1]) — Ceterum Harnack sibi ipse contradicit, una ex parte declarans, Protestantismum esse magis apostolicum quam Catholicismum, altera ex parte scribens, Reformationem vel tales formas amovisse, quae iam aetate apostolica viguissent, scil. in disciplina ieiunium, in constitutione externa episcopos et diaconos (Wesen des Christent. 178). Certe Catholicismus eiusmodi res non de medio tulit, sed usque hodie fideliter custodivit.

333 N o t a II. *Episcopi*, etsi sunt apostolorum successores legitimi divinitus instituti, tamen *non gaudent plena dignitate, auctoritate vel iurisdictione apostolica*. Non sunt sicut illi immediate a Deo vocati, non singuli infallibiles, non tenent iurisdictionem super universalem ecclesiam sicut illi, deest etiam donum charismatum.

---

cepisse, etsi imprimis Pontifex Romanus effecisset, ut novus ordo hierarchicus institueretur et constanter perduraret (l. c. 428, 431 s, 403). Etiam Hilgenfeld Protestans negat, Montanismum fuisse nonnisi reactionem contra ordinem hierarchicum tunc orientem (Die Ketzergeschichte des Urchristentums, 1884, 599). Immo Harnack concedit, diebus Tertulliani Montanistae ipsos laicos simplices non minus quam praepositos ecclesiarum cooperatos esse ad evehendam dignitatem episcoporum et presbyterorum (l. c. I, 421 N., cfr. etiam„ *Theol. Studien und Kritiken*", 1891, 154). Sicut idem disserit, monachatus, etsi dicitur fuisse nonnisi reditus ad res ideales ecclesiae primitivae, et etsi valde diffusus erat et magnam vim super animos habebat, ne ipse quidem ausus est aggredi episcoporum condicionem et iurisdictionem singularem (Das Mönchtum, ed. 4, 1895, 26—27): „Es ist eine der frappantesten geschichtlichen Beobachtungen, daß die Kirche gerade in der Zeit, wo sie immer mehr sich als Rechtsinstitut und Sakramentsanstalt ausbildete, ein christliches Lebensideal entwarf, welches nicht in ihr, sondern nur neben ihr verwirklicht werden konnte. . . Das Mönchtum . . machte mit dem Gedanken Ernst, daß das Christentum *Religion* sei und Hingabe des Lebens von dem Individium fordere. Es ist aber ein Beweis für die außerordentliche Macht, mit der sich die Kirche bereits in den Gemütern der Menschen festgesetzt hatte, daß das Mönchtum bei seinem Auftreten es nicht mehr, wie jene Montanisten, gewagt hat, an der Kirche Kritik zu üben . . . Überschlägt man, welch eine Begeisterung, welch ein Fanatismus sich rasch in den Mönchskolonien ausbildete, so kann man nur staunen, wie spärlich und unwirksam Angriffe auf die Kirche gewesen sind, wenn sie auch durchaus nicht ganz gefehlt haben . . . Allerdings trat hie und da eine Spannung ein zwischen Geistlichen und Mönchen; man verachtete wohl auch die P e r s o n e n dort, aber nicht mehr." — Idem dicit (Dogmengeschichte III, 474 ss), illos motus medii aevi, qui vocantur antihierarchiani et antereformatorii, nonnisi se opposuisse excessibus et abusibus veris vel putativis, neque oppositionem waldensicam, lombardicam, apocalyptico-ioachimicam, franciscanam, imperialisticam, conciliarem, wiclifiticam, husiticam vel humanisticam aggressam esse characterem iuristicum vel sacramentalem ecclesiae, extra et contra quam non salus esset. Declarat, Catharos, Albigenses aliosque reiicientes constitutionem hierarchicam et sacramenta ecclesiae fuisse Manichaeos, dualistas vel pantheistas, et eo ipso extra ecclesiam stetisse.

[1]) *Harnack* saepius non potest non efferre summis laudibus unitatem, firmitatem constantiamque eximiam ecclesiae catholicae, e. gr., Wesen des Christ. 153: „Die römische Kirche ist das umfassendste und gewaltigste, das komplizierteste und doch am meisten einheitliche Gebilde, welches die Geschichte, soweit wir sie kennen, hervorgebracht hat."

N o t a III. *Controvertitur, utrum episcopi singuli iurisdictionem suam pariter ac potestatem ordinis immediate a Deo accipiant, an a Deo mediate per Papam.*[1]) Certe potestas iurisdictionis eorum est immediata et ordinaria eatenus, quatenus a Deo ipso immediate, non ab hominibus seu ecclesia instituta est. Illi, qui dicunt, etiam singulos episcopos immediate a Deo iurisdictionem recipere, advocant praesertim Act 20, 28: „Vos Spiritus S. posuit episcopos regere ecclesiam Dei;" item antiquitatem christianam, qua saepe episcopi a populo vel clero electi immediate susceperunt gubernacula ecclesiastica. Sed et ipsi concedunt, Papam ex iure canonico iurisdictionem episcoporum limitare posse. Alteri, qui contendunt, episcopis singulis iurisdictionem non immediate a Deo, sed immediate a Papa tradi, rationes hauriunt praecipue ex tota monarchica constitutione et organisatione ecclesiae, cuius caput est Papa; item ex facto, quod candidatus episcopatus iurisdictionem suam non ex ipsa ordinatione recipit, sed iam antea recipere potest per confirmationem Summi Pontificis; pariter ex eo, quod idem Pontifex hanc iurisdictionen ex iustis causis restringere, immo prorsus adimere valet. Etiam *S. Bonav.* scribit:[2]) „Ab ipso (Summo Pont.) manat in omnes inferiores per universam ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in caelo ab ipso fonte totius boni, Christo Iesu, fluit omnis gloria Sanctorum." „Primus et praecipuus est Summus Pontifex, cui tota ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores ecclesiae rectores curam et totam potestatem, quam habent super subditos, ab ipso accipiunt, mediate vel immediate." **334**

N o t a IV. Parochis et ceteris presbyteris vi divinae institutionis per se non competit magisterium nec gubernatio ecclesiae. Christus solis apostolis dixit: docete omnes gentes baptizantes eos etc vel: quaecumque alligaveritis etc. Secundum antiquam traditionem presbyteris non licuit, sine permissione episcopi docere, baptizare etc, ut patet iam ex epistola S. Ignatii ad Trall. cap. 8. supra citata. Pius VI. 1794, reiecit th. 9 et 10. synodi Pistoriens. asserentis, parochos aliosve sacerdotes in synodis dioecesanis simili iurisdictione gaudere ac episcopos (Denz. 1509 s). **335**

Cfr. *Franzelin*, th. 9, 15 et 16. — *Bellarmin*, l. 1—2. — *Ballerini* (fratres) de potestate ecclesiastica, c. 1. — *Zaccaria*, Antifebronianus vindicatus, diss. 3. — *Doellinger*, Christentum und Kirche, 44 ss. — *Hergenröther*, Kathol. Kirche und christl. Staat, t. 1, 865 ss. — *Palmieri Dom.*, th. 28 s. — *Wilmers*, 287 ss. — *de Groot*, qu. 12. — *Bouix*, tractatus de episcopo, ed. 2, 1873. — *Gobet L.*, De l'origine divine de l'Épiscopat, 1898. — *v. Dunin = Borkowski*, Die neueren Forschungen über die Anfänge des Episkopats, 1900. — *A. Michiels*, De origine episcopatus. Lovanii 1900. — *H. Bruders*, Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten der apostol. Wirksamkeit an bis zum Jahre 175 n. Chr. Mainz 1904. — *Straub*, I. th. 7.

§ 9. De primatu S. Petri apostoli.

Protestantes reprobantes omnem iurisdictionem ecclesiae divinam eo ipso reiiciunt primatum Petri, immo dixerunt Papam antichristum etc. Gallicani, Iosephini, Febroniani (Nicol. de Hontheim), Regalistae (Petrus de Marca, Dupin, Tamburini, Eybel, Van Espen), Vetere - catholici moderni tenuere quidem iurisdictionem divinitus datam ecclesiae, scil. episcoporum et conciliorum, sed negavere primatum iurisdictionis Summi Pontificis. Concesserunt quidem *primatum honoris*, ita ut Papa esset primus episcopus inter pares et gauderet praerogativis externis quibusdam; vel summum attribuerunt ei *primatum auctoritatis* seu ius quoddam inspectionis et directionis quoad alienas dioeceses, similiter ac decanus quoad parochos habet, non autem propriam potestatem praeceptivam. Itaque **336**

[1]) De controversia de hac re in Conc. Trident. habita cfr. *Zeitschrift für kath. Theologie*, 8, 453 ss.

[2]) Quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant, 3. et 8.

asseruerunt quoque, S. Petrum nonnisi habuisse primatum quendam excellentiae, quia fide et amore in Christum ceteros apostolos superasset, et ideo ei obtigisse primatum quidem honoris, non autem verum primatum iurisdictionis super ceteros apostolos. Vel docuerunt, Christum non directe et immediate caput ecclesiae instituisse Petrum, sed soli ecclesiae iurisdictionem dedisse, et deinde ecclesiam Petro, resp. Summo Pont. ius suum tribuisse. — Hanc opinionem damnavit *Conc. Vatic.* (4. cap. 1): „Si quis dixerit, beatum Petrum apostolum non esse a Christo Domino constitutum apostolorum omnium principem et totius ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque iurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Iesu Christo directe et immediate accepisse, a. s."

Dogma catholicum, S. Petro datum esse iurisdictionis primatum super omnes apostolos et totam ecclesiam, probatur:

A) Scriptura S.

337 I. Loci aliqui certe S. Petro tribuunt primatum quendam honoris et innuunt primatum iurisdictionis. 1) Christus ipse nomen eius prius „Simon" in „Petrus" mutavit idque iam tum, cum primum eum conspexit (Io 1, 42). Certe Christus (Mc 3, 17) etiam Ioannem et Iacobum Zebedaidas vocavit „Boanerges" = filii tonitrui. Sed hac denominatione non mutavit eorum nomina, sed tantum increpuit eos, quia optaverant, ut ignis de caelo super civitatem quandam Samaritanorum descenderet (Lc 9, 53 ss); quare postea hoc nomen eis nunquam datur, cum Simon plerumque appelletur Petrus vel Simon Petrus. — 2) Petri nomen in omnibus catalogis apostolorum primum locum tenet (Mt 10, 2; Mc 3, 16; Lc 6, 14; Act 1, 13), etsi Petrus quoad tempus non primus discipulus Christum secutus erat, sed Andreas (Io 1, 35 ss). — 3) Petrus saepius iuxta alios speciatim citatur, e. c. (Mc 16, 7): „Ite, dicite discipulis eius et Petro"; cfr. Mc. 1, 36; Act 2, 14; 1 Cor 15, 5. — 4) Falsum est cum Schnitzer etc dicere, hanc excellentiam S. Petro datam esse ob virtutes personales. Non hic, sed Ioannes fuit ille discipulus, quem Iesus ob virtutes personales maxime diligebat. — 5) Hoc apparet praesertim ex eo, quod Christus a morte redivivus ante omnes alios apostolos primo apparuit Petro. Discipuli duo ab Emmaus reversi „invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni". (Lc 24, 33 s). „Visus est Cephae, et post hoc undecim." (1 Cor 15, 5). Certe Petrus tunc temporis minime dignus fuit, cui ob virtutes personales haec gratia singularis obtingeret. Nam paulo ante solus ex omnibus discipulis magistrum suum formaliter negaverat, expresse dicens idque anathematizans et iurans: „quia nescio hominem istum" (Mc 14, 71).

Hic favor non datus est S. Ioanni, etsi Iesum solus omnium sub crucem secutus erat (Io 19, 26 s).

II. Mt 16, 18—19: „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et 338
super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis." His verbis promittitur Petro primatus iurisdictionis super totam ecclesiam. Nam „ecclesiam meam" nihil nisi ecclesiam universalem significare potest. Vox „aedificabo" significat, Petrum futurum esse fundamentum domus ecclesiae, et ad ecclesiam se similiter habiturum esse ac fundamentum ad domum, scil. domum ecclesiae fundando, stabiliendo, portando, a ruina custodiendo. Quare dicitur Petrus seu lapis fundamentalis firmus. Vox „claves" designat plenam et supremam potestatem super aliquam domum, id quod patet ex Is 22, 29, ubi potestas praepositi summi palatii regii sic describitur: „et dabo clavem". Ergo claves regni caelorum significant potestatem supremam et plenariam super ecclesiam. Ceteri apostoli acceperunt quidem et ipsi facultatem ligandi et solvendi (Mt 18, 18), at „claves regni caelorum" traduntur soli Petro, non aliis apostolis: ex quo patet, potestatem eorum minorem fuisse quam Petri eosque Petro esse subordinatos. — Ad vim huius loci enervandam innumerabiles anfractus tentati et factae sunt

Obiectiones.

1. Dicitur: *Ex distincta forma: Petrus, petra sequitur: id quod* 339
valet de petra, non valet de Petro. — Resp. Christus usus est lingua syro-chaldaica, sed in hac non occurrit duplex genus seu forma masculina et feminina, sed solum verbum Kephas = petra (petrus). Quia autem Mathaeus evangelium suum scripsit in lingua hebraica, textus originalis non habuit formam duplicem distinctam: petra et Petrus, sed solum Kephas, sicut et versio chaldaica, syriaca, persica etc hanc duplicitatem generis non habent. Haec est nonnisi in textu graeco et ex eo transiit in Italam et Vulgatam. Vox Kephas significat tum nomen proprium (apostoli Petri) tum nomen appellativum (saxum), et quia in lingua graeca „saxum" solet dici *πέτρα*, non *πέτρος*, distinxit translator inter Petrum (nomen proprium) et petram (nomen appellativum).

2. *Patres non raro referunt „petram" non ad apostolum Petrum, sed ad omnes apostolos vel ad Christum vel ad fidem eiusmodi vivam, quam Petrus antea confessus est.* — Resp. Iam antiqui Patres velut Origenes,[1]) Tertullianus,[2]) Cyprianus[3]) etc referunt „petram" ad Petrum. Patres biblium saepe interpretantur non stricte in sensu

[1]) Comm. in Math. tom. 12, n. 11; M. 13, 1003.
[2]) De praescr. 22; M. 2, 34.
[3]) De unit. eccl. 4; M. 4, 500.

proprio et litterali, sed praesertim in homiliis ad usus practicos allegorice, mystice etc. At hac expositione non negant sensum obvium. S. Augustinus e. c. refert „petram" tum ad Christum tum ad apostolos tum ad fidem.[1]) At idem[2]) vocat illos miseros, qui „in Petro petram non intelligunt"; saepius attribuit S. Petro „apostolatus principatum".[3]) — Certe primarie Christus dici potest petra ecclesiae, quia est auctor et caput invisibile ecclesiae, a quo S. Petrus omnem auctoritatem suam recepit. Necnon fides[4]) Petri dici potest petra; nam fides eius, quam manifestavit verbis: „Tu es Christus, Filius Dei vivi", est causa quasi meritoria, quare Petro primatus datus sit; item fides in deitatem Christi est petra et fundamentum totius confessionis christianae. Non minus possunt etiam apostoli vocari petra, quia ecclesia superaedificata est „super fundamentum apostolorum" (Eph 2, 20), etsi Petrus est petra principalis.

340 3. *Petrus in nomine aliorum apostolorum fidem in divinitatem Christi confessus est; ideo Christus etiam ei pro aliis claves caelorum commisit.* — R. Non est verum, S. Petrum in nomine et ex delegatione aliorum fidem hanc professum esse. Christus prius interrogavit: „Quem dicunt homines esse filium hominis?" et ad hoc apostoli singuli responsiones dederunt: „at illi dixerunt: alii Ioannem Baptistam" etc. Deinde interrogavit eos: „Vos autem, quem me esse dicitis?" Tum Petrus solus, non cunctatus, non ab aliis admonitus nec delegatus, respondit: „Tu es Christus, Filius Dei vivi" (Mt 16, 13 ss). Certe Patres aliqui dicunt, Petrum etiam pro aliis apostolis fidem pronuntiasse, sed nemo dicit, Petrum ab eis esse iussum seu delegatum. Certe S. Augustinus[5]) ait, verba: „tibi dabo claves" etc referenda esse etiam „ad ecclesiam, cuius ille (Petrus) agnoscitur in figura gestasse personam." At idem Augustinus dicit:[6]) „cuius ecclesiae Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam." Etiam hoc loco S. Augustinus expresse attribuit Petro apostolatus primatum, et apparet eum voluisse dicere: Petrus potestatem iurisdictionis non per ecclesiam a Deo recepit, sed a Deo pro ecclesia seu ad commodum ecclesiae. Vicem quidem gessit totius ecclesiae, sed non aliter ac paterfamilias repraesentat familiam totam vel rex vicem gerit totius civitatis, scil. quia est caput natum eius, non quia ab ea auctoritatem suam recipit.

[1]) E. c. serm. 76, 1; M. 38, 479. — Serm. 149, 6; M. 38, 802.
[2]) De agone christ. 31, 33; M. 40, 308.
[3]) De bapt. 2, 1, 2; M. 43, 127. Cfr. Specht, § 20.
[4]) *Protestantes communiter censent*, Petrum ideo dictum esse petram, quia Petrus ut primus omnium fidelium accepisset claves regni caelorum, id est rectum usum doctrinae Christi, id quod exprimunt voces: solvere et ligare. Hanc opinionem Dr. theol. Krüger, professor universitatis Giessensis, vocat minime omnium probabilem (Hefte zur Christl. Welt, n. 28, 1897, p. 16).
[5]) Enarr. in ps. 108, n. 1; M. 37, 1432.
[6]) Tract. 124 in Io. n. 5, M. 35, 1973.

4. Moderni Protestantes valde hypercritici et alias negantes divinitatem Iesu Christi et divinam institutionem ecclesiae et primatus Petri, incunctanter concedunt, textum nostrum docere primatum Petri, sed negant, hunc textum esse genuinum.[1]) At hunc locum esse genuinum, iam supra (n. 258 s) vidimus.[2])

III. L c 22, 31 s: „Simon, Simon, ecce Satanas expetivit v o s, **341**
ut cribaret sicut triticum; ego autem rogavi pro t e, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Hic locus manifesto similis est Mt 16, 17 ss. Sicut ibi portae inferi ecclesiam oppugnant, sic heic Satan apostolos et discipulos. Sed sicut ibi vincetur, quia ecclesia aedificata est super petram (Petrum), ita secundum hunc locum succumbet, quia Dominus rogavit pro Petro, et postulavit, ut ipse confirmaret fratres suos. Non sufficit referre hunc textum ad negationem Petri, qua fides eius succubuit; nam Satanas expetivit etiam alios apostolos („vos") et etiam eorum fides in passione Christi succubuit, quare et ipsi egebant oratione et gratia Christi confirmante. Absque dubio Salvator divinus, qui pro ipsis inimicis suis orabat, etiam pro aliis apostolis oravit; sed sicut textus noster indicat, speciatim pro Petro rogavit, ne a diabolo prorsus superaretur, et ut fratres suos confirmare valeret in fide. Nonne his verbis primatus quidam officii exprimitur? Nam Dominus immediate ipse omnes apostolos in fide confirmare potuisset; non autem fecit, sed voluit, ut Petrus eos confirmaret. Is hoc fecisse videtur iam die resurrectionis Domini; nam Scriptura narrat, Iesum primo apparuisse Petro, et hunc alios discipulos de hac re certiores fecisse (Lc 24, 34; cfr. n. 337).

IV. I o 21, 15 ss: „Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, **342**
diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas." Hisce verbis Christus primatum antea promissum post resurrectionem Petro solemniter commisit. Ex hoc apparet:

1. *Haec verba immediate ad Petrum eumque solum directa sunt.*

2. *Continent collationem potestatis iuridicae et pastoralis*, id quod elucescit ex verbis: pasce agnos, pasce oves. Agni vel oves significant gregem seu societatem pastoris regimini subiectam. Pascere designat regere, gubernare, e. c. Ez 34, 23 dicit Deus de Messia, rectore gentium: „Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, ipse pascet eas."

---

[1]) Cfr. *Otto Pfleiderer*, Das Urchristentum.[2] Berlin 1902. I. 541. 518. 583 s.
[2]) De loco Mt 16, 18—19; cfr. *Batiffol* chap. 2. Excursus A.

3. Per agnos et oves, quae Petro pascendae committuntur, manifesto intelligendi sunt tum simplices fideles tum eorum pastores. Idem sequitur ex Lc 22, 32, ubi Petrus a Christo admonetur, ut confirmet in fide fratres suos seu ceteros apostolos.

Obiectiones.

1. Christus ipse dicit se pastorem bonum, ergo Petrus pastor ecclesiae esse nequit vel habere potestatem regiminis. — R. Christus est pastor invisibilis ecclesiae; at haec eget etiam pastore et capite visibili, et hic est Petrus. Christus est pastor primarius, Petrus pastor ministerialis et quasi instrumentum, quo Christus utitur ad ecclesiam regendam.

2. Christus a mortuis resuscitatus ideo Petro iurisdictionem tradidit, quia Petrus eum negaverat et sic iurisdictione indignus factus erat illa, quam Christus antea (Mt 18, 18) omnibus apostolis dederat: „quaecumque alligaveritis“ etc. — R. Omnes apostoli Christum patientem deseruerant et indigni facti erant potestate ligandi ac solvendi, attamen Christus non eis, sed soli Petro dixit: pasce oves meas. Etiam Harnack censet, Io 21, 15 ss traditionem solemnem officii pastoralis ad Petrum significare, et comparat hunc locum cum Mt 16, 18.

343 V. Petrus immediate post ascensionem Christi functus est primaria sua potestate a Christo accepta. Id fecit docendo, ministros ecclesiae instituendo, leges ferendo, fideles impios increpando, infideles in ecclesiam recipiendo, sicut clare elucescit ex Actibus apostolorum. Ipse auctor fuit, ut loco Iudae alius apostolus eligeretur, et statuit tum condiciones eligendo necessarias tum modum electionis (Act 1, 15 ss). Ad quem locum commemorat S. Chrysost.:[1]) „Quid ergo, an Petrum ipsum eligere non licebat? Licebat utique; sed ne videretur ad gratiam facere, abstinet.“ Ipse die Pentecostes primus prodiit et concionem primam habuit; ipse primum miraculum patravit claudum in templo sanando (c. 3); ipse Ananiae Saphiraeque mendacium et hypocrisim detexit eosque castigavit (5, 1 ss); ipse primos Paganos in ecclesiam admisit Deo miraculose ordinante (c. 10); ipse in concilio apostolorum Hierosolymis congregato primus surrexit, et alii consilium eius approbavere (15, 7 ss). Actus apostolorum in prima parte praecipue res a Petro gestas tradunt, de aliis apostolis excepto S. Paulo minus referunt. — Passim et saepissime primus apostolus nominatur Petrus vel Kephas, non iam Simon cum omnes alii apostoli nomen primitivum retinerent. Non legimus, Saulum ab ipso Christo nominatum esse Paulum.

Obiectiones. 1. S. Paulus (1 Cor 12, 28 et Eph 4, 11) enumerat officiales ecclesiasticos, scil. apostolos, prophetas, doc-

[1]) In act. ap. h. 3, n. 2; M. 60, 36.

tores, evangelistas, pastores, sed silet de primatu Petri. — R. Silet idem in utroque loco de presbyteris, episcopis, diaconis, et certe hi sunt praepositi ecclesiae, de quibus alibi mentio est. — 2. S. Paulus (Gal 2, 11) restitit Petro in faciem, quia quoad circumcisionem nimis Iudaeis indulsisset. — R. Paulus non negat primatum Petri, dumtaxat vituperat eum, „quia reprehensibilis erat". Ipse Paulus agnovit primatum Petri, quia secundum Gal 1, 18 ante itinera praedicationis magna ex professo Ierusalem venit „videre Petrum". Ad quem locum notat Marius Victorinus Afer (saec. 4)[1]: „Subiungit (Paulus) causam, videre Petrum. Etenim si in Petro fundamentum ecclesiae positum est, ut in evangelio dictum, cui revelata erant omnia, Paulus scivit videre se debere Petrum quasi eum, cui tanta auctoritas a Christo data esset, non ut ab eo aliquid disceret." Item Ambrosiaster:[2]) „Dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, cui delegaverat Salvator curam ecclesiarum, non utique, ut aliquid ab eo disceret, quia iam ab auctore didicerat, a quo et ipse Petrus fuerat instructus". — Accedit quod S. Paulus coapostolo suo passim nomen Petri vel Kephae attribuit.

B) Ex Traditione.

1. Praeter locos iam citatos in medium proferantur nonnisi 344
haecce testimonia. *Tertullianus:*[3]) „Memento, claves eius hic Dominum Petro et per eum ecclesiae reliquisse." — *S. Cyprianus:*[4]) „Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam, et unde unitatis originem instituit, potestatem istam dedit, ut id solveretur in caelis, quod ille solvisset in terris." — Patres saepe dicentes, omnes apostolos habuisse eandem potestatem, non negant primatum Petri. Omnes apostoli enim pariter a Christo immediate vocati sunt, pariter ab eo receperunt mandatum praedicandi evangelium et iurisdictionem super totum orbem; omnes gavisi sunt dono inspirationis divinae et aliorum charismatum. At eiusmodi pares praerogativae non excludunt, Petro soli speciale privilegium primatus datum esse, et hoc iidem Patres sexcentis in locis concedunt. E. c. *S. Hieronymus* scribit:[5]) „At dicis, super Petrum fundatur ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat et cuncti claves regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio." Immo iam *S. Cyprianus* idem declaravit (De unit. eccl. c. 4; P. L. 4, 498 ss).

2. De hoc cap. 4 scripti S. Cypriani „De unitate ecclesiae" 345
habemus duo textus, qui essentialiter inter se conveniunt. Textus, qui

[1]) In ep. Pauli ad Gal. 1, 15; M. 8, 1155.
[2]) In ep. ad Gal. 1, 18; M. 17, 364.
[3]) Scorpiace 10; M. 2, 142.
[4]) Ep. 73, 7; M. 3, 1114; cfr. de unit. eccl. 4; M. 4, 500.
[5]) Adv. Iovinian. 1, 26; M. 23, 247.

a *G. Hartel* constitutus est secundum regulas artis criticae modernae (Vindobonae 1868) sonat post citatos Mt 16, 18 s et Io 21, 15: „*Super unum aedificat ecclesiam;* et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mittam vos; accipite Spiritum S.; si cuius remiseritis peccata, remittentur illi etc (Io 20, 21 s), tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus pari consortio praediti et honoris et potestatis, *sed exordium ab unitate proficiscitur*, ut ecclesia Christi una monstretur . . Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiae renititur et resistit, in ecclesia se confidit?" Sed *valde dubitari potest, an hic textus, qui dicitur genuinus et criticus, vere genuinus et criticus sit.* Nam praesertim *J. Chapman:*[1]) ex argumentis interioribus et exterioribus ostendit, a S. Cypriano ipso duos textus provenire, quorum prior magis convenit cum textu ab Hartel procurato; textus posterior autem etiam plus primatum Petri effert; nam ibi legimus inter alia: „unam tamen cathedram constituit . . sed *primatus Petro datur* et una ecclesia et cathedra una monstratur . . *Qui cathedram Petri, super quem fundata ecclesia est, deserit, in ecclesia se esse confidit?*"[2])

346 N o t a I. — Ex his aliisque verbis S. Cypriani iam citatis vel citandis videas, quantopere errent *Hugo Koch, Jos. Schnitzer* aliique Modernistae cum Protestantibus sentientes, Cyprianum non novisse papatum neque quoad Dogmaticam neque quoad Ius ecclesiasticum (Hugo Koch). Concedi potest, ex Cypriani scriptis, etiam ex libello „De unitate ecclesiae" aliquos locos primatui Romani Pontificis adversari videri; hincinde ut Cicero pro domo loquitur, praesertim cum doctrinam et praxim ecclesiae Romanae de validitate baptismi ab haereticis collati impugnaret; quare non raro sibi ipse contradicere videtur. Sed valde errat H. Koch censendo Sanctum in libello „De unitate ecclesiae" ex professo impugnare primatum Papae. Hoc non cogitat, sed ex professo agit nonnisi de necessitate unitatis ecclesiae contra haereticos et schismaticos (Felicissimum, Novatianum aliosque), et hac occasione declarat ecclesiae Romanae debere primatum, in ea fundari, ab ea dependere unitatem totius ecclesiae. Quare S. Cyprianus non ut adversarius, sed saltem ut fautor primatus Papae considerandus est, etsi eius doctrina nondum ubique cum consequentia proponitur.

Cfr. *J. Ernst*, Cyprian und das Papsttum (Der Katholik). Mainz 1911—12. — *A. Kneller*, in: Zeitschrift f. kath. Theol. 1912, 280 ss). Idem in: Stimmen aus Maria-Laach. Ergänzungsheft 115, 1914, 31 ss. — *A. Seitz*, Modernistische Grundprobleme etc. Köln 1912, 42 ss. Idem: Cyprian und der römische Primat. Regensburg 1911.

347 N o t a II. — *S. Paulo non competit idem primatus iurisdictionis, nec is simul cum S. Petro unum caput morale ecclesiae constituit.* Petrus et Paulus celebrantur quidem ut praecipui apostoli et principes ecclesiae, Romani Pontifices decreta sua niti solent auctoritate Petri et Pauli apostolorum. Verumtamen hoc modo dicendi S. Paulus nullatenus dicitur particeps esse primatus eius, qui convenit S. Petro, vel in eodem sensu esse caput

---

[1]) Les interpolations dans le traité de S. Cyprien sur l'unité de l'église (Revue Benedictine, Maredsous 1902, tom. 19, 246 ss, 357 ss; t. 20, 1903, 26 ss; tom. 27. 1910, 447 ss.

[2]) Cfr. etiam *P. Batiffol*, L'Église naissante, chap. 8, Excursus E: „Les deux éditions du De unitate ecclesiae."

ecclesiae quo Petrus. Haec denominatio est titulus potius honoris quam iuris. Secundum Scripturam Paulus non proprie ecclesiam Romanam fundavit, sed secundum Rom. 1, 8 fides Romanorum iam in universo mundo nota erat, priusquam Paulus Romam vidit; et ipse dicit (Rom 15, 20), se Romae non super alienum fundamentum aedificare velle. Traditio in omni ecclesia unum solum episcopum novit, non duos, et Romae primus episcopus fuit Petrus, ut videbimus. SS. Patres S. Petrum quidem saepe vocant apostolorum caput, non autem S. Paulum. Innocentius X. 24. Ian. 1647. (Denz. 1091) damnavit ut haereticam sententiam gallicanam: „S. Petrus et S. Paulus . . sunt duo ecclesiae summi pastores ac praesides, qui unicum caput constituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam aequalitatem inter S. Petrum et S. Paulum sine subordinatione et subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et regimine universalis ecclesiae."

Cfr. *Leo Allatius*, De ecclesiae occidentalis et orient. perpetua consensione, 1648, l. 1, capp. 2 ss. — *Bellarmin*, De Summo Pontif., l. 1, cc. 10 ss. — *Suarez*, Defensio fidei cathol. adv. Anglicanos, l. 3, c. 10. — *Zaccaria*, dis. 2.— *Doellinger*, Christentum etc, 44 ss. — *Palmieri*, l. c., de ecclesiae capite, pars 1. — *Passaglia*, commentar. de praerogativis b. Petri, 1850. — *Schanz*, III, § 12. — *Wilmers*, 148 ss. — *Andries*, Cathedra Romana, 1872, p. 316 ss. — *de Groot*, qu. 13. — *Nic. Card. Marini*, Il primato di S. Pietro et de'suoi successori in S. Giovanni Crisostomo. Roma 1919. — *Fritz Tillmann*, Jesus und das Papsttum. Köln 1910. — *Straub*, I. th. 3—6.

§ 10. De successione Romani Pontificis in primatu S. Petri.

I. Primatus Petri in ecclesia Dei permanere debet.

Hoc est dogma formale. *Vatic.* (4, c. 2) definivit: „S. q. d., **348**
non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem, a. s." — Hoc dogma patet ex indefectibilitate ecclesiae. Haec debet perdurare usque ad finem mundi et perdurabit ob eam ipsam causam, quia est fundata super petram seu Petrum, sicut prodit ex verbis: „Tu es Petrus . . . et portae inferi non praevalebunt adversus eam." Quia ergo ecclesia usque ad consummationem saeculi persistere debet; quia haec permanentia intime cohaeret cum primatu Petri: hic primatus a morte Petri cessare non potest, sed usque ad finem mundi maneat oportet. — Certe non legimus, Christum mandatum dedisse, ut primatus perseveret, sed nec scriptum est, apostolos iussos esse in suum locum episcopos instituere, attamen hoc Gallicani concedunt. — Sicut ipse Doellinger[1]) disserit, primatus Petri seu papatus fundatur in tota natura et architectonica ecclesiae, requiritur ab eius visibilitate et unitate, cum nulla societas, nedum ecclesia, quae omnes nationes usque ad finem mundi amplecti debet, sine culmine et centro unitivo constare possit. Historia ecclesiarum schismaticarum et Protestantismi est optimum testimonium pro necessitate papatus.

II. S. Petrus Romae episcopus mortuus est.

Haec est traditio unanimis totius ecclesiae antiquae orien- **349**
talis et occidentalis. Petrum Romae vixisse ibique obiisse testis

[1]) Kirche und Kirchen, p. 25 ss.

est iam S. Clemens Romanus,[1]) Ignatius Ant.;[2]) Caius Romanus,[3]) qui floruit Romae tempore Zephyrini Papae (199—217), testatur Petrum Romae obiisse ibique esse sepultum; postea Tertullianus[4]). Alii addunt vel innuunt, eum fuisse primum episcopum ibi, velut Irenaeus,[5]) Eusebius[6]). Optatus Milevit:[7]) „Negare non potes scire te, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus . . in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent." — Item omnes catalogi Pontificum Rom., qui exstant, designant S. Petrum primum episcopum Romae, e. c. apud Irenaeum[8]), Epiphanium,[9]) Optatum Milevit.[10]) — Idem testantur peregrinationes antiquitus Romam ad sepulchrum S. Petri habitae. — Ante 16 saeculum nemo nec catholicus nec haereticus nec schismaticus negavit, Petrum fundasse ecclesiam Romae ibique fuisse episcopum et mortuum. Adversarii, Protestantes etc contra hanc unanimem traditionem ne unum quidem positivum testimonium in medium proferre possunt; tantum negativa obiiciunt, praesertim id, quod S. Paulus in epist. ad Romanos multos quidem Romanos salutat, sed non S. Petrum. At verisimile est, eo tempore, quo Paulus ad Romanos scripsit, Petrum non fuisse Romae, cum secundum Act 18, 2 sub imperatore Claudio omnes Iudaei, inter quos tum Christiani ex Iudaeis oriundi numerabantur, Roma relegati essent. Ceterum testimonium negativum nihil valet contra multa positiva. Etiam Harnack Ad.[11]) maxime credibile („sogar recht glaubhaft") putat, Petrum Romae fuisse. *Hans Lietzmann*, theol. protestanticus,[12]) ostendit ex monumentis liturgicis et archaeologicis, Petrum et Paulum Romae fuisse ibique ab initio sepultos esse[13]).

III. Primatus Petri annexus est sedi episcopali Romanae.

350 Ex eo, quod primatus in ecclesia perdurare debet; ex eo, quod Deo sic ordinante Petrus Romam sedem suam episcopalem elegit ibique obiit: ex eo ipso sequitur, necessario primatum ad Ponti-

[1]) Ep. ad Cor. c. 5 s; M. 1, 218.
[2]) Ad Roman. 4; Funk I, 257.
[3]) Apud Euseb. h. e. 2, 25; M. 20, 207.
[4]) Scorp. 15; M. 2, 151.
[5]) 3, 3; M. 7, 848 ss.
[6]) H. e. 3, 1; M. 20, 215.
[7]) De schism. Donat. 2, 2; M. 11, 947.
[8]) 3, 3, 2—3; M. 7, 848 s.
[9]) Haer. 27; M. 41, 374.
[10]) L. c. c. 3.
[11]) Dogmengesch. I[4], 180.
[12]) Petrus und Paulus in Rom. Bonn 1915.
[13]) Cfr. *Lecler*, De Romano S. Petri episcopatu, Lovanii 1888. — *Esser, W.*, Des hl. Petrus Aufenthalt, Episkopat und Tod zu Rom. Breslau 1889. — *Kneller*, Herr Soltau u. d. hl. Petrus, 1901. — *Schmid, J.*, Petrus in Rom, 1892. — Zeitschr. f. kath. Theol. 1902, 33 ss, 225 ss. — *H. Rinieri*, S. Pietro in Roma ed i primi papi. Torino 1909.

ficem Rom. spectare ita, ut nonnisi Pontifex Rom. possidere possit supremam iurisdictionem ecclesiae, sicut *Vaticanum* (4. c. 2) ait: „Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam ecclesiam obtinet.“ Pius IX. reiecit (syllab. n. 35) thesim, quam proposuerat Nuytz: „Nihil vetat, alicuius concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, Summum Pontificatum ab Romano episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem transferri.“ Papa residentiam etiam in alia urbe locare potest, sicut reapse pauci Papae Avenione habitabant, sed titulum et ius Pontificis Rom. dimittere nequit. — Reapse nullus alius episcopus ius primatus Petri sibi vindicare conatus est, ne Antiochenus quidem, etsi Petrus per complures annos Antiochiae fuit episcopus. Econtra traditio evidens docet, Petri primatum competere soli Pontifici Romano.

N o t a. — *Haec connexio primatus in totam ecclesiam cum sede Romana, utrum* **351**
sit iure divino an humano, certant theologi. Franzelin[1]) disserit, hanc connexionem non quidem iuris stricte divini esse, attamen inseparabilem, quia Petrus ipse quidem primatum Romanae sedi adnexuerit, verumtamen tali supernaturali assistentia et directione ductus, ut ne ipse quidem hoc vinculum solvere posset. — Sicut ostendit Granderath[2]), est negandum: „num vi Constitutionis Concilii Vatic. de primatu Pontificis Rom. tenendum sit, primatum in totam ecclesiam cum sede Romana iure divino immutabiliter connexum esse.“

IV. Testimonia antiquitatis de primatu Pontificis Romani.

1. *Pontifices Rom. primatum ab initio sibi vindicarunt.* Iam **352**
S. Clemens saeculo 1. exorta lite in ecclesia Corinthi direxit litteras ad Corinthios pacis restituendae causa et misit eo legatos ad rem inquirendam et diiudicandam: „Misimus autem viros fideles et castos . . qui et testes erunt inter vos et nos.“[3]) Quam epistolam Corinthii bene receperunt et etiam multo post publice legerunt sicut et aliam epistolam Soteris episcopi Romani (166—175). Scribit enim Dionysius episcopus Corinthius ad Soterem:[4]) „Hodie sacrum diem Dominicum transegimus. In quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis praeceptis ac documentis abundabimus.“ — In libro „de aleatoribus“[5]) dicit *episcopus Romanus anonymus* (probabilissime antipapa saeculi 3): „Magna nobis ab universa fraternitate cura successit . . quoniam nobis divina et paterna pietas apostolatus ducatum contulit, et vicariam Domini sedem caelesti dignatione ornavit, et originem authentici aposto-

[1]) Theses de ecclesia, pag. 211.
[2]) Constitutiones dogmaticae s. oecum. Concilii Vatic. ex ipsis eius actis explicitae atquae illustratae, 1892, 137 ss.
[3]) Ep. 1, cap. 63 (ed. Funk, 1901, p. 183).
[4]) Apud Eusebium, h. e. 4, 23; M. 20, 390.
[5]) Migne, P. L. 4, 827.

latus, super quem Christus fundavit ecclesiam." Sicut Eusebius tradit,[1]) *Victor Papa* fere „omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias" excommunicavit (in controversia de celebratione Paschatis). Firmilianus,[2]) episcopus Caesareae in Cappadocia, testatur *Papam Stephanum* contendisse se successionem Petri tenere. Idem tradit Tertullianus[3]) de *Papa Zephyrino*. Item *Caelestinus*,[4]) *Zosimus*[5]) et multi alii Papae hanc praerogativam sibi adscripserunt. Eiusmodi effata Paparum vera sunt, non arrogantia superba, nam tota antiquitas christiana et etiam ecclesia orientalis tenet, Romanam ecclesiam saltem usque ad Photium orthodoxam fuisse. Legatus Pontificis Rom. potuit non reprehensus coram omnibus episcopis Concilii Ephesini dicere: „Nulli dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctissimus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput fideique columna et ecclesiae catholicae fundamentum a Domino . . . claves regni accepit . . . qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet. Huius itaque secundum ordinem successor et locum tenens sanctus beatissimusque Papa noster Caelestinus."[6]) — *Leo I.*[7]) admonet, causas graviores et appellationes „secundum ecclesiasticum morem" ad suum forum spectare.

353 2. *Alii Patres Pontifici Rom. primatum attribuerunt.* Iam *S. Ignatius*[8]) scribit ad ecclesiam Romanam, *ἥτις καὶ προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων . . . προκαθημένη τῆς ἀγάπης* = „quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum . . et quae praesidet caritati" id est foederi caritatis = ecclesiae. Nam etiam ad Smyrn. 12, 1 scribit: „Salutat vos caritas (*ἡ ἀγάπη*) fratrum, qui Troade sunt;" ad Trall. 13, 1: „Salutat vos caritas (*ἡ ἀγάπη*) Smyrnaeorum et Ephesiorum;" et ad Philadelph. 11, 2: „Salutat vos caritas (*ἡ ἀγάπη*) fratrum in Troade." — *S. Cyprian.*[9]) dicit de schismaticis Romam iter facientibus: „Navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est." Idem nominat ecclesiam Romanam „ecclesiae catholicae radicem et matricem."[10]) —

[1]) H. e. 5, 24; M. 20, 498.
[2]) Ep. 75, n. 17. inter epist. S. Cypriani; M. 3, 1169.
[3]) De pudicit. 21; M. 2, 1025.
[4]) In ep. ad episcopos Illyr. M. 50. 428.
[5]) In ep. ad episc. Afric.; M. 45, 1726.
[6]) Harduin. acta concil. Paris 1715 ss 1, 1478.
[7]) Ep. 5 (ad episcopos Metropol. per Illyricum constitutos) c. 6; M. 54, 616.
[8]) Ep. ad Roman. tit. Cfr. *Funk*, Kirchengeschichtl. Abhandlungen und Untersuchungen 1897. I. 1 ss et Patres Apostol. I. 253.
[9]) Ep. 45, n. 14. (ep. 12. ad Cornel.); M. 3, 818.
[10]) Ep. 4 ad Cornel. n. 3; M. 3, 710. Varii theologi moderni sentiunt per „radicem et matricem" non intelligi ecclesiam Romanam, sed ecclesiam catholicam in genere, distinctam ab haereticis. Sed secundum totum scopum epistolae intelligenda est ecclesia Romana. Nam tum temporis contra papam Cornelium constitutus erat Romae antipapa, scil. Novatianus (a. 251). Hoc schisma animos non solum Romae, sed etiam in Africa et alibi multum perturbavit. Catholici aliunde Romam profecti nescierunt, utri adhae-

Ambrosiaster:[1]) „Ecclesia domus eius (Dei) dicitur, cuius hodie rector est Damasus.“ — *Optatus Milevit.:*[2]) „Iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem (Romanam) cathedram alteram collocaret.“

3. *Undique causae ecclesiasticae Pontifici Roman. iudicandae* 354
propositae sunt. Iam *S. Polycarpus* ex Asia minore Romam profectus est, ut cum Aniceto Papa de rebus ecclesiasticis ageret.[3]) — Episcopi Africani *Concilii Milevitani* (416) in causa Pelagiana adiere Innocentium I. „antiquae regulae formam secuti“.[4]) — *Synodus Sardicensis* (343) scripsit Iulio I:[5]) „Hoc optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.“ — S. Hieronymus nuntiat,[6]) se, cum in chartis ecclesiasticis Damasum Papam adiuvaret, Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus respondisse. Idem scribit,[7]) S. Athanasium et Petrum, episcopos Alexandrinos, ab Arianis pressos, Romam confugisse „quasi ad tutissimum communionis suae portum“. — Caelestinus Pont. Rom. potuit episcopis Illyricis respondere:[8]) „Inter ceteras curas et diversa negotia, quae ad nos ex cunctis veniunt semper ecclesiis.“ — Harnack ipse fatetur: Historiae ecclesiasticae Socratis et Sozomeni, quae in hac re sunt absque omni studio partium et reddunt sensum communem, nihil aliud sciunt nisi id, quod episcopus Romanus possidet auctoritatem singularem et ordinem ad ecclesiam universalem unicum sui generis.[9]) Accedit, quod nulli alii patriarchae ab episcopis concessum est se rebus alienis interponere, interpositio Pontificis Rom. autem non solum admissa, sed sponte ab illis quaesita est. Accedit, quod etiam schismatici et haeretici

rerent, Cornelio an Novatiano. Cyprianus adhaesit Cornelio, et dioecesanos suos Romam proficiscentes admonuit, ut a parte Cornelii starent: „Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut ecclesiae catholicae radicem et matricem agnoscerent ac tenerent.“ Haec verba Cornelius ad ecclesiam Romanam referre potuit et debuit, praesertim cum illo tempore ecclesia Romana seipsam ut radicem et matricem omnium ecclesiarum catholicarum putaret, et etiam aliae ecclesiae, immo etiam haeretici velut Montanistae ex Asia ecclesiam Romanam appellarent. Cyprianus autem etiam secundum alium scopum literarum scripsit ita, ut ei placeret; nam iterum petebat Cornelii amicitiam antea paulum turbatam. Cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1911, 253 ss.

[1]) In ep. 4. ad Timoth. c. 3; M. 17, 498.
[2]) De schism. Donat. 2, 2; M. 11, 947.
[3]) Eusebius, h. e. 5, 24; M. 20, 507.
[4]) Innocentii I. ep. 30, 2; M. 20, 590.
[5]) Harduin. 1, 653.
[6]) Ep. 123, 10; M. 22, 1052.
[7]) Ep. 127, 5; M. 22, 1090.
[8]) Ep. 3.; M. 50, 427.
[9]) Dogmengeschichte II. 103. N.: „Sehr charakteristisch sind in dieser Hinsicht die Kirchengeschichten des Sokrates und Sozomenos, die in diesem Punkte jeder Parteilichkeit ermangeln und die allgemeine Ansicht wiedergeben. Sie wissen es aber nicht anders, als daß der römische Bischof eine besondere Autorität und eine einzigartige Beziehung zur Gesamtkirche besitzt.“

advocaverunt auctoritatem Pontificis Rom., iam Novatiani,[1]) postea inter alios Nestorius, Eutyches, Sergius etc.[2])

4. Iam *Conc. Florentin.* 1439 in Decreto unionis cum Graecis (Denz. 694): „Item diffinimus, Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere."

355 Nota I. *Falsae opiniones de origine primatus Pontificis Rom.* Falsa est ergo opinio Protestantium, Gallicanorum, Veterecatholicorum, Modernistarum nostri temporis, ecclesiam Romanam principatum obtinuisse ex puris rationibus naturalibus, e. c. propter antiquitatem, amplitudinem, dignitatem, qua Roma fuit sedes Caesarum et centrum orbis terrarum, vel ob magnitudinem, divitias, opera caritativa ecclesiae Rom., vel ob fundationem per duos apostolos praecipuos, Petrum et Paulum, vel ob puritatem fidei, vel ob ambitionem et praesumptionem singulorum Pontificum. Secundum Harnack episcopus Romanus eodem modo ex communitate prodiit quo ubique. Ab initio non hi episcopi, sed christianitas Romana egit, et paulatim eius locum gesserunt episcopi, et episcopi Romani ex dictis rationibus principatum super totam ecclesiam adepti sunt, et in hac dignitate creverunt per multos eventus ipsis prosperos, praesertim: lites dogmaticae in Oriente saepius Papis occasionem dederunt se gerendi ut iudices fidei et doctrinam suam correctam „Sedi Apostolicae vel Sedi S. Petri propriam" ostendendi; imperium Romanum interiens debuit postremo niti Pontifice Romano, qui videbatur esse haeres natus imperatorum; tempestates peregrinationis populorum omnes Catholicos in brachia Romae compulerunt; in Occidente ecclesia Romana fuit unicus patriarchatus et sic hic facile transire potuit ad primatum; prudentia, dexteritas et constantia multorum ex episcopis Romanis etc. Ex his rationibus pure naturalibus papatus fine saeculi 5. iam ita confirmatus erat, ut ipsi motus procellosi saeculi 6. eum eradicare non iam potuerint.[3]) — Concedimus, omnia haec momenta et facta plus minusve cooperari potuisse vel revera cooperata esse ad augendam ecclesiae Rom. auctoritatem, sed partim erant supernaturaliter producta, partim per se insufficientia erant. Quia fere eodem tempore, quo Christia-

---

[1]) S. Cyprian. ep. 12. ad Cornel. M. 3, 818.

[2]) Multa testimonia de primatu S. Petri, auctoritate principali et infallibilitate Pontificis Romani vide apud *Denzinger* (Kritik der Vorlesungen etc. I. 84—164); *Pichler*, l. c. I. 105 ss; *Stimmen aus Maria-Laach*, 1867, fascic. 8. — *In libris liturgicis Graecorum*, Russorum, Armenorum, Nestorianorum etc occurrunt multi loci praeclari de primatu S. Petri et Pontificis Rom. eiusque infallibilitate, cfr. *Zeitschrift für kathol. Theol.* 1877, 662 ss; — *Katholik*, 1871, I. 15 ss. — *Schlosser*, Die morgenländ. orthod. Kirche in Rußland und das Europäische Abendland, Heidelberg 1845, 16 ss. — *Pichler*, 1. 144 ss.

[3]) Dogmengesch. I. 480 ss. — Entstehung und Entwicklung der Kirchenverfassung und des Kirchenrechts in den zwei ersten Jahrh. Leipzig 1910.

nismus libertatem recepit, scil. sub imperatore Constantino Magno 330., imperatores residentiam Roma Constantinopolim transtulerunt; quia exinde illa celeriter fere tota periit et haec subito novum splendorem manentem vidit; quia imperatores, patriarchae et episcopi orientales enixe studuerunt, primatum ad Constantinopolim applicare; quia Occidens multo magis a barbaris Paganis vexatus erat quam Oriens, immo totus in eorum potestate erat; quia simul haereses et schismata potentia nunquam ab episcopis Romanis, sed saepissime ab imperatoribus et patriarchis Constantinopol. genita, promota et adiuta sunt: ex his omnibus rationibus longe facilius esset declarandum, si Constantinopolis loco Romae primatum nacta esset; quod autem Roma primatum eumque tantum et ubique terrarum agnitum recepit, necessario attribuendum est adiutorio divino speciali seu institutioni et conservationi papatus divinae. Immo ex rationibus mere historicis probabilissimum est dicere, ecclesiam **356** universalem cum papatu omnino non orituram fuisse, sed ecclesias dumtaxat territoriales vel summum ecclesiam universalem sub regimine imperatoris byzantini vel alterius. Id docet historia Protestantismi et Schismaticorum. — Item concedi potest, primatum quoque sicut alia dogmata et instituta ecclesiae non ab initio ita esse excultum et ab omnibus explicite cognitum et agnitum sicut postea. Etiam de primatu Petri valet parabola grani sinapis, quod sensim tantum crescit in arborem. In ecclesia primitiva, ubi omnia plus minusve in cunabulis erant, tam stricta organisatio et connexio ecclesiarum cum Romana non potuit esse quam postea, sicut etiam nunc in terris Paganorum, ubi status ecclesiastici nondum perfecte ordinati sunt, episcopi et missionarii gaudent amplioribus privilegiis quam alibi. Ad explicationem pleniorem primatus Petri contulerunt indigentiae et necessitates crescentes ecclesiarum necnon oppositiones contra eum exortae, sicut res se habet etiam quoad alia dogmata et instituta.

N o t a II. Etiam *Doellinger* (Kirche und Kirchen, p. 32 s): „Das Papsttum mußte **357** alle Geschicke und Wendungen der Kirche miterleben, in jeden Bildungsprozeß miteingehen. Seine Geburt beginnt mit zwei mächtigen, inhaltsschweren und weittragenden Worten des Herrn. Der, an den diese Worte gerichtet sind, verwirklicht sie in seiner Person und Tätigkeit und verpflanzt das Institut in den Mittelpunkt der eben werdenden Kirche, nach Rom. Hier wächst es in der Stille, occulto velut arbor aevi, nur in einzelnen Zügen tritt es in der ältesten Zeit hervor, aber immer deutlicher und bestimmter werden die Umrisse der Gewalt und kirchlichen Tätigkeit des Römischen Bischofs. Die Päpste sind schon in der Zeit des Römischen Reiches die Wächter der ganzen Kirche, welche nach allen Seiten hin mahnen und warnen, verfügen und richten, binden und entbinden. Man beklagt sich nicht selten über den Gebrauch, den sie in einzelnen Fällen von ihrer Gewalt machen; man widersteht, weil man den Papst für getäuscht hält, man appelliert an den besser zu Unterrichtenden, aber man tastet ihre Befugnis nicht an. Überhaupt aber war das Eingreifen in die kirchlichen Angelegenheiten weniger nötig, brauchten die Zügel kirchl. Leitung weniger straff angezogen werden, solange die gesamte Kirche mit wenigen Ausnahmen sich innerhalb der Grenzen des Röm. Reiches befand und durch die starken Bande dieser Staatsordnung so zusammengefaßt und getragen wurde, daß es für eine Reaktion der ohnehin durch die Römerherrschaft gebrochenen und nieder-

gehaltenen Nationalitäten im Ganzen genommen weder Veranlassung noch Aussicht auf besondern Erfolg gab."

358 Nota III. *Gallicanismus* (in Gallia), *Iosephinismus* (Austria), *Febronianismus* (Germania), *Regalismus* (Italia, Hispania) *potius a regimine saeculari productus et promotus est*, minus ab ipsis episcopis; in Gallia praesertim a Ludovico XIV. Nam antea etiam in his terris primatus Romani Pontificis agnitus erat, sicut etiam in omnibus his terris Constitutiones Concilii Vaticani de primatu et infallibilitate eius passim, paucis exceptis, receptae sunt. De fide ecclesiae gallicae antiqua cfr. Zeitschr. f. kathol. Theol. 1880, 280 ss. Cfr. *K. Hirsch*, Die Ausbildung der konziliaren Theorie im 14. Jahrhundert. Wien 1903.

Praeter locos citatos cfr. *Leo Allatius*, l. 1, capp. 8 ss. — *Suarez*, l. c. l. 3, c. 12 ss. — *Franzelin*, th. 11 ss. — *Bellarmin*, de summo Pont. l. 2. — *Schanz*, III, § 13. — *Wilmers*, 196 ss. — *Andries*, 383 ss. *de Groot*, qu. 14. — *Specht*, § 21.

§ 11. De proprietatibus et ambitu primatus iurisdictionis Summi Pontificis.

359 *Conc. Vatic.* 4. cap. 3. definivit: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem *plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam ecclesiam*, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis, aut hanc eius potestatem non esse *ordinariam et immediatam* sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles, a. s." Ex qua definitione patet:

360 I. Potestas iurisdictionis Summi Pont. est divino iure. — Hoc liquet ex dictis in § 9 et 10. Ius hoc non fit humanum eo, quia singuli Papae ab hominibus secundum normas ab hominibus datas eliguntur. Electio haec nonnisi efficit designationem personae, non traditionem potestatis divinae. Potestas iurisdictionis summa independenter ab electoribus ecclesiae promissa est et in unumquemque Papam legitime electum eo ipso transit. Papa noviter electus iurisdictionem immediate a Deo recipit, non accipit eam ab ecclesia, sicut praesidens in republica aliqua auctoritatem suam a civibus recipit.

361 II. Haec potestas est episcopalis. — Essentialiter est eadem potestas magisterii, ordinis et iurisdictionis Papae atque episcoporum simplicium; nam tum Petro tum apostolis dictum est: quodcumque solveris etc. Papa electus non recipit novum ordinem, per quem facultas summa ei confertur. Coronatio papalis nonnisi est sacramentale aliquod. Distinctio autem magna est inter iurisdictionem Papae et aliorum episcoporum quoad ambitum et plenitudinem. Vox „potestas episcopalis" significat ergo „potestas pastoralis", et haec amplectitur omnia, quae spectant ad pascendum gregem, e. c. sacramenta administrare, leges ferre ad bona fidelium, dioecesim visitare, iudicare, sontes punire etc (cfr. Granderath, l. c. 154 ss).

III. Est suprema. — Iudicium Sedis Apostolicae est 362
summum. Papa stat super ecclesiam dispersam seu singulos episcopos et super ecclesiam congregatam seu episcopos ad concilium coadunatos. *Scotus:*[1]) „Papae nullus est aequalis nec similis; ipse enim unus est et singularis." „Papa est Christi vicarius unus, perfectus, universalis." Quare 1. *Papa a nulla auctoritate humana iudicari potest:* „Summa sedes a nemine iudicatur", scripsit iam Leo IX. a. 1053 in epistola ad Michaelem Caerularium et Leonem Acridanum (c. 32; Denz. 353). *S. Bonavent.:*[2]) „Summi Pontificis est, ceteros iudicare et a nemine iudicari, ac per hoc debeat ab omnibus obediri." — 2. *A iudicio papali nequit appellari ad iudicium superius.* Provocationes ad futurum concilium reprobavit iam Pius II. (1459) tamquam erroneas ac detestabiles (Denz. 717). — 3. *Papa habet ius edendi mandata pro tota ecclesia obligatoria necnon dispensandi circa omnes leges ecclesiasticas pure humanas. S. Bonavent.* (l. c. n. 13): „Summi Pontificis est, decreta statuere ab omnibus observanda, et ex hoc ei ab omnibus oboedientia exhibenda." Idem: „Papa non est subiectus constitutionibus Patrum, sed super omnes est . . . Ideo potest in eis dispensare . . . In mandatis vero decalogi nullo modo potest, quia ipse est subiectus eis."[3]) *Scotus:*[4]) „Cum sit successor Petri, principis apostolorum, habens eandem potestatem quam et Petrus . . potest dominus Papa ex plenitudine potestatis suae dispensare contra statuta apostolorum quorumcumque, dum tamen efficaciam inde tantum habeant, quia ab eis statuta sunt, et non a iure naturae vel divino." — 4. *Papae competit iudicium summum ad omnes res ecclesiasticas diiudicandas et approbandas.* Hoc docet historia. Peracta synodo Chalcedonensi petivit *imperator Marcianus* a Leone Papa:[5]) „Rogamus, ut, quae a sancta synodo constituta sunt, etiam tua in Deum pietas in perpetuum observari praecipiat." Item *episcopus Anatolius Constantinop.* scribit ad eundem:[6]) „Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuerit reservata." — Secundum *Sozomenum*[7]) Iulius Papa scripsit episcopis Antiochiae de causa S. Athanasii congregatis: „Legem esse Pontificiam, ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam episcopi Romani fuerint gesta." — Idem testatur *Socrates:*[8]) „Cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter

[1]) De perfectione statuum, n. 46.
[2]) Quaestiones disputatae de perfectione evangelica, qu. 4, art. 3, n. 12.
[3]) Sent. l. 4. d. 19. dub. 6. Cfr. *Fidelis a Fanna:* Seraphici Doctoris Divi Bonaventurae doctrina de Romani Pontificis primatu et infallibilitate. Taurini 1870. — *Ludovicus a Castroplanio:* Seraphicus Doctor Bonaventura in oecumenicis cath. ecclesiae conciliis cum Patribus dogmata definiens. Romae 1874. c. 4. § 2. — *Thomas Villanova, Capuc.* „Sanct Bonaventura und das Papsttum", 1902, 57 ss.
[4]) Rep. l. 4. d. 33. qu. 2. n. 19.
[5]) Ep. 100. c. 3; inter ep. S. Leonis; M. 54, 973.
[6]) Ep. 132, c. 4; inter ep. S. Leonis; M. 54, 1084.
[7]) H. e. 3, 10; M. 67, 1058.
[8]) H. e. 2. 17; M. 67, 219.

sententiam Romani Pontificis quidquam ab ecclesiis decernatur." — 5. *Papae est, omne concilium oecumenicum indicere, transferre, dissolvere, res in conciliis tractandas designare. Patres Concilii Chalcedonensis*[1]) scripserunt Leoni I: „Tu quidem sicut membris caput praeeras in his, qui tuum tenebant ordinem." *Cassiodorus* tradit:[2]) „Regula ecclesiastica iubet, non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari." — *Leo X. in Conc. Lateran. V.* 1516 („Pastor aeternus", Denz. 740) declaravit: „Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex Sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, praedecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorundem conciliorum confessione manifeste constat." Teste historia ecclesiastica Papae concilia oecumenica indixerunt, legati Romani eis praesederunt; certe nullum ab ecclesia receptum est, quod a Pontifice Romano non erat approbatum. Altera ex parte concilia aliqua, quae non fuerunt oecumenica, adepta sunt auctoritatem oecumenicam et ab ecclesia generali recepta sunt, postquam a Papa sunt confirmata, e. c. Conc. Arausicanum II. ann. 529.

363 Nota. Gallicani praesertim advocant *decreta sessionis 4. et 5. Concilii Constantiensis*, quae dicunt, omnem statum et dignitatem, etiam papalem, teneri concilio oboedire. At haec decreta non sunt decreta concilii oecumenici legitima. Nam praeter alia a) modus definiendi non factus est conciliariter, quia non singuli episcopi, sed singulae nationes et inter has etiam permulti non episcopi tum laici tum presbyteri simplices auctoritate legitima non gaudentes vota dederunt; b) nullusPapa eadem decreta confirmavit; c) haec decreta verisimiliter nonnisi Papas tum dubios, quorum electionis legitimitas sub lite erat, concilio subiicere voluerunt, non Papas posteriores certe legitimos (cfr. *Hefele*, Conciliengeschichte, 7. t. p. 100 ss).

364 IV. Est plena et universalis. — 1. Amplectitur omnem potestatem et iurisdictionem, qua Christus ecclesiam instructam esse voluit secundum verba: quodcumque solveris vel ligaveris etc. — 2. Spectat ad omnes tum fideles omnium locorum et temporum et ecclesiarum particularium tum pastores eorum. *Stephanus, metropolita Larissanus*, scripsit Bonifacio II. (530—32):[3]) „Hoc enim opus Vestrum est, beatissime, die ac noctu s. Patrum et venerabilis atque apostolicae Vestrae Sedis leges atque constituta *in omnibus ecclesiis* . . . custodire." „Nullus ecclesiasticus ordo illam Vestram, quae a Salvatore omnium et primo pastore Vobis est collata, potest praecellere potestatem."

365 V. Est ordinaria, non extraordinaria, non pro casibus tantum extraordinariis, non delegata, sed ex iure proprio oriunda. — Etsi apostoli similiter ac S. Petrus super totum orbem iuris-

[1]) Hard. 2, 655.
[2]) Hist. tripart. 4. 9; M. 69, 960.
[3]) *Mansi*, Sacr. Concil. nova collectio, Florentiae 1753 ss 8. 744, 741.

dictionem habuerunt, tamen haec potestas plena et universalis fuit extraordinaria, quia ad fundamenta ecclesiae ponenda iura extraordinaria necessaria erant; S. Petri autem fuit ordinaria. Apostolatus universalis non transiit in episcopos, sed tantum limitatus. Primatus Petri autem ad episcopos Romanos plenus et universalis transiit, quare iurisdictio eorum est plena et ordinaria. Quare dicitur sedes Romana antiquitus Sedes Apostolica *κ. ε.* Vocabantur quidem etiam illae sedes apostolicae, quae velut Hierosolymitana, Antiochena etc ab apostolo aliquo immediate fundatae erant, at sedes Romana fuit semper Sedes Apostolica *κ. ε.* et brevi hoc epitheton ei soli tributum est. *Ambrosiaster* appellat Damasum Papam rectorem ecclesiae Dei.[1]) *S. Bonaventura:*[2]) „Ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus ecclesiae contulit, — et quod ubique in omnibus ecclesiis habet illam sicut in sua speciali sede Romana."

VI. Est immediata, id est Papa valet in omni dioecesi episcopalia iura exercere sine medio, sine licentia episcopi dioecesani. **366**

VII. Obiecta iurisdictionis papalis sunt omnes res ecclesiasticae, ergo res fidei, morum, cultus, disciplinae et regiminis ecclesiastici, et omnia ad eiusmodi res appertinentia, de quibus agit fusius ius canonicum. **367**

VIII. Quare omnia membra ecclesiae Summo Pontifici debitam oboedientiam secundum voluntatem Christi praestare tenentur. **368**

Cfr. *Leo Allatius*, l. 1. capp. 20 ss. — *Bellarmin*, l. c. l. 4. — *Ballerini* (fratres), de potestate ecclesiastica. — *Andries*, 359 ss. — *Wilmers*, 260 ss. — *de Groot*, qu. 15. a. 1 ss. — *Zaccaria*, diss. 4. — *Palmieri*, p. 2. c. 1.

Articulus II.

De potestate magisterii ecclesiastici.

§ 12. De infallibilitate Summi Pontificis.

I. Definitio Concilii Vaticani (s. 4. cap. 4).

„Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere . . . praesumpserit, anath. sit." **369**

[1]) In ep. 1. ad Timoth. c. 3; M. 17, 498.

[2]) In opusculo: quare fratres minores praedicent etc n. 3.

II. Explicatio huius definitionis.

370 1. Pontifex Rom., cum ex cathedra loquitur, id est, cum doctrinam de fide vel moribus ab universa ecclesia tenendam declarat, per assistentiam divinam immunis est ab errore.

2. Haec definitio reprobat doctrinam Gallicanam expressam in declaratione cleri Gallicani 1682, sed iam a compluribus Pontificibus damnatam, nempe Papae in fidei quaestionibus iudicium non esse irreformabile, nisi consensus ecclesiae accesserit (Denz. 1325.)

3. Haec infallibilitas non est apotheosis Papae, non impeccabilitas, sicut stulti vel maligni homines quidam somniavere. Papa potest committere peccata contra fidem ipsam. Corpus iuris canon. ipsum (decretal. I. d. 40 c. 6) concedit evenire posse, ut Papa fiat haereticus, dicens: „Papa . . . a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide devius." Attamen fides pia Catholicorum est, nullum Papam unquam in haeresim lapsurum esse Deo auxiliante.

4. Eadem non est omnipotentia fabricandi dogmata talia, quae traditioni ecclesiae aliena sunt. Vatican. ipsum dicit (l. c.): „Neque enim Petri successoribus Spiritus S. promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent." Infallibilitas ergo Papam non habilem reddit ad novas veritates revelationis praedicandas, sed nonnisi ad veritates iam revelatas recte intelligendas, pure exponendas et Christianis tradendas.[1])

5. Infallibilitas non prodit ex inspiratione tali, qualis data est hagiographis, sed est donum minus. Hoc in eo constat, quod Papa in rebus fidei et morum ab ecclesia universa amplectendis per assistentiam divinam ab errore praeservatur et ita dirigitur, ut hoc munus tempore opportuno, modo recto, verbis idoneis et in commodum ecclesiae excerceat. Item non est habitus permanens, qui Papae det indolem intellectualem continuam, sublimiorem, sed tantum praebetur, cum hic et nunc ex cathedra loquens eo privilegio eget.

6. Quia subiecta magisterii ecclesiastici, Pontifex Rom. et Concilia oecumenica, non gaudent inspiratione, sunt eis utenda media ad veritatem cognoscendam ordinaria, e. gr. studium, con-

[1]) Incredibile est, quam ineptae opiniones de circuitu infallibilitatis papalis inter Acatholicos nobis occurrant. *Sell*, professor theol. universitatis Bonnensis (Die Entwicklung der kathol. Kirche im 19. Jahrhundert 1898. 103) censet, Leonem XIII. amovisse definitionem ex cathedra priorem, eo quod denuo 1885. approbavit privilegia Iesuitarum a Clemente XIV. sublata. Ipse *Harnack* (Dogmengesch. III⁴, 763) putat, inter dogmata nova quasi in aëre iacentia etiam esse illud, quod omnes Iesuitae salvi fiant. — *Paulsen* (Philosophia militans, 1901. 91) opinatur, ecclesiae auctoritatem docendi infallibilem posse, si ei placet totam historiam ecclesiasticam, immo et profanam, canonice stabilire, sicut per canonem biblicum fixam statuerit historiam et litteraturam Christianismi originalis.

sultationes, disputationes. At sententia definitiva ob assistentiam Spiritus S. est infallibilis, etsi minus laboris humani etc adhibitum esse videatur.

7. Infallibilitas non competit Papae ut doctori privato velut in operibus theologicis componendis. In stricto sensu nec competit in responsis ad quaestiones quasdam particulares, in praeceptis particularibus ad disciplinam spectantibus. Immo etiam in definitionibus formalibus infallibile nonnisi est id, quod magisterium ecclesiasticum ex professo definire et omnibus Christianis ad credendum proponere voluit; non autem rationes vel propositiones additae, quibus hae definitiones propriae probantur, exponuntur et exornantur, quamquam etiam in omnibus his influxus divinus admittendus est ita, ut error non incurrat.

8. Papa (vel Concilium oecum.) loquitur ex cathedra certe tum, quando utitur verbis circiter hisce: definimus, declaratio dogmatica, ex plenitudine potestatis, si quis dixerit . . . anathema sit etc; eo fortius, cum authentice declarat, se aliquam definitionem ex cathedra dare vel dedisse. Non autem necessarium est ad definitionem formalem, sententiam contrariam anathemate reprobari vel doctrinam definitam anathemate muniri; eiusmodi formulae non semper in usu fuere.

9. Omnis Pontifex Summus per se ipse infallibilis est, non solum series eorum, sicut falso Gallicani quidam putavere, singulos Papas posse errare, sed successores iterum errorem esse correcturos.

III. Probatur dogma, Pontificem Rom. esse infallibilem.

1. *ex ratione theologica.* a) *Ex infallibilitate passiva* seu ex in- 371
fallibilitate ecclesiae discentis sequitur infallibilitas activa seu ecclesiae docentis. Nam illa non potest esse immunis ab errore, si haec errori subnoxia est. Atqui Papa est organum praecipuum ecclesiae docentis, id quod etiam Gallicani concedunt; ergo debet ad eum spectare infallibilitas. Illi ergo, qui fidem in infallibilitatem Papae designant ut oboedientiam caecam, sublationem proprii iudicii, infirmitatem religiosam, depositionem rationis propriae reddendae etc, consequenter debent reiicere infallibilitatem ecclesiae docentis et discentis, immo divinam originem et auctoritatem ecclesiae et revelationis. Etiam philosophus ille E. v. Hartmann fatetur, infallibilitatem Papae nonnisi esse consequentiam principiorum catholicorum.[1]) — b) *Ex summa potestate iurisdictionis.* Quia Papa est summus iudex in ecclesia quoad omnes res ecclesiasticas, debet idem esse summus iudex quoad omnes leges divinas, secundum quas iudicare debet. Non recte nec infallibiliter potest fungi iurisdictione, si errat circa

[1]) Selbstzersetzung des Christentums, 1874, p. 7 s.

legem divinam interpretandam; atqui ad hanc legem divinam pertinent omnes res fidei et morum. Quare Vatican. 4. 4. ait: „ipso apostolico primatu . . . supremam quoque magisterii potestatem comprehendi."

372 2. *ex Scriptura S.*, scil. ex omnibus locis, qui probant primatum iurisdictionis: a) *Secundum Mt 16, 18* in Petro vel in Papa ecclesia est fundata ita, ut portae inferi adversus eam nihil praevaleant. Ecclesia ergo indefectibilis est, quia in Petro est fundata. Atqui indefectibilitas necessario amplectitur infallibilitatem, quia alioquin ecclesia non iam esset vera Christi, si erraret in fide. Ergo Petrus, resp. Papa infallibilis esse debet. — b) *Ex Io 21, 15:* „Pasce agnos meos, pasce oves meas." Boni pastoris est potissimum, gregi procurare cibum sanum, eum custodire ab herbis pestiferis etc. Atqui cibus spiritualis imprimis est sana seu vera doctrina. Ergo Papa fidelibus veram atque infallibilem doctrinam Christi proponere debet. At quia sine divina assistentia speciali verbum Dei revelatum infallibiliter exponere nequit, debet gaudere privilegio supernaturali, quo in decisione de quaestionibus fidei et morum definitiva praeservatur ab errore. — c) *Praesertim ex Lc 22, 31 s:* „Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos." Haec verba soli Petro dicta sunt et designant, Christum speciatim pro Petro orasse, ne fides eius deficeret, ut fidem fratrum suorum (apostolorum et episcoporum, eo fortius fidelium simplicium) confirmare posset et deberet. Hoc munus requirit cognitionem et expositionem doctrinae christianae infallibilem; et quia haec superat vires naturales S. Petri eiusque successorum, confertur supernaturaliter, quare Christus dicit: ego rogavi pro te. — Licet haec verba proxime referri possint ad negationem Christi per Petrum faciendam, tamen relate ad locos alios et secundum consensum unanimem Patrum et theologorum spectant etiam ad munus magisterii Petri. Vox: „tu aliquando conversus" non necessario intelligenda est de negatione et conversione Petri, sed, sicut etiam Protestantes concedunt, est hebraismus quidam, qui dicit: „et etiam tu" (confirma fidem fratrum tuorum, sicut confirmat Deus tuam) (cfr. Ps 70, 20 s; 84, 7; Zach 8, 14 s); vel potest intelligi: converte fratres tuos (ostende eis viam rectam) et tum confirma eos in veritate cognita. Iam *Leo Magnus*[1]) notat ad locum nostrum: „Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit."

[1]) Serm. 4. (al. 3) c. 3; M. 54, 151.

3. *ex Traditione.*

a) *Loci Patrum* et theologorum. *Origenes*[1]) vocat petram Petri 373
„serpenti inaccessa et fortior portis inferi". — *S. Irenaeus:*[2]) „Traditionem apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere . . . et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos . . . Sed quoniam valde longum est, in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae, cognitae a gloriosissimis apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae eam, quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos (Gnosticos) . . . Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio." Irenaeus provocat Gnosticos ad traditionem apostolorum; sed quia longum est traditiones et successiones episcoporum omnium ecclesiarum in medium proferre, sufficit hoc facere quoad ecclesiam Romanam, omnium ecclesiarum praeclarissimam. Nam cum ea ob suam potiorem principalitatem unaquaeque ecclesia in fide concordare debet, sin aliter reapse catholica est et in ea traditio apostolica conservatur. Concordia cum traditione ecclesiae Romanae est ergo criterium genuinae traditionis et doctrinae apostolicae.[3]) Hoc docet clare Irenaeus, qualitercumque eius verba, alias non satis clara, praesertim cum textus originalis graecus desideretur, exponis. — Anno 512 *episcopi orientales* Symmachum Papam adiere orantes, ut finem faceret schismati Acaciano. Inter alia dixere:[4]) „Quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris, oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere, non vi, sed sponte coactas . . . Illuminate eum (orientem) rectae fidei lumine." — *Imperator Iustinianus I.* scripsit Hormisdae Papae inter alia:[5]) „Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum . . . Summo cum desiderio fidem catholicam amplectentes vestra doctrina unitatem universo orbi petimus condonare." — Ex saeculo 6. habemus testimonium, quod nudis verbis successores S. Petri nominat infallibiles, in lingua quidem armena traditum, sed originaliter graece scriptum, oriundum ab Ioanne episcopo Hierosol. Aristaces Vardanian, Congreg. Mechit. theologus armenus, scribit enim:[6])

---

[1]) In Mt 12, n. 11; M. 13, 1003

[2]) 3, 3, 1—2; M. 7, 848 ss.

[3]) De hoc loco cfr. *Funk*, Kirchengesch. Abhandl. I, 1 ss. — Stimmen aus Maria-Laach 1909/I. 402 ss. — „Der Katholik" 1909/II. 401 ss.

[4]) Mansi, 8, 221, 223.

[5]) Mansi 8, 484.

[6]) Zeitschr. f. kath. Theol. 1910, 219.

„Habemus Armeni quandam epistolam Ioannis hierosolymitanorum episcopi (572—592) ad Abatem Albanorum catholicum, iam saeculo VI ex graeca in armenam translatam linguam, et anno 1896 ex Karapet Vardapet (Etchmiatzin) in lucem editam, cuius deest graecus aut latinus textus, quae tamen de doctrina quoque infallibilitatis Rom. Pontificis clarissimam facit mentionem docetque perspicue (p. 7): ‚Nos tamen, sancta scil. ecclesia, dominicam habemus vocem, quae dixit Petro, apostolorum capiti, dans ei primatum fidei firmitatis ecclesiarum: Tu es Petrus etc, cui et claves caeli et terrae dedit; cuius fidem ad hoc usque tempus sequentes discipuli eius et doctores catholicae ecclesiae alligant atque solvunt malos, alligant et solvunt a vinculo agentes poenitentiam, in principiis vero sanctae et primae et venerabilis Sedis eius successores sani in fide, i n f a l l i b i l e s secundum dominicam vocem (armen: anschal, an = in, schal aut schalakan = fallibilis.)‘ Genuinitas epistolae in dubium vocari nequit, neque existit contradictio quaedam chronologica, ut in Praefatione satis probat Editor (schismaticus).“ — *S. Maximus Confessor*, abbas Chrysopolitanus, † 662, scripsit[1]) de ecclesia Ro-
374 mana: „Omnes orbis terrarum fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam Romanam ecclesiam eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes iubar, Patrum doctrinae sanctorumque, prout sincere omnique pietate, Numine afflatae atque divinae sanctae sex synodi exposuere . . . Ab initio enim, quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basim ac fundamentum omnes ubique Christianorum ecclesiae, quae ibi est, maximam nacti sunt habentque ecclesiam, ut in quam iuxta ipsam Salvatoris promissionem portae inferi haudquaquam praevaluerint, sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat.“ — In Concilio Lateranensi I. 649 perlecta est *epistola Sergii*, episcopi Cypri insulae, ad Theodorum Papam scripta, in qua legimus:[2]) „Firmamentum a Deo fixum et immobile atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit . . Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, et super fundamentum tuum ecclesiae columnae confirmatae sunt . . . Tu profanarum haeresum depositor exsistis ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei.“ — *S. Theodor. Studita*[3]) (c. ann. 800) orat Leonem III., ut, sicut olim Leo I. Eutychianismum reprobaverit, et ipse novam haeresim Iconoclastarum reiiciat. Idem[4]) scribit Paschali Papae: „Vos illimis revera ac sincerus ab initio fons orthodoxae veritatis; vos adversus omnem haereticam procellam tranquillus sepositus ecclesiae uni-

[1]) Migne, P. G., 91, 138.
[2]) Harduin. 3, 730.
[3]) Ep. 33, ad Leonem Papam; M. 99, 1019.
[4]) Epist. l. 2, ep. 13, ad Paschalem Papam; M. 99, 1155.

versae portus, vos a Deo electa civitas refugii salutis.“ Item petit ab imperatore Michaele, ut controversiam de fide ortam Papae decidendam secundum morem ecclesiasticum proponat:[1]) „Iubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus (imperatoris) . . . a vetere Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos est. Haec enim . . . suprema est ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit (ἧς *Πέτρος πρόσθρονος*), ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus“ etc. — Eo fortius Scholastici plus minusve expresse infallibilitatem Papae docent. *S. Bonavent.* praeter alia dicit: „Exsurge igitur, sancta mater (ecclesia Romana), et iudica causam tuam, quia, si pauperum hic Ordo Minorum recte profitetur veritatem evangelii, tuum est; si a veritate in professione a te sancita deviat, tuum est; ac per hoc, si professioni huiusmodi sanctae error impingitur, tu, quae illam sanxisti, errasse assereris; et quae magistra veritatis hactenus exstitisti, nunc de approbatione erroris argueris.“[2]) — *Scotus* inter alia pluries scribit:[3]) „Sentiendum est de sacramentis ecclesiae, sicut sentit Romana ecclesia.“

b) *Facta ecclesiastica.* α) Exorta haeresi Macedonii definivit 375
Pontifex Rom., Spiritum S. esse Patri Filioque consubstantialem, de quo facto scribit Sozomenus:[4]) „Cum haec quaestio agitaretur et contendendi studio magis magisque in dies cresceret, episcopus urbis Romae re comperta scripsit ad orientis ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem gloriaque aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur. Quo facto, utpote controversia iudicio Romanae ecclesiae terminata, singuli quievere eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur.“ — β) Cum Nestorius errorem suum de persona Christi propalasset, adiit *S. Cyrillus Alex. Caelestinum Papam scribens:*[5]) „Longa ecclesiarum consuetudo suadet, ut huiusmodi res cum Sanctitate tua communicentur . . . Digneris igitur nobis declarare, quid tibi videatur.“ Et Patres Concilii Ephesini Nestorium excommunicantes declaraverunt:[6]) Ad sententiam, qua Nestorium privamus episcopali dignitate, venimus „coacti per sacros canones et epistolam sanctissimi patris nostri et comministri Caelestini, Romanae ecclesiae episcopi“. — γ) *In controversiis Pelagianis Innocentius I.* (401—417) litteras dedit ad episcopos Africanos. De harum effectu nuntiat S. Augustinus:[7]) „Litteris Papae Innocentii . . de hac re dubitatio tota sublata est.“ „Iam de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt.

[1]) Ep. l. 2, ep. 86.
[2]) Apologia pauperum, c. 11, n. 16; cfr. c. 1, n. 1. Alios locos vide apud *Fidel. de Fanna* l. c. et *Ludov. de Castroplanio*, l. c. c. 4, § 3. — *Thom. Villanov.*, l. c. 89 ss.
[3]) E. c. 4. d. 6. qu. 9. n. 14.
[4]) H. e. 6, 22; M. 67, 1347.
[5]) Ep. 11 (al. 9) n. 1; M. 77, 79; et n. 7, pag. 83.
[6]) Harduin. 1, 1478.
[7]) Cont. duas epist. Pelag. 2, 3, 5; M. 44, 574. — Serm. 82, 10; M. 38, 734.

Causa finita est; utinam aliquando finiatur error!" — δ) *Leo I. in epistola ad Flavianum*, patriarcham Constant., iam ante Concilium Chalcedon. reprobavit Monophysitismum. Cum haec epistola in synodo Chalcedon. perlecta esset, exclamavere Patres: „Haec Patrum fides, haec apostolorum fides . . . Petrus per Leonem ita locutus est."[1]) — ε) *Revera nullum concilium*, etsi a plurimis episcopis frequentatum, *auctoritatem oecumenicam adeptum est, ubi defuit approbatio Pontificis Rom.* Item nullus articulus fidei, quem Papa non recepit, ab ecclesia admissus est. — Etiam Harnack[2]) concedit, Romam ecclesiae orientali formulas suas dogmaticas dedisse et fidem catholicam ab interitu servasse.

376 c) *Decisiones ecclesiasticae.* — α) *Libellus Hormisdae.* Cum a. 519 multi episcopi orientales a schismate Acaciano ad ecclesiae unitatem redirent, subscripserunt formulae ab Hormisda Papa propositae, in qua legitur:[3]) „In Sede Apostolica immaculata est semper servata religio. Ab hac ergo et fide separari minime cupientes et Patrum sequentes in omnibus constituta anathematizamus omnes haereticos." — β) *Concil. Constantinop.* 680 (6. oecum.) approbavit epistolam Papae Agathonis ad imperatorem Constantinum IV., ubi legimus de ecclesia Romana:[4]) „A tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur nec haereticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis, apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet." In sermone acclamatorio huius concilii ad Constantinum imperatorem dicitur: „per Agathonem Petrus loquebatur".[5]) — γ) *Conc. Lateran. IV.* 1215 nominat ecclesiam Romanam „mater universorum Christi fidelium et magistra" (Denz. 436). — δ) *In Conc. Lugdunensi II.* 1274 imperator Graecorum Michael Palaeologus Gregorio X. professionem fidei obtulit, ubi de successore Petri dicitur: „Et sicut prae ceteris tenetur fidei unitatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri."

377 Nota I. *Falso arguuntur aliqui Papae in fide definienda errasse.* Praesertim „Ianus"[6]) accusat id multos Papas. Eius obiectiones refelluntur a cardinali Hergenröther.[7]) Nos eius vestigia prementes gravissimas accusationes breviter exponamus et refutemus; argumenta singulorum casuum vide apud dictum cardinalem.

1. *Iulius Papa declaravit orthodoxum Marcellum Ancyranum Sabelliane docentem.* — R. Hoc fecit non solum Papa, sed et synodus Sardicensis. Difficile dictu et sub lite est, quid Marcellus de Filio Dei docuerit; multi putant eum orthodoxum. Idem potuit et

[1]) Harduin. 2, 306.
[2]) Dogmengesch. II, 416, 434. „Wieder einmal rettete der römische Bischof . . . die Orthodoxie." „Unstreitig ist, daß Rom auf d. 4. u. 6. Konzil dauernd seine Formel dem Orient gegeben hat."
[3]) Mansi 8, 407.
[4]) Hard. 3, 1082.
[5]) Hard. 3, 1423.
[6]) Der Papst und das Konzil, Leipzig 1869.
[7]) Antijanus, Freiburg, 1870. 48 ss.

Iulius facere, quia Marcellus coram eo orthodoxam fidei professionem ediderat, et quia accusatores Marcelli coram Papa non apparuerant. Ceterum declaratio Papae haec non est definitio ex cathedra.

2. *Liberius condemnavit S. Athanasium orthodoxum et subscripsit professioni fidei Arianae.* — R.: Hoc factum an revera sit, valde dubium est. Socrates, Theodoretus, Sulpitius Severus dicunt pro Liberio, testimonia alia contra eum dicentia complura spuria sunt. At etsi Liberius reapse nomen subscripsit, certe non subscripsit formulae vere haereticae, sed formulae tali, quae per se orthodoxa erat, Arianis tantum favebat, quia non habebat vocem „homousios"; et id fecit in exilio minis mortis per imperatorem Constantium perterritus. Sed nonnulli auctores absolvunt eum etiam favoris haeresis; ostendunt in id, quod Liberius mortuus non solum Romae, sed etiam alibi ut Sanctus cultus est; nomen eius etiam in Kalendarium graecum et copticum assumptum est, id quod probet integritatem eius fidei.[1]) Praeterea hoc factum nullatenus est definitio ex cathedra.

3. *Innocentius I. et Gelasius I. docuerunt, etiam parvulis receptionem eucharistiae esse necessariam necessitate praecepti divini,* quam doctrinam Conc. Trident. postea reiecit. — Resp.: Hi pontifices certe nonnisi docuerunt, baptismum esse parvulis ad salutem necessarium. Ad hanc doctrinam probandam citant sicut etiam S. Augustinus Io 6, 54: „Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis." At Patres hunc versum saepius referunt ad necessitatem solius gratiae sanctificantis, et haec vere necessaria est parvulis. Nusquam hi Papae indubie docent, parvulos baptizatos sine perceptione synaxis perire.

4. *Zosimus sensit Pelagiane, quia Caelestio Pelagiano favit.* — Hic Papa nullatenus Pelagianismo indulsit, sed tantum Caelestium mitius tractavit, quia orthodoxum se simulaverat. S. Augustinus[2]) ait de hac re: „Quidquid interea lenius actum est cum Caelestio, servata dumtaxat antiquissimae et robustissimae fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis."

5. *Vigilius Papa sibi ipse contradixit in re fidei, cum tria illa capita cum damnaret tum damnationem revocaret.* — Nunquam is quoquam modo approbavit, sed semper expresse reprobavit haeresim Nestorianam, de qua in tribus capitibus agebatur. Sed ex rationibus opportunitatis ad unionem ecclesiasticam restituendam revocavit sententiam priorem damnantem usque ad decisionem concilii oecumenici, et postea simul cum Concilio Constantinopol. 553. reiecit iterum tria capita. Summum peccavit ob indulgentiam nimiam, nequaquam per haeresim.

6. *Honorius I.* † 638. *approbavit monotheletismum, quare* a. 680. una cum auctore huius haeresis, Sergio patriarcha, *a Concilio Constantinopol. anathematizatus est.* — Resp.: Nihil fuit Honorius haereticus, nedum edidit definitionem ex cathedra haereticam. Sergius callidissimus auctoritate Papae niti voluit et scripsit ei, ad unionem ecclesiasticam multum conducturum esse, si controversiam de duabus voluntatibus in Christo prorsus interdiceret. Papa non intellexit, sibi a Sergio laqueum poni, dixit quidem, in Christo esse unum operatorem et utramque naturam operatricem, sed addidit, utrum in Christo una an duae operationes statui deberent, esse rem non a se decidendam, sed grammaticis relinquendam. Ex quo patet, eum totam controversiam putasse tantum litem de verbis et vocibus, non falsam doctrinam protulit nec definivit. Deliquit dumtaxat tacendo et omittendo dare expositionem ulteriorem et claram de ordine inter voluntates duas Christi, et sic favit haeresi. Concilium Constant. videtur quidem Honorium damnasse ut haereticum proprium, sed episcopi eius fuere imprimis orientales Romanis iniqui, qui odio et invidia moti etiam Papam anathemate mulctarunt. Ceterum idem concilium simul declaravit, ecclesiam Romanam nunquam a tramite apostolicae traditionis errasse nec haereticis novitatibus succubuisse. Ex quo patet certa persuasio concilii dicti, ne Honorium quidem haereticum fuisse vel haeretice docuisse.[3])

---

[1]) Cfr. Theol. Revue, Münster 1910, 105 ss. — *Fedele Savio,* La questione di papa Liberio. Roma 1907. — Zeitschr. f. kath. Theol. 1908, 413 ss.

[2]) Contr. duas epistol. Pelag. 2, 3, 5; M. 44, 575.

[3]) Cfr. Zeitschr. für kath. Theologie 11 (1887), 675 ss.

378 7. *Nicolaus I. declaravit validum baptismum etiam in nomine Iesu collatum.* — R. Haec non fuit definitio ex cathedra, sed responsio practica ad quaestiones quasdam Bulgarorum. Hi interrogaverant, an baptismus etiam a Iudaeis datus esset validus. Hoc affirmavit Papa et incidenter, non ex professo, addidit, etiam baptismum in nomine Iesu collatum valere. Ceterum Papa nonnisi qua doctor privatus locutus esse multis videtur.

8. *Stephanus VI. clericos a Papa Formoso ordinatos iterum ordinari iussit.* — Hae reordinationes videntur nonnisi fuisse benedictiones reconciliatoriae, quae ius dabant, ordines prius valide, sed illicite acceptos licite exsequi. Certe non est definitio ex cathedra.[1])

9. *Ioannes XXII. docuit, Sanctos ante diem iudicii ultimi in caelo non videre immediate Deum, sed solam humanitatem Christi glorificatam.* — Resp.: Hoc docuit tantum qua doctor privatus in concionibus et disputationibus, nihil de hac re definivit et ante mortem opinionem suam solemniter revocavit.

Idem Papa edidit definitionem de paupertate Christi contrariam definitioni antecessoris sui Nicolai III. de eadem re datae. — Secundum Nicolaum III. in rebus usu consumptibilibus usus rei a dominio separandus est; item paupertas, quae omne ius proprietatis excludit et nonnisi usum admittit, est meritoria et sancta; item Christus eiusmodi paupertatem verbo et opere docuit. Has tres propositiones negavit Ioannes XXII. — Resp.: Neuter Papa voluit dare definitionem ex cathedra omnes Christianos obligantem, sed tantum solvere quaestionem practicam de expositione regulae Fratrum Minorum. Porro contradictio inter decisionem utramque tantum est apparens, non realis. Nicolaus III. secundum contextum agit de eiusmodi usu, quem dominus rei permittit, Ioannes XXII. autem de eiusmodi usu illicito. Itaque Nicolaus III. talem paupertatem declarare meritoriam et sanctam potuit, Ionnes non. Item Christus et apostoli interdum eiusmodi paupertatem secuti sunt ad exemplum perfectorum, interdum non secuti sunt ad imperfectos non deterrendos. Et sic utraque decisio recta est, quia nititur aliis praesuppositionibus.

10. *Decretum Eugenii IV. ad Armenos docet complura falsa*, praesertim errat dicens, traditionem instrumentorum esse materiam sacramenti ordinis. — At hoc Decretum non est definitio ex cathedra, sed tantum instruit Armenos de praxi Romana circa administrationem sacramentorum. Nullatenus Papa declarat, impositionem manuum, quam habebant tum Armeni tum Pontificale Romanum, non esse necessariam; de traditione instrumentorum ideo fecit mentionem, quia apud Armenos haec in usu non erat.

11. *Sedes Apostolica erravit in decisione contra Galileum facta, terram se non movere.* — Decreta contra Galileum edita nihil fuere definitiones ex cathedra, tantum facta sunt per Congregationem S. Officii, et haec per se infallibilia non sunt. Decreta haec a Papa ne approbata quidem sunt. Scribit Franzelin:[2]) „Non solum enim nulla vel umbra definitionis Pontificiae ibi intercessit, sed in toto illo decreto cardinalium S. Officii et in formula eiurationis ne nomen quidem Pontificis unquam sive directe sive indirecte pronuntiatum reperitur."

12. *Sixtus V. ipse edidit textum Vulgatae, qui valde defectuosus erat, quare haec editio ab eius successoribus redempta est.* — Resp.: Editio Sixtina quoad res fidei et morum non errores praebet, et naevi alii in ea apparentes non magni momenti sunt. Ceterum nullatenus praesto est definitio de cathedra.

379 N o t a II. — *Congregationes Pontificiae* vicem gerunt Papae, decreta sua quoad fidem, mores et disciplinam ecclesiasticam nomine eiusdem edunt. Quare decisiones earum per se vim habent in universam ecclesiam, et eatenus hae congregationes gaudent gravitate et auctoritate maiore quam singuli episcopi, immo quam synodi provinciales, etsi sunt institutiones pure humanae et sic episcopis inferiores. Congregationes illae, quae specialiter ordinatae sunt ad puritatem fidei et morum custodiendam, velut *Congregatio*

---

[1]) De qua re et similibus casibus cfr. *Hergenröther*, „Photius", 1867, II. 321 ss.

[2]) Tractatus de divina Traditione et Scriptura, ed. 4, Romae 1896, p. 139. — Cfr. *Grisar*, Galileistudien, Regensb. 1882. — *Ad. Müller*, Galileo Galilei und das Kopernikanische Weltsystem. Et: Der Galilei-Prozeß nach Ursprung, Verlauf und Folgen (Stimmen aus Maria-Laach, Ergänzungsheft 101 et 102, Freiburg 1909).

S. Officii seu Inquisitionis haereticae pravitatis, et quoad res morum *Poenitentiaria*, organa magisterii ecclesiastici sunt. Attamen iudicia eorum, etsi edita cum expressa approbatione et ex speciali mandato Papae, per se infallibilia non sunt. Infallibilitas est privilegium personale Papae, quare est incommunicabilis. Haec decreta infallibilia tantum sunt, si Papa ea non solum approbat et publicare iubet, sed si sua facit, tamquam sua pronuntiat et simul ut definitiones ex cathedra constituit. Quare Franzelin cardinalis notat:[1]) „Auctoritas infallibilitatis non potest a Pontifice communicari aliis velut suis ministris et suo nomine agentibus. Si quando igitur definitio infallibilis dicatur edita per aliquam sacram Congregationem Romanam, hic modus loquendi non est proprius. Congregatio enim in hac hypothesi se habet dumtaxat per modum consulentis, definiens autem est solus Pontifex."

Cfr. *Bellarmin*, l. 4. — *Ballerini*, de infallibilitate pontificia. — *Andries*, l. c. 407 ss. — *Wilmers*, de eccl. p. 409 ss. — *de Groot*, qu. 15, a. 5—6. — *Zaccaria*, diss. 5. — *Palmieri*, p. 2, c. 2.

§ 13. De potestate magisterii et infallibilitate episcoporum et conciliorum.

I. Quoad episcopos singulos.

1. Episcopi singuli sunt magistri dioecesum suarum ordinarii **380** et authentici a Deo instituti. Hoc patet ex eo, quod sunt iudices ordinarii. Ex iurisdictione sequitur eo ipso magisterium. — S. Paulus instruxit Timotheum et Titum episcopos imprimis, quomodo se gererent ut doctores.

2. Singuli non sunt infallibiles, quia non habent plena privilegia apostolorum; teste experientia non raro episcopi in fide erravere vel naufragi fuere, immo auctores, fautores et doctores haeresum facti sunt.

II. Quoad concilium episcoporum.

1. Episcopi in concilio oecumenico collecti et simul cum Ponti- **381** fice Rom. coadunati repraesentant ecclesiam congregatam et habent potestatem ecclesiae universalis docendae.

2. In eiusmodi concilio non solum sunt testes fidei in sua dioecesi vigentis, non sunt deputati a fidelibus sibi commissis, sed reapse sunt iudices fidei secundum verba (Mt 28, 19): „Euntes docete omnes gentes", et (Act 15, 28): „Visum est Spiritui Sancto et nobis." Idem docet historia ecclesiae.

3. Concilia legitima oecumenica cum Summo Pont. coniuncta gaudent infallibilitate magisterio ecclesiastico competente. Saepe legimus, conciliorum, praesertim Nicaeni, effata putata esse sacrosancta ut ipsa evangelia. Iam *S. Gregorius Magnus*[2]) scribit: „Sicut sancti evangelii quattuor libros, sic quattuor concilia suscipere et venerari me fateor." — *S. Maximus Confessor* vocat sex primas synodos oecumenicas Numine afflatas (cfr. supr. n. 374). Iam Conc. Arelatense (314) de suis definitionibus ait: „Placuit praesente Spiritu S. et angelis eius."[3]) Similiter alia concilia se divinitus illuminata professa sunt.

[1]) De Traditione etc l. c. p. 119. — Cfr. *Grisar*, l. c. 171 ss, 357 ss.
[2]) Epist. l. 1, ep. 25, n. 5; M. 77, 478. — [3]) Hard. 1, 262.

382 Nota. *Iniuste S. Augustinus a Protestantibus dicitur negare infallibilitatem conciliorum oecumenicorum*, quia scribit,[1]) „ipsaque plenaria (concilia) saepe priora posterioribus emendari.“ Sicut enim ex contextu clare liquet, Augustinus non de conciliis oecumenicis loquitur, sed tantum de conciliis particularibus, etsi maioribus. Contra Donatistas enim, qui ad tuendum suum errorem, scil. invalidum esse baptismum ab haereticis collatum, advocabant concilia Africana sub S. Cypriano congregata, ostendit, eiusmodi synodos non esse posse infallibiles, quia per posteriora concilia emendata sunt. Sed nullatenus vult reiicere infallibilitatem et irreformabilitatem conciliorum oecumenicorum circa doctrinam fidei. Id patet ex ipso adverbio „saepe“; nam ante S. Augustinum nonnisi duo concilia oecumenica erant, nempe Nicaenum (325) et primum Constantinopol. (381), et prius non est emendatum a posteriore in rebus fidei. Praeterea S. Augustinus in eodem libro in capite immediate subsequente[2]) notat: „et ipse (S. Cyprianus) sine dubio cederet, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur.“ Et in eodem tractatu[3]) dicit, temporibus praeteritis episcopos de valore baptismi ab haereticis dati inter se certasse, „donec plenario totius orbis concilio, quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitationibus, firmaretur.“[4])

383 4. *Si iam ante aliquod concilium definitio ex cathedra Pontificis Rom. facta est*, e. c. ante Ephesinum, Chalcedonense, *episcopi non possunt instituere examen dubitativum, sed nonnisi comprobativum.* Caelestinus I. praescripsit legatis suis in Concilio Ephesino:[5]) „Auctoritatem Sedis Apostolicae custodire debere mandamus . . Ad disceptationem si fuerit ventum, vos de eorum (episcoporum) sententia iudicare debeatis, non subire certamen.“ — *S. Augustin.:*[6]) „Quid adhuc quaeris examen, quod iam factum est apud Apostolicam Sedem?“ Episcopi per suffragia sua definitionem papalem approbantes cooperantur ad definitionem formalem.

5. *Infallibilis est nonnisi illa sententia, cui inhaeret Summus Pontifex, etsi maiora vota episcoporum aliter* censent. Papa est caput et pars principalior ecclesiae; ergo ubi Papa est, ibi sunt partes principaliores. Votum Papae est semper definitivum, eius votum suspendit et irrita facit vota omnium, sicut patet ex synodo Ariminensi (a. 359), ubi unum votum Papae vota episcoporum plus quam 400 nulla reddidit.

6. *Per se non est distinctio inter definitionem conciliarem et definitionem ex cathedra Papae solius:* utraque est infallibilis, utraque obligat fideles ad amplectendum. Verumtamen definitio conciliaris est solemnior et ad animos fidelium conciliandos, ad controversias circa fidem exortas sedandas eloquium unanime multorum episcoporum plus valebit quam simplex definitio ex cathedra. Praesertim quoad res disciplinae ecclesiasticae et ad reformationem ecclesiae concilia maximi momenti sunt et eatenus relative necessaria sunt, etsi non de necessitate medii absoluta aut praecepti. Ecclesia per

[1]) De baptismo, 2, 3, 4; M. 43, 129.
[2]) L. c. l. 2, c. 4, n. 5.
[3]) L. c., l. 1, c. 7, n. 9.
[4]) De doctrina S. Augustini vide fusius Specht, l. c., p. 317 ss.
[5]) Mansi, 4, 556.
[6]) Opus imperf. c. Iulian. 2, 103; M. 45, 1183.

tria prima saecula concilia ampliora non habuit. Deus ecclesiam gubernat tum per concilia tum per solam auctoritatem Papae, prout ei placet et est opportunum secundum tempora et circumstantias.

384 N o t a. Etiam episcopi per totum orbem dispersi, sed saltem moraliter cum Papa uniti, si doctrinam ab omnibus accipiendam definiunt, e. c. recipiendo decreta concilii alicuius particularis, infallibiles sunt, quia repraesentant ecclesiam docentem et quasi concilium oecumenicum. Item infallibiles sunt in deposito fidei ordinario modo custodiendo et tradendo, quia sunt magisterium ordinarium.

Cfr. *Bellarmin*, De conciliis et ecclesia, l. 1—2. — *Ballerini*, De potestate ecclesiastica et Summorum Pontif. et Concil., cap. 2. — *Andries*, p. 485 ss. — *Wilmers*, 372 ss. — *de Groot*, qu. 9; qu. 12. — *Palmieri*, th. 28 s. — *Specht*, § 36. — *Franzelin*, de Traditione etc, 75 ss. — *Straub*, I. th. 7.

§ 14. De obiecto infallibilitatis.

385 De quaestione, in quantum se extendat infallibilitas Summi Pontificis seu de obiecto eius, C o n c i l. V a t i c. n i h i l p r a e c i s i u s d e c i d i t. Id ostendit *Granderath* l. c. 207, qui post acta Concilii diligenter inquisita concludit: „Clare constat, quid de obiecto infallibilitatis Summi Pontificis definitum sit: id unum, obiectum esse idem atque obiectum infallibilitatis ecclesiae generatim. Quid autem censendum sit de obiecto infallibilitatis ecclesiae, a Concilio non docetur.“ Quare aliqui errant dicentes, Concilium definivisse, Papam etiam quoad facta dogmatica etc esse infallibilem. Verumtamen dicendum sit:

386 1. *Obiectum infallibilitatis in genere sunt omnia, quae necessaria sunt ad salutem aeternam fidelium procurandam, ad doctrinam revelatam in theoria et praxi pure conservandam*, ergo veritates revelatae sive ad fidem sive ad mores spectantes earumque applicatio practica ad cultum et disciplinam christianam. Concilio Vaticano definienda proposita erat doctrina:[1]) „Obiectum infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum et eius custodiendi officium postulat; adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum tum id omne, quod, licet in se revelatum non sit, est tamen eiusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari, aut contra errores hominum defendique non possit.“ In omnibus his magisterium ecclesiae legitimum est infallibile, sive positive statuit doctrinas et leges ab omnibus tenendas, sive negative damnat propositiones ab omnibus reiiciendas vel usus et consuetudines interdicit ab universali ecclesia vitandas et tollendas.

2. *Veritates pure naturales vel causae mere saeculares*, e. c. quaestiones pure civiles, quatenus connexae non sunt cum rebus fidei, morum et disciplinae christianae, non subsunt infallibilitati ecclesiae.

[1]) *Martin*, Omnium Concilii Vatic. documentorum collectio, ed. 2, Paderborn, 1873, p. 44.

3. Inter veritates revelatas et veritates ac causas pure saeculares sunt multae veritates naturales et facta historica, quae interiorem et necessariam relationem ad veritates revelatas earumque practicam applicationem habent. Item ex profectu scientiarum oriuntur paulatim novi termini et theoriae, ex mutatione rerum prodeunt novi status ordinis civilis et socialis, qui omnes plus minusve pertinent ad res fidei et morum. Quia officium ecclesiae est veritates sibi divinitus commissas praedicare et declarare secundum condiciones et indigentias temporum, magisterio ecclesiastico saepe necessarium est iudicare de eiusmodi sententiis, scientiis et institutionibus profanis, de problematibus et systematibus per se philosophicis, de factis historicis etc, ut ecclesia qua mater sollicita filiis suis authentice dicat, quid de iis censendum sit et quomodo ad eiusmodi quaestiones se habere debeant. Itaque etiam quoad eiusmodi causas ecclesiae magisterium oportet sit infallibile, quia alioquin saluti fidelium non satis consulere posset.

387 4. Magisterium ecclesiasticum, praesertim Papae, debet imprimis infallibiliter iudicare *de ambitu et competentia potestatis suae*, e. c. an possit vota et matrimonia quaedam dissolvere. Omnis iudex debet scire, quantum se extendat iurisdictio et competentia sua; ergo etiam iudex ecclesiasticus quoad res fidei et morum idque infallibiliter.

5. *Infallibilitati subiacet iudicium de recto sensu et usu bono terminorum quorundam*, qui adhibentur ad dogmata catholica praecise et fixe exprimenda, e. c. vocum: homousios, unio hypostatica, natura, persona.

6. *Ecclesia est infallibilis in diiudicandis factis et textibus dogmaticis.* Facta dogmatica in sensu latiore sunt etiam facta revelata, e. c. nativitas, mors Christi; haec manifesto ad infallibilitatem ecclesiae pertinent. In sensu stricto dicuntur hodie facta dogmatica talia, quae quidem non revelata sunt, attamen cum quaestionibus fidei ita cohaerent, ut ecclesia magisterium suum exsequi non posset, nisi de illis infallibiliter decerneret. Cuiusmodi facta sunt e. c. historica veritas, S. Petrum Romae fuisse episcopum ibique obiisse, vel Concilium Ephesinum, Tridentinum etc fuisse oecumenica, vel Leonem XIII. etc esse Papam canonice electum. Exercitium magisterii ecclesiastici illusorium esset, nisi ecclesia de eiusmodi rebus sententiam infallibilem ferre posset. — Textus dogmatici sunt e. c. Scriptura S., decreta conciliorum, canones. — Idem dicendum est quoad iudicandas *conclusiones theologicas*.

7. *Ecclesia infallibilitate gaudet in reprobandis propositionibus philosophicis, quae adversantur catholicae fidei.* Conc. Vatican. (3. cap. 4. can. 2): „S. q. d., disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab ecclesia proscribi

possint, a. s.“ — *Item in libris et scriptis eiusmodi prohibendis.* Iam Nicaenum I. reprobavit Thaliam Arii,[1]) concilium oecumenicum V. (2. Constantinop.) reiecit tria capita, scil scripta Theodori Mopsvestiensis, scripta Theodoreti et epistolam Ibae ad Marin Persam (Denz. 224 ss). — Ad reprobationem ecclesiasticam errorum Iansenii eludendam *Ianseṇistae dixere, ecclesiam infallibilem quidem esse circa quaestionem iuris*, nempe, an propositio aliqua esset haeretica, *non autem circa qnaestionem facti*, scil. an haec propositio haeretica in libro aliquo reapse doceretur. Concesserunt quidem, quinque propositiones, quas ecclesia ut propositiones Iansenii reiecerat, esse revera falsas, sed negaverunt, Iansenium in libro suo eas pronuntiasse. Quam distinctionem damnavit Alexander VII. 16. Octob. 1656. (Denz. 1098) et postulavit, ut iudicio ecclesiae de hac re submissio mentis interna praestaretur. — Ecclesia librum quendam prohibens iudicat de sensu obiectivo libri, non de sententia subiectiva auctoris.

8. *Ecclesia est infallibilis quoad expositionem praeambulorum* 388
fidei, declarationem legis naturalis, etiam in casibus, de quibus revelatio non expresse agit, e. c., an et quando liceat fenus postulare, an probabilismus admittendus sit, quando praesto sit occasio proxima vitanda.

9. *Infallibilitas amplectitur res disciplinarias*, e. c. cultum divinum. Haec disciplina est nonnisi manifestatio et apparitio visibilis doctrinae ecclesiae, quare ecclesia in ea statuenda errare nequit. Non obstat mutabilitas eiusmodi rerum: forma exterior potest alterari, substantia interna manet semper eadem. — Etsi in concilio apostolorum tractatum est de quaestione disciplinae, tamen apostoli dixerunt (Act 15, 28): „Visum est Spiritui S. et nobis.“ Pius VI. damnavit thesim 78. synodi Pistoriensis (Denz. 1578), ecclesiam unquam posse admittere disciplinam inutilem, onerosam, periculosam, noxiam, ad superstitionem et materialismum inducentem.

10. *Approbatio regularum religiosarum debet esse infallibilis;* nam hae sunt leges, ex quarum observatione dependet salus aeterna fidelium. Quoad quaestionem, an eiusmodi approbatio hic et nunc opportuna sit, stricta infallibilitas admittenda non est, etsi gubernatio divina negari nequit.

11. *Ecclesia est infallibilis in canonizatione Sanctorum.* Sicut Benedictus XIV.[2]) dicit, licet non haeresim, temeritatis tamen notam incurreret, qui errorem in hoc astrueret aut cultum approbatum reiiceret. Multi theologi hanc infallibilitatem extendunt etiam ad beatificationem; esset enim secundum eos contra sanctitatem cultus divini, si ecclesia venerationem cuius hominis praescriberet vel saltem permitteret, qui non esset in caelo apud Deum. — Sicut idem

[1]) Sozomenus, h. e. 1, 21; M. 67, 922.
[2]) De servorum Dei beatificatione (Azevedo) l. 1. c. 42. n. 8.

Papa[1]) disserit, *infallibilitas non extendit se ad Martyrologium Romanum:* „Neque enim Sedes Apostolica omnia, quae in Martyrologium inserta sunt, inconcussae veritatis existimat, uti ex repetitis Martyrologii correctionibus constat." — Idem *dicendum est de vitis Sanctorum in Breviario Romano contentis.*[2])

Cfr. *Wilmers*, 454 ss. — *Andries*, 180 ss. — *Heinrich*, II. § 105. — *Gatti*, III. 562 ss. — *de Groot*, qu. 7. a. 5 ss.

Pars V.

De fide ecclesiae catholicae.

389 Postquam tractavimus de religione et revelatione in genere, de religionibus non christianis, de religione christiana et catholica, agimus nunc de fide ecclesiae catholicae. Vox fidei in Scriptura varia significat, praesertim a) *veracitatem* seu veritatem in dicendo, e. c. Ir 7, 28: „Periit fides de ore eorum." — b) *conscientiam* sive bonam sive malam, e. c. Rom 14, 23: „Omne, quod non est ex fide, peccatum est." — c) *fidelitatem* in servandis promissionibus, e. c. Rom 3, 3: „Numquid incredulitas illorum (Iudaeorum) fidem Dei evacuabit?" — d) *fiduciam*, e. c. Iac 1, 6: „Postulet in fide nihil haesitans." — e) *ambitum omnium veritatum divinitus revelatarum*, e. c. Eph 4, 5: „Unus Dominus, una fides." — f) *actum et virtutem illam, qua veritates divinae in mente tenentur*, e. c. Iac 2, 17: „Fides, si non habeat opera, mortua est." — Nos sumimus vocem fidei in sensu sub Nro. e. et f. notato, et agimus

1. De regula fidei,
2. De obiecto fidei,
3. De actu fidei,
4. De ordine inter fidem et rationem.

Caput I.

De regula fidei.

390 Regulam fidei catholicae exhibet nobis *Vatican.* (3. cap. 3): „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur." Hisce verbis exprimitur *regula fidei remota*, scil. verbum Dei scriptum et traditum, et *regula proxima* seu propositio et praedicatio ecclesiastica. — Scriptura S. et Traditio dicuntur etiam fontes revelationis.

---

[1]) L. c. l. 4. pars 2, c. 17. n. 9.
[2]) l. c. c. 13. n. 6 ss.

Articulus I.
De regula fidei remota.

Sectio I.
De Traditione.

§ 1. De Traditione in genere (de notione, divisione, necessitate, valore, fontibus Traditionis).

I. Notio. — Vox Traditionis active et subiective sumpta **391** significat in genere illum actum, qui aliquam rem, doctrinam, institutum ad alios propagat; passive et obiective sumpta designat rem traditam. In sensu speciali significat Traditio (passiva et obiectiva) veritates et institutiones christianas antiquitus ad posteros traductas; et illi actus, quibus eaedem posteris transmittuntur, dicuntur Traditio activa; haec Traditio activa est nihil aliud nisi viva et infallibilis praedicatio ecclesiastica. — Nos agimus hic de Traditione obiectiva et passiva, specialissime de illa, cuius definitio habetur infra sub n. 392 c.

II. Divisio.

1. *Ratione obiecti* distinguitur Traditio de fide, de moribus, de disciplina.

2. *Ratione durationis* est Traditio perpetua et temporaria. **392**

3. *Ratione loci* est universalis et particularis.

4. *Ratione modi* propagationis est Traditio scripta et non scripta (oralis et practica).

5. Gravissima distinctio fit *ratione originis*, scil. ecclesiastica, simpliciter apostolica et divino-apostolica. De hac distinctione fusius tractemus.

a) *Traditio ecclesiastica* seu pure humana concernit eas leges, quae auctoritate ecclesiastica ordinatae sunt et usu continuo posteris propagantur. Hae conscriptae sunt praesertim in iure canonico; obiectum earum pertinet ad disciplinam ecclesiasticam, quare non sunt immutabiles. Peccatum quidem esset, eiusmodi Traditiones leviter reiicere, attamen verbum Dei traditum non sunt.

b) *Traditiones simpliciter seu mere apostolicae* sunt illae ordinationes, quae ab apostolis quidem factae sunt, sed non quatenus erant organa revelationis divinae, verum quatenus erant pastores primi Christianorum. Eiusmodi possunt enumerari: prohibitio fruendi sanguine et suffocato, quam apostolorum concilium (Act 15, 29) edidit; item ordinationes quoad celebrationem diei Paschatis, usus agaparum. Etiam hae ordinationes et Traditiones sunt humanae, quare possunt inter se differe, mutari, totaliter tolli; non debent esse universales, perpetuae, non sunt omnibus hominibus et temporibus necessariae. Quoad has Traditiones tum ecclesiasticas tum apostolicas ait professio fidei Tridentina a Pio IV. praescripta:

„Apostolicas et ecclesiasticas Traditiones reliquasque eiusdem ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector." Consulto non dicitur: „credo", quia omnes hae Traditiones non sunt obiectum fidei.

c) *Traditio divino-apostolica.* Haec continet omnes veritates tum ad fidem tum ad mores tum ad disciplinam pertinentes, quae a Christo ipso vel apostolis ut instrumentis divinae revelationis Spiritu S. inspirante ecclesiae traditae et continua successione in ecclesia conservatae sunt. Haec est Traditio in sensu stricte theologico et est obiectum fidei et cultus immutabile. Nam immediate oritur ex divina revelatione et ordinatione sive per Christum ipsum, de quo legimus (Act 1, 3): „Per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei", sive per apostolos ut organa divinae revelationis secundum Io 16, 12 s: „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem." Haec est Traditio perpetua, universalis, necessaria, amplectitur fidem, mores et disciplinam divinitus ordinatam. Eadem est tum scripta tum non scripta, et haec Traditio non scripta dicitur Traditio κ. ε. — Quatenus haec Traditio non scripta continet easdem res quas Scriptura, vocatur *Traditio inhaesiva;* quatenus veritates in Scriptura obscure contentas planius et clarius habet, nuncupatur *declaratoria;* et quatenus docet veritates, quas Scriptura non praebet, nominatur *constitutiva.* Eiusmodi veritates traditae, quas Scriptura non prodit, sed sola Traditio, sunt imprimis: veritas, inspiratos et canonicos esse singulos libros Scripturae; multae propositiones de sacramentis, e. c. validum esse baptismum ab haereticis collatum, licere paedobaptismum. Quoad cultum Traditioni non scriptae innititur praesertim celebratio diei dominicae.

III. Necessitas et finis Traditionis divino-apostolicae. — Traditio necessaria est

393 1. ad Scripturam S. confirmandam, 2. ad Scripturam S. supplendam, 3. ad Scripturam S. exponendam.

De hac triplici necessitate agemus in §§ propriis sequentibus.

394 IV. Valor Traditionis divino-apostolicae. — Traditio haec momenti gravissimi est, quia, sicut in §§ sequentibus videbimus, religio christiana sine Scriptura esse et persistere posset, sed nullatenus sine Traditione. Iam *S. Irenaeus*[1]) scribit: „Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis,

[1]) 3, 4, 1—2; M. 7, 855.

quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem Traditionem diligenter custodientes."

V. Fontes, ex quibus traditiones divino- 395
apostolicae hauriuntur. — Sicut quoad veritates fidei cognoscendas regula immediata et proxima est praedicatio et propositio a parte magisterii ecclesiastici, regula autem remota est Scriptura S. et Traditio, ita etiam quoad cognitionem traditionum *proxima et immediata regula et fons est declaratio et propositio ecclesiastica.* De propositione ecclesiastica postea agemus. Nunc breviter enumerabimus *fontes mediatos* seu remotos praecipuos.

1. *Usus universalis ecclesiae.* — *S. Augustinus:*[1]) „Quod universa tenet ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur." — *Vincentius Lirin.:*[2]) „In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim vere proprieque catholicum."

2. *Liturgia.* — Haec nonnisi est apparitio et revelatio et quasi visibile corpus fidei articulorum. Iam S. Augustinus[3]) ex orationibus ecclesiae derivavit fidem ecclesiae in necessitatem gratiae. Praesertim quoad doctrinam de sacramentis et Mariologiam liturgia antiqua praebet testimonia gravissima. Idem dicendum est de monumentis, picturis, inscriptionibus sepulchralibus praesertim in catacumbis exstantibus etc antiquitatis christianae, de actibus SS. Martyrum.

3. *Consensus Patrum.* — *Patres scientia et sanctitate eximii sunt testes praecipui doctrinae antiquae et Traditionis apostolicae* (doctores authentici, testes qualificati). Itaque iam antiqui Patres et concilia advocavere Patres priores ad doctrinam catholicam stabiliendam et haereses damnandas, e. c. Paulinus diaconus[4]) contra Pelagianos, S. Cyrillus Alex.[5]) contra Nestorium, Vincentius Lirin.,[6]) concil. Lateranense I. (a. 649).[7]) Quare S. Basilius:[8]) „Patrum vestigiis non insistere nec sua sententia vocem illorum potiorem ducere, res est reprehensione digna, ut plena arrogantiae." — Patrum testimonia eo graviora sunt, quo ipsi antiquiores sunt et quo plures eandem doctrinam attestantur, praesertim si de eadem re conveniunt orientales et occidentales. Attamen *sufficit consensus moralis*, non oportet

[1]) De bapt. 4, 24, 31; M. 43, 174.
[2]) Commonit. c. 2; M. 50, 640.
[3]) De dono persev. 23; M. 45, 1031.
[4]) Libell. adv. Caelest. n. 3; M. 20, 713.
[5]) Hard. 1, 1275.
[6]) Comm. c. 29.
[7]) Can. 17; Denz. 270.
[8]) Ep. 52, 1; M. 32, 321.

sit absolutus ad probandam veritatem aliquam, *non requiruntur Patres antiquissimi.* Etiam libri Patrum plurimi nonnisi ad certos fines, praesertim occasione haeresum exortarum scripti sunt. Quare Patres priores de hac re scribere non debuerunt, quia nemo eam aggressus erat. Praeterea multi libri Patrum non iam extant. *Satis est nonnullos Patres de aliqua veritate testimonium perhibere et alios non contrarie docere.* — Ceterum Patres singuli, *quatenus sunt doctores privati, non testes* Traditionis, de rebus, quae in praedicatione ecclesiastica nondum explicite contentae erant, errare potuerunt, et ideo potest esse contradictio plus minusve maior inter sententias Patrum. Ipse S. Augustinus, profunditate et amplitudine scientiae omnium Patrum excellentissimus et auctoritate gravissimus, scribit de se ipso:[1]) „Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit." Alexander VIII. reprobavit thes. 30. (7. Dez. 1690. Denz. 1320): „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam." *Auctoritas Patrum est minor auctoritate ecclesiae,* sicut ipse Augustinus ait:[2]) „Non accipio, inquam, quod de baptizandis haereticis et schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit." — Quoad res ad fidem vel mores non spectantes etiam a consensu unanimi Patrum ex causis gravibus discedere licet, ut postea videbimus.

4. *Definitiones conciliorum.* — Antiqua concilia, quatenus sunt oecumenica vel ab omni ecclesia recepta et a Papa confirmata, praebent iudicium infallibile de aliqua traditione, quia exprimunt consensum magnum multorum Patrum simulque sunt organa magisterii infallibilis ecclesiastici. Quatenus non sunt recepta vel approbata, saltem possunt exhibere testimonia praecipua traditionis alicuius.

396 5. *Scholae theologicae.* — Si scholae theologicae de aliqua propositione ad res fidei vel morum pertinente consentiunt, hoc est testimonium, eam spectare ad Traditionem ecclesiae. Melchior Canus pulchre scribit:[3]) „Concordem omnium theologorum scholae de fide aut moribus sententiam contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est." Nam „si qua in quaestione universi theologi eadem inter se concinnunt, profecto, si in eo errant, ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut a theologis acceperunt. Ita fit, ut ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. Error enim, cui non resistitur, approbatur." Ecclesia ergo faveret haeresi, si consensus theologorum non esset criterium veritatis et

[1]) De don. persev. 21, 55; M. 45, 1027.
[2]) Cont. Crescon. 2, 32, 40; M. 43, 490.
[3]) De locis theol. l. 8. c. 4. n. 3.

genuinae Traditionis. Praeterea magisterium ecclesiasticum ipsum in periculo errandi esset constitutum; nam, quia non gaudet dono inspirationis divinae in decisionibus suis, ad cognoscendam veritatem debet adhibere media humana, ad quae imprimis consensus theologorum pertinet. — Pius IX. in ep. ad archiep. Monaco-Frising. 21. Dec. 1863 (Denz. 1684) dicit „haud satis esse ut (viri catholici) praefata ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram."

6. *Scholastici* inter scholas catholicas locum primum tenent. 397
Plurimi eorum velut Anselmus, Albertus, Thomas, Bonaventura, Scotus etc excellunt non solum eximia sagacitate, sed etiam egregia sanctitate vitae. Ex ipsorum praesertim scriptis Concil. Trident. sumpsit arma ad refellendas haereses et doctrinam catholicam clarissime proponendam. Omnes moderni catholici theologi, qui plus minusve a tramite veritatis declinaverunt, praesertim ideo aberraverunt, quia respuerunt Scholasticos et nimis aestimarunt modernam philosophiam modernasque ideas, e. gr. Günther, Hermes, Hirscher, Frohschammer, Bautain, praesertim Modernistae. Quam perlucidae et praecisae sunt notiones, definitiones, distinctiones scholasticae! Quam confusa, indistincta et obscura verba multorum doctorum modernorum! Ceterum etiam Scholastici, quatenus ut doctores privati considerari debent, errori obnoxii sunt; sic per totum saeculum 13 falso censuerunt de Conceptione Immac. B. M. V. Opiniones variae scholasticae antiquatae et non iam retinendae sunt. Etsi studium Scholasticorum omnibus theologis nunquam satis recommendandum est, tamen illi moderni inconsiderate agunt, qui doctrinam Scholasticam quasi deificant, acsi sit omnibus numeris absolute perfecta, ultra quam vix verus propriusque progressus admittendus sit. Eiusmodi opinio theologiam necessario stagnationi et marasmo tradit. Sicut doctrina Patrum dumtaxat pro suo tempore fuit perfecta, sic et Scholastica. Quod, ut infra videbimus, fides et dogmata paulatim magis explicari debent, eo ipso etiam disciplinam theologicam crescere et ampliari necesse est.

a) *S. Thomas* inter capita Scholae gravitate praecipua gau- 398
det, quippe cum Papae multi, inter quos Leo XIII., doctrinam eius commendaverint summis laudibus, et Leo XIII. 4. Aug. 1880 eum caelestem patronum scholarum omnium catholicarum declaraverit. Immo, praeeuntibus decretis Pii X. Codex Iuris Canonici novus can. 1366 § 2 statuit: „Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum (Seminariorum) in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris

rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant." At hac constitutione non interdicitur sequi doctrinam alterius Scholastici, quatenus non adversatur iis, quae can. 25 ss de consuetudine, praesertim de consuetudine immemorabili, dicuntur; quare can. 1366 § 2 certe non prohibet, quominus Fratres Minores in Seminariis pro alumnis suis retineant doctrinam Scholae Franciscanae et Scoti. Ceterum Aquinas non est auctor divinitus inspiratus sicut hagiographi, non infallibilis; absque dubio erravit de doctrina Immaculatam Conceptionem B. M. V. concernente, id quod etiam theologi eximii alias defensores Doctoris Angelici concedunt (cfr. Dogm. Special. I n. 629). Constitutiones dictae ecclesiasticae S. Thomam attinentes nihil derogavere dignitati et auctoritati aliorum Scholasticorum ex natura rei vel ex declarationibus ecclesiae eis competenti.

399 b) Quod *S. Bonaventuram* specialiter attinet, idem Leo XIII. doctrinam eius similibus laudibus extulit et commendavit ac Aquinatis, 13. Dec. 1885 in litteris ad Ministrum Generalem Ordinis Minorum datis scribens: „Quanta inter S. Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est. Ac s. m. Sixtus V., decessor Noster, verissime affirmavit eos esse ‚duas olivas et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae suae luce totam ecclesiam Dei' collustrarent . . . Quapropter nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim iuvenes in spem ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, in perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis, quasi ex praecipuis armentariis, gladios ac tela sumant, quibus in teterrimo bello adversus ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto hostes superare strenue queant." Hanc epistolam confirmavit idem Pontifex in litteris 19. Sept. 1899 ad eundem Ministrum Generalem directis; in quibus simul denuo approbavit paragraphum Constitutionum Generalium Ord. Minorum, quae praescripsit: „In doctrinis philosophicis et theologicis antiquae *scholae Franciscanae* inhaerere studeant." (Lectores).

400 c) *Quod spectat Scotum eiusque scholam*, notandum est, hanc scholam nihil aliud esse nisi continuationem et explicationem Scholae Franciscanae Prioris. Distingui enim solet Schola Franciscana Prior et Posterior. Schola Prior, cuius patroni dicuntur esse praesertim Alexander Hal., S. Bonaventura, Mathaeus ab Aquasparta cardin., nihil aliud fuit nisi Augustinismus antiquus, quem tenuerunt omnes theologi ante S. Thomam, praesertim magistri saeculares Universitatis Parisinae, et quem ab eis acceperunt et retinuerunt hi aliique Franciscani. Hic Augustinismus nixus est Platone, quem secuti sunt etiam Patres ecclesiae valde plurimi, immo fere omnes, praesertim magnus Augustinus, cuius doctrinas

philosophicas et theologicas magnamque auctoritatem secuti sunt omnes theologi usque ad initium saeculi 13. Tunc temporis scripta Aristotelis, praeter logica iam antea nota, metaphysica, physica, ethica praecipua nota facta sunt. Philippus Grevius, Guilelmus Altissiodorensis, Alexander Hal., Bonaventura etc haec scripta in dies plus quidem citaverunt, sed ob eorum influxum doctrinam traditam non vel paulum mutaverunt, id est adhaeserunt S. Augustino et eo ipso Platoni sicut antea. Aliter apud S. Thomam. Is studio Aristotelis commotus quoad puncta gravia discessit a sententia antiqua, et varias doctrinas novas proposuit. Contra eum surrexerunt non solum Franciscani, sed etiam magistri saeculares, praesertim Parisienses, immo etiam multi Dominicani. Brevi post eius mortem a Stephano Tempier, episcopo Parisiensi, anno 1277, et eodem anno ab archiepiscopo Cantuariensi Roberto Kilwardby, O. Praed., nonnullae theses ab Aquinate doctae reprobatae sunt. Quod ergo postea Duns Scotus pariter multas opiniones Doctoris Angelici impugnavit, nihil novi fecit, sed non nisi pugnam aliorum tum Franciscanorum tum Dominicanorum tum magistrorum saecularium continuavit, et nonnisi doctrinam antiquam a S. Augustino traditam et per multa saecula ubique in scholis retentam defendit. Numquid hoc fuit illicitum? Nonne S. Bonaventura, Doctor Seraphicus et Doctor ecclesiae, quoad momenta non pauca differt a doctrina Aquinatis? Index quidam oriundus ex saeculo 13. exeunte vel saeculo 14. ineunte annotat puncta, in quibus S. Bonav. et S. Thomas in Comment. ad libr. Sentent. Lombardi inter se dissentiunt. Quoad lib. 1. annotantur 24 puncta, quoad lib. 2. 62, quoad lib. 3. pariter 24 puncta.[1]) Non paucae sententiarum harum discrepantium etiam a Scoto retinentur et fusius explicantur. Doctrinae scotisticae praecipuae et plurimae inveniuntur iam apud Franciscanos, qui dicuntur praecursores Scoti, praesertim apud Guilelm. de Ware (Warra, Guarra), sicut brevi videas inspiciens eius scripta non iam typis edita.[2]) Quare illi errant, qui sentiunt, Scholam Franciscanam Priorem essentialiter convenire cum Aquinate et demum Scotum pugnam contra eum coepisse. Ceterum omnes concedunt Scotum, in impugnando nonnisi mere obiective progredi, immo cum quadam modestia, non raro nihil aliud faciendo nisi ostendendo, Aquinatis argumenta non convincere, non quadrare cum S. Augustino etc, Aquinatem alibi aliud docere; reapse non raro ex ipso argumenta

[1]) Cfr. Opp. S. Bonav. Quaracchi, tom. I. p. LXX, tom. II. p. III—V, tom. III. p. IV.

[2]) Quoad Comment. in Sentent. et Quodlibeta iam publicata *Richardi de Mediavilla O. F. M.* († intra 1300—1307, certe ante Scotum) hoc ostendimus et annotavimus 27 puncta, in quibus Richardus et Scotus essentialiter consentiunt, 5 puncta, in quibus Richardus neque cum Aquinate neque cum Scoto prorsus consentit, etsi huic magis appropinquare videtur quam illi; quoad 9 tantum alia puncta annotata sequitur in essentialibus S. Thomam. Cfr. *Minges*, Skotistisches bei Richard von Mediavilla, in: Theologische Quartalschrift. Tübingen 1917, 60—79; 1919, 269—304.

pro doctrinis scotisticis promi possunt. Schola scotistica ergo seu Franciscana Posterior essentialiter nihil aliud est nisi doctrina S. Augustini ab omnibus theologis usque ad tempora S. Thomae docta, etiam ab Alexandro Hal., S. Bonaventura aliisque Franciscanis antescotisticis. Praesertim a Scoto, sed etiam iam ab Halensi, S. Bonaventura aliisque ideae aristotelicae introductae et adhibitae sunt ad doctrinam catholicam magis declarandam et explicandam, at multo minus quam a S. Thoma eiusque schola. Franciscani quoad multo praecipua puncta antiquo Augustinismo et eo ipso antiquae doctrinae communi adhaerere continuavere. Suntne ob hoc vituperandi? Nonne forsitan laudandi sint? Uter ecclesiae plus profuit, Aristoteles an Augustinus? Uter pluris aestimandus est, Aristoteles an Plato? Absque dubio Plato erravit, praesertim parvi pendendo materiam et eo ipso statuendo falsam relationem corporis ad animam; quoad haec Schola Franciscana, speciatim posterior non Platonem secutus est. At etiam Aristoteles non paulum erravit; videtur hincinde materiam nimis aestimare; forsitan hoc modo conduxerit ad materialismum nostri temporis. Uterque, et Plato et Aristoteles, errant censendo materiam et eo ipso mundum esse aeternum. Plato manifesto immortalitatem animae exhibet; Aristoteles saltem dubius est. Certe fere omnes Patres ecclesiae, praesertim S. Augustinus, qua philosophi fuere Platonici vel Neoplatonici; summis encomiis laudaverunt idealismum platonicum. Nonne licitum est eos sequi? Nonne Plato eiusque doctrina etiam post S. Thomam inter catholicos multos asseclas habuit? Nonne licet sequi hos Patres?[1]) Ceterum magisterium ecclesiasticum nullam sententiam Scoti ulla unquam censura prohibuit. Econtrario S. Congregatio de Religiosis die 22. Augusti 1921 iterum verbotenus approbavit paragraphum Constitutionum Generalium Fratrum Minorum iam 27. Martii 1913 approbatam, quae sonat (§ 274, nunc 277): „In doctrinis philosophicis et theologicis Scholae Franciscanae ex animo inhaerere studeant (Lectores), ceteros Scholasticos, Angelicum praesertim Doctorem D. Thomam, catholicarum scholarum caelestem patronum, magni faciant." Quia hae Constitutiones Generales Ordini Fratrum Minorum a Sede Apostolica praescriptae sunt, etiam haec paragraphus Scholam Franciscanam concernens praescripta est.

401 7. *Pia devotio fidelium communis diuturna ab ecclesia approbata consensu saltem tacito.* — Ecclesia novit modos devotionis fidelium vigilatque de iis. Hac devotione nonnullae opiniones doctrinam fidei spectantes exprimi solent multo prius quam doctores theologiae, nedum magisterium ecclesiasticum ex officio iis occupatur sive approbando sive reprobando. Episcopi approbant,

[1]) Cfr. Card. *Franz Ehrle* S. J., John Peckham O. F. M. über den Kampf des Augustinismus und Aristotelismus in der zweiten Hälfte des 13. Jahrhunderts. — Idem: Der Kampf um die Lehre des hl. Thomas in den ersten 50 Jahren nach seinem Tod. (Zeitschr. f. kath. Theol. 1889, 172 ss; cfr. 1913, 266 ss).

immo interdum commendant libros devotionis, quibus eiusmodi opiniones piae proferuntur; absque dubio hoc non facerent, immo aliter agerent, si eis persuasum esset, has opiniones non esse vere pias, sed falsas, periculosas, superstitiosas etc. Iam multo ante Conc. Ephesinum, multo ante testimonia Patrum nobis nota, B. M. V. nominari solebat Dei genitrix, id quod etiam Harnack[1]) concedit. Etiam eius Conceptio Immaculata iam saeculo 12. et 13. a multis Christifidelibus credita esse videtur, quamquam theologi passim contrarium docebant. Hae piae opiniones iam pridem dogma sunt. SS. Cor Iesu a piis cultum est saeculis prioribus, sicut postea approbavit magisterium ecclesiasticum, etsi pars theologorum non assentiebatur. Etiam nunc varii devotionis piae modi inter fideles in omnibus regionibus idque ex saeculis occurrunt, velut Mariam esse corredemptricem, sacerdotem, offerentem Christum in templo, et sub cruce invisibiliter eosdem dolores passam esse idque iam multo ante passionem Christi, quos is ipse visibiliter passus est; vel Mariam omnes gratias dispensare; vel animae piae multae Christum eucharisticum consolari solent. Hi aliique modi piae devotionis Summo Pontifici et episcopis ex annis multis noti sunt; non solum tolerantur consensu tacito, sed permulti libri approbantur, hincinde commendantur, qui talia proferunt; immo si officia liturgica permittuntur, quae tales sententias exhibent; vel si societates piae, quae hos pios usus colunt, approbantur, immo commendantur: nonne hoc modo testimonium perhibetur, has devotiones consentaneas esse cum doctrina catholica? Nonne theologo permissum est ostendere in has devotiones ut in fontes Traditionis vivae? Nonne possibile est, unam alteramque harum opinionum tempore futuro ab ecclesia ex professo doceri, defendi, immo ad dogma formale evehi? Nonne theologis posterioribus licitum erit appellare ad hos pios usus iam nunc assuetos? Absque dubio theologum decet tales res serio examinare et non praepropere approbare, sed etiam caveat ne cum zizania etiam frumentum evellat.

Cfr. *Bellarmin*, de verbo Dei, l. 4. c. 2. — *Franzelin*, de divina Traditione etc sect. 1. th. 1 ss. — *Melch. Canus*, l. c. 1. 3. — *Heinrich*, II. § 76 ss. — *de Groot*, qu. 18—19.

§ 2. De realitate Traditionis constitutivae seu fontis revelationis a Scriptura S. distincti.

De Traditione, quatenus Scripturam S. confirmat et exponit, postea agemus in §§ de canonicitate et expositione Scripturae. Nunc nonnisi de illa Traditione tractamus, quae est verus ac plenus fons revelationis praeter Scripturam eamque supplet seu veritates continet, quas Scriptura non habet.

Thesis: Existit et necessaria est Traditio ut fons revelationis distinctus a Scriptura. 402

[1]) Cfr. Dogmengeschichte[4] II, 442, 471, 476 ss.

Hoc negant Protestantes dicentes, Scripturam solam sufficere ad doctrinam revelatam omnem cognoscendam, et hanc sententiam nominant principium formale Protestantismi. At *Conc. Trident.* s. 4: „Sacrosancta synodus . . omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon Traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes tamquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu S. dictatas et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur." Similiter Vatican. 3. cap. 2. — Veritas huius dogmatis patet:

1. *ex analogia foederis antiqui cum religione christiana.* — Ab initio usque ad Mosen revelatio originalis in paradiso et deinde patriarchis facta per annos circa 2500 nonnisi per traditionem transmissa est. Forsitan hae traditiones scriptae sint, sed eiusmodi scripta certe non designari possunt ut S. Scriptura divinitus inspirata. Sed etiam Israelitae praeter legem scriptam traditiones antiquas non scriptas habuerunt. Legimus e. c. Ps 43, 2: „Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum et in diebus antiquis." Quare etiam in ecclesia novi testamenti adesse debere videtur verbum Dei non scriptum, sed viva voce a generatione in generationem translatum.

2. *ex modo docendi Christi et apostolorum.*

403 a) *Christus ipse* nihil scripti reliquit, nonnisi oretenus magisterio suo functus est. Item apostolis nonnisi mandatum docendi et praedicandi, non mandatum scribendi dedit (Mt 28, 19): „Docete omnes gentes"; Mc 16, 15: „Praedicate evangelium."

b) *Apostoli.* *α*) Munus principale eorum fuit munus verbi praedicandi, non munus scribendi. Quare non omnes scripserunt, sed ex 13 apostolis tantum 6, et scripta eorum, sicut unicuique obiter tantum consideranti patet, composita sunt dumtaxat quasi occasionaliter ad certos fines consequendos vel ad certas quaestiones decidendas. Munus scribendi fuit nonnisi accessorium, adiumentum negotii praedicandi. — *β*) Etiam illi, qui scripserunt, in epistolis suis saepius nituntur verbo suo orali et admonent, ut etiam Traditiones vocales conserventur, e. c. 1 Cor 11, 2: „Laudo vos, fratres, quod, sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis." — 2 Thes 2, 14: „Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram. — 1 Cor 11, 23: „Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis." — 1 Cor 11, 34: „Cetera autem, cum venero, disponam"; 15, 3: „Tradidi vobis in primis, quod et accepi." — *γ*) Instituerunt successores suos ut custodes et praedicatores doctrinae ipsis traditae et oraliter annuntiatae: 1 Tim 6, 20: „O Timothee, depositum custodi!" — 2 Tim 1, 13 s: „Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti . . . Bonum depositum custodi per Spiritum S." — Tit 2, 15: „Haec loquere et exhortare et argue cum omni imperio."

3. *ex natura et indole scriptorum.* — Haec sunt nonnisi occasionibus specialibus et ad certos fines composita. Singula scripta non volunt exhibere compendium vel tractatum de doctrina tota christiana. Ipsa illa scripta, quae maxime universalem finem intendunt, scil. ep. ad Romanos et Hebraeos, instructionem de doctrina Christi sufficientem non praebent. Immo S. Paulus (Rom 1, 11) promittit, se postea Romanos oretenus fusius eruditurum esse. Neque libri apostolorum collective sumpti efficiunt opus totum secundum consilium fixum ordinatum, non supplent perfecte alii alios, nullus auctor scripsit, ut partem quandam conferret ad opus maius tale, quale doctrinam christianam complete et concinne contineat. Scriptura est tantum collectio librorum quasi occasionaliter editorum, non codex legis christianae completus.

4. *ex historia fundationis ecclesiae.* — Exstitit iam fides chri- **404**
stiana et fuerunt communitates christianae, quae habebant regulam fidei, multo antequam epistolae apostolorum erant conceptae vel saltem ut genuinae ubique agnitae et admissae. Immo iam ante originem evangeliorum inveniuntur coetus fidelium valde florentes. Hoc communiter nunc etiam Protestantes concedunt.[1]) Ergo Scriptura non potuit esse regula fidei, sed praedicatio et traditio oralis apostolica.

5. *ex locis Patrum.* — *Eusebius:*[2]) „Eius (Christi) vero discipuli .. partim litteris partim sine litteris quasi iure quodam non scripto servanda commendarunt." — *S. Epiphanius:*[3]) „Traditione quoque opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco alia scripto, Traditione alia sanctissimi apostoli reliquerunt." — *S. Basilius:*[4]) „Ex asservatis in ecclesia dogmatibus et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recipimus ex Traditione apostolorum, quorum utraque vim eandem habent ad pietatem."

6. *ex consensu ecclesiarum orientalium.* — Graecorum „orthodoxa confessio orientalis ecclesiae" anno 1642. composita scribit:[5]) „Dogmata sunt duplicia; quaedam traduntur scripta, quae continentur in libris theologicis sacrae Scripturae; et quaedam ore apostolorum, et haec exposita sunt a synodis et sanctis Patribus. Et in his duobus fides fundata est." Similiter omnes aliae sectae velut Nestoriani, Iacobitae, Coptitae etc agnoscunt Traditionem apostolicam, SS. Patrum et conciliorum doctrinam.

---

[1]) Cfr. *Ad. Harnack:* Über den privaten Gebrauch der hl. Schriften in der alten Kirche. Leipzig 1912, 9.

[2]) Demonstrat. evang. 1, 8; M. 22, 75.

[3]) Haer. 61, 6; M. 41, 1047.

[4]) De Spiritu S. 27, 66; M. 32, 187; cfr. l. c. 29, 71; M. 32, 199.

[5]) Pars 1. interrogatio 4 (apud Schelstrate: Acta orientalis ecclesiae contra Lutheri haeresim, Romae 1739, p. 417, cfr. 366, 371).

405 Obiectiones. — 1. *Christus vituperat Iudaeos* (Mc 7, 5 ss), *quia reliquerint mandata Dei et tenuerint traditiones hominum.* — Resp.: Christus reiecit traditiones iudaicas pure humanas, quas Iudaei pluris aestimabant quam praecepta legis; non vituperavit traditiones bonas, eo minus divinas. — 2. *Patres saepe dicunt, Scripturam sufficientem esse.* — R. Patres vel voluerunt dicere, Scripturam omnes veritates fundamentales, praesertim illas, quas omnis homo explicite scire debet, clare continere; vel omnes veritates saltem insinuare — revera nulla veritas catholica est, quae in Scriptura non saltem obscure et implicite habetur; e. c. paedobaptismus continetur in verbis (Io 3, 5): „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei." — vel voluerunt dicere: Scriptura seu revelatio sufficit, Christiano non opus est philosophia ethnica, traditionibus Gnosticorum etc. Itaque etiam illi Patres, qui manifesto necessitatem Traditionis defendunt, sufficientiam Scripturae solius docere videntur. *Tertullianus* e. c. scribit:[1]) „Negat Scriptura, quod non notat." At idem[2]) disserit, Scripturam esse insufficientem, et concludit: „Ergo non ad Scripturam provocandum est." Item[3]) enumerat seriem usuum christianorum, e. c. consuetudinem sacrificii pro defunctis offerendi, et pergit: „Harum et aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix." — *Vincentius Lirin.*[4]) ait, Scripturarum canonem sibique ad omnia satis superque sufficientem esse. At in eodem capite dicit, fidem duplici muniri modo, „primum scilicet divinae legis auctoritate, tum deinde ecclesiae catholicae Traditione". „In ipsa item catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est." — Etiam *Scotus*[5]) loquitur: „Patet, quod sacra Scriptura sufficienter continet doc-
406 trinam necessariam viatori." Sed his verbis nullatenus exprimere vult, Scripturam ex sese esse sufficienter perspicuam ideoque non egere interpretatione, nec eam per se solam esse completam revelationem vel unicum revelationis fontem. Econtra luce clarius docet, ad Scripturam accedere oportere Traditionem apostolicam supplentem; hoc sequitur ex locis sequentibus:

„Christum descendisse ad inferna, non docetur in evangelio, et tamen tenendum est, quia ponitur in Symbolo apostolorum; ita multa alia de sacramentis ecclesiae non sunt expressa in evangelio, et tamen ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab apostolis,

[1]) De monogam. 4; M. 2, 934.
[2]) De praescr. capp., 14 ss; cap. 19; M. 2, 31.
[3]) De corona, 3—4; M. 2, 80.
[4]) Com. 2; M. 50, 640.
[5]) Prolog. in 1. lib. sent. qu. 2, n. 14.

et periculosum esset errare circa illa, quae non tantum ab apostolis descendunt per scripta, sed etiam quae per consuetudinem universalis ecclesiae tenenda sunt; nec Christus in evangelio docuit omnia pertinentia ad dispensationem sacramentorum. Dixit enim discipulis suis in Ioanne: *habeo multa vobis dicere* etc ... Multa igitur docuit eos Spiritus Sanctus, quae non sunt scripta in evangelio, et illa multa quaedam per Scripturam, quaedam per consuetudinem tradiderunt.“[1]) — „Multa tradita sunt ecclesiae ab apostolis, quae tamen non sic scripta sunt in evangeliis.“[2]) — „Nec est improbabile, multa esse tradita auctoritative a Christo ecclesiae per apostolos, quae tamen in Scriptura non legimus, ut dicit Damascenus 4. *lib. cap.* 4, ubi loquens de adoratione imaginum ait: *Est autem nobis tradita ista traditio*“ etc.[3]) — „Est de iure divino positivo promulgato a Christo apostolis, sed ecclesiae promulgato per apostolos absque omni Scriptura, sicut multa alia tenet ecclesia oretenus per apostolos sibi promulgata sine Scriptura.“[4])

407 Nota: Patres et Scholastici per Traditionem intelligunt non raro non tam verbum Dei non scriptum quam totum depositum fidei tum scriptum tum non scriptum praesertim autem „intelligentiam ecclesiasticam“, id est rectam interpretationem veritatum revelatarum a parte ecclesiae sive docentis sive discentis. Haec vera et plena interpretatio non necessario ab initio ecclesiae fieri debet, sed nonnisi paulatim procedere potest. Quamvis traditiones ab ipsis apostolis vel saltem a primis saeculis oriundae permagni aestimandae sint, idque eo potius quo antiquiores sunt, tamen error esset respuere doctrinas vel usus religiosos, qui non proveniunt ex temporibus antiquissimis, sed a Patribus et theologis vel etiam fidelibus posterioribus tenentur. Id quod Christus locutus est ad apostolos (Io 16, 12 s): „Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem“, tangit non solum apostolos, tempora apostolica et saecula christiana prima, sed etiam christianos et tempora posteriora usque ad nos et posteros nostros. Christus et cum eo Spiritus S. usque in finem mundi in ecclesia sunt et inducunt eam paulatim in omnem veritatem, non quidem novas revelationes dando, sed ecclesiam plus in sensum revelationum a Deo volitum inducendo. Id faciunt illuminando non solum organa magisterii ecclesiastici, sed etiam theologos, Sanctos, praedicatores etc, etsi non modo infallibili sicut hagiographos, sed potius eis in studiis et meditationibus et lectionibus de rebus religiosis assistendo et eos saltem sensim inducendo in profundiorem sensum Scripturae et antiquarum traditionum, id est veritatum antiquitus traditarum. Absque dubio a parte ecclesiae discentis (theologorum, populi christiani) errores occurrere possunt. Sed si magisterium ecclesiasticum eiusmodi doctrinas novit, per multum temporis vel complura saecula agnoscit, immo commendat, certe „intelligentia ecclesiastica“ praesto est, et theologo ad eas appellare ut testes veritatis licet.[5])

Cfr. *Bellarmin*, de verbo Dei, l. 4, capp. 4 ss. — *Franzelin*, de Tradit. th. 5 ss. — *Heinrich*, I, § 67, 72. — *de Groot*, qu. 17. — *Winkler M.*, Der Traditionsbegriff des Urchristent. bis Tertullian., 1897, 1 ss, 12 ss, 73 ss.

---

[1]) Ox. l. 1, dist. 11, qu. 1, n. 5 (tom. 9, 827 b).
[2]) Ox. l. 4, dist. 8, qu. 2. n. 6 (tom. 17. 43 b).
[3]) Ox. l. 4, dist. 7. qu. 1. n. 3 (tom. 16, 690 b).
[4]) Ox. l. 4. dist. 17, n. 17 (tom. 18, 519 b).
[5]) Pulchra sunt, quae scribit *Dr. Karl Adam*, prof. Universit. Tubingensis (Glaube und Glaubenswissenschaft im Katholizismus, Rottenburg 1920, 16 ss). „Ich gestehe, als ich mich mit der altchristlichen Gedankenwelt vertraut zu machen begann, waren es zwei Erkenntnisse, die sich mir aufdrängten: einmal das klare Bewußtsein der Gläubigen von

Sectio II.

De Scriptura Sacra.

§ 3. De notione et divisione et excellentia Scripturae S.

408 I. Notio. — Scriptura Sacra (Scriptura κ. ε., γραφαὶ ἅγιαι, ἱερὰ γράμματα, ἡ γραφή, βιβλίον, βιβλία, βίβλος, sacrae paginae, sacrae litterae etc) est collectio omnium scriptorum, quorum auctores sunt viri divinitus inspirati, et quorum res est historia et doctrina revelationis positivae divinae.

409 II. Divisio. — Religio positiva antechristiana dicitur iam a Mose saepe in pentateucho testamentum, διαθήκη, berith. Signum et pignus visibile eiusdem, scil. arca sacra, vocatur saepissime arca foederis, interdum arca testamenti e. c. Ex 30, 26; Nm 14, 44. Item praenuntiavit Ir 31, 31 „foedus novum", et Christus loquitur de novo testamento, quod ipse instituit (Mt 26, 28; Mc 14, 24; Lc 22, 20). Quia utrumque testamentum (foedus, lex) habet libros suos sacros, distinguitur inter libros veteris et novi testamenti. Illi dicuntur breviter *„antiquum testamentum"*, hi *„novum testamentum"*.

410 III. Excellentia Scripturae. — Haec exprimitur ipso nomine „Scriptura, biblium" κ. ε. Nullus alius liber est toties perlectus, descriptus, typis impressus, in omnes linguas translatus, de nullo tam acriter disputatum est quam de Scriptura S. Patribus et theologis desunt verba et epitheta exornantia ad dignitatem et pretium huius libri satis extollendum; una voce ad studium eius admonent, sicut Leo XIII. in Litteris Encyclicis „Providentissimus Deus" 18. Nov. 1893 editis notat: „Quae omnia SS. Patres cognitione et usu quum exploratissima haberent, nunquam cessarunt in divinis Litteris earumque fructibus collaudandis. Eas enim vero crebris locis appellant vel thesaurum locupletissimum doctrinarum caelestium vel perennes fontes salutis, vel ita proponunt quasi prata fertilia et amoenissimos hortos, in quibus grex dominicus admirabili modo reficiatur et delectetur. Apte cadunt illa S. Hieronymi ad Nepotianum clericum:[1]) ‚Divinas Scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur; disce, quod doceas . . .

---

dem ihnen wesenhaft einwohnenden Heiligen Geist; zum andern die Hochschätzung der ἐκκλησία, des Solidarischen des altchristlichen Glaubensbewußtsein. War ja doch dieser Glaube nichts rein Begriffliches, er war Liebe und Leben; und Liebe und Leben sind notwendig gemeindebildend. So war es eine dem altchristlichen Bewußtsein eingeborene, in der Linie Paulus-Ignatius-Cyprian-Augustin immer wieder beteuerte Überzeugung: der Geist wirkt in und durch die Gemeinde; die Gemeinde ist das eigentliche Organ des Geistes. Nicht das „Ich", sondern das „Wir" ist Träger des Geistes. Hier liegt der Punkt, in dem der Katholik sich von der Betrachtungsweise seiner evangelischen Brüder am meisten unterscheidet." „Für den Katholiken ist also die geistbelebte Gemeinde, die Kirche als lebendige Einheit der Gläubigen, die Mutter des Lebens und die Säule und Grundfeste der Wahrheit (1 Tim 3, 15). Ihr Glauben und Lieben, ihr lebendiges Wort ist das Erste, der Buchstabe in Schrift und Tradition ist erst das Zweite".

[1]) Ep. 52, n. 7; M. 22, 533.

sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit'; convenitque sententia S. Gregorii Magni, quo nemo sapientius pastorum ecclesiae descripsit munera:[1]) ‚Necesse est, inquit, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant.' Hic tamen libet Augustinum admonentem inducere:[2]) ‚Verbi Dei inanem esse forinsecus praedicatorem, qui non sit intus auditor.' — Petrus Aureolus O. F. M.[3]) vocat Scripturam: tabernaculum, Dei domus, quasi Dei oraculum, domus super verticem montium collocata, mons diffusivi odoris, candor lucis aeternae, speculum sine macula maiestatis Dei etc. Recte summae laudes debentur Scripturae. Nam a) Deus est ipse auctor, ut videbimus. — b) Res in eo descriptae absolute et infallibiliter verae sunt. — c) Hae res momenti maximi sunt quoad salutem naturalem et supernaturalem. — d) Solvuntur in ea problemata gravissima metaphysica, historica, cosmologica, psychologica etc, de quibus scrutandis sapientissimi omnium terrarum et temporum multum laboris et sudoris impenderunt, sed vix verum invenire potuerunt. — e) Veritates profundissimae praesentantur in forma et verbis etiam simplicibus intelligendis. — f) Scripturae lectio non minus docet animos quam aedificat, consolatur, transmutat, impellit ad bene agendum. — g) Superat Scriptura Traditionem variis praerogativis. Etsi Scriptura sola per se non sufficit, sed eget Traditione supplente et exponente, et eatenus Traditio auctoritate et dignitate praestat, tamen Scriptura gaudet aliis virtutibus, quibus Traditio plus minusve caret. *α*) Dat nobis revelationem divinam immediate in iis verbis, quibus usi sunt hagiographi sine mutatione gravi, quare est et manet immediate verbum Dei, sicut Spiritus S. 411
inspiravit. Hoc non pariter dicendum est de Traditione, qualis nunc praesto est; nam per decursum temporis haec formam originalem paulatim amisit se explicando et evolvendo, etsi essentialiter eadem manet. — *β*) Praesertim exhibet nobis historiam, vitam, verba, facta Christi usque ad momenta minutissima in originali simplicitate, venustate, authenticitate et integritate, cum Traditio de hac re nonnisi in genere referat; iam Patres antiqui de vita Iesu nihil fere aliud sciverunt nisi quod Scriptura praebet. Quare Leo XIII. l. c.: „Recte affirmavit Hieronymus,[4]) ‚ignorationem Scripturarum esse ignorationem Christi'; ab illis nimirum extat, veluti viva et spirans imago eius, ex qua levatio malorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur."

Cfr. *S. Bonavent.* Brevil. prooem. — *Cornely*, Introductio in u. t. libros s. vol. 1, ed. 2, 1894, p. 21 ss. — *de Groot*, qu. 16, a. 1.

---

[1]) 2, c. 11 (al. 22); M. 77, 50.
[2]) Serm. 179, 1 M. 38, 966.
[3]) Aurea ac pene divina totius s. paginae commentaria compendiose edita prolog.
[4]) In Isai. prolog. M. 24, 17.

§ 4. De inspiratione Scripturae.

I. Notio inspirationis in genere.

412 Inspiratio est influxus immediatus supernaturalis Spiritus Sancti in animos virorum quorundam eiusmodi, ut Spiritus S. seu Deus ipse fiat auctor principalis librorum ab ipsis exaratorum. — Haec definitio postea fusius explicabitur.

II. Realitas inspirationis.

413 Hanc negant Naturalistae, Materialistae, Rationalistae, Pantheistae etc, e. c. Max Mueller[1]) et patroni scientiae illius modernae, quae religiones inter se comparat et omnes veras putat. Dicunt, sacros libros Iudaeorum et Christianorum non aliter libros sacros esse ac libros Indorum, Assyriorum, Mohammedanorum etc, qui et ipsi asserunt, libros suos sacros immediate a Deo auctoribus esse inditos. At non omnes illae religiones, quae gloriantur libris divinitus oriundis, revera tales habent, sed illae tantum, quae hoc probare possunt. Contra Naturalistas etc iam ostendimus, religionem iudaicam et christianam esse vel fuisse veram. Ex quo sequitur, dogmata earum esse vera; atqui utraque docet, libros suos sacros a Deo ipso prodire. Itaque illis relictis nunc possumus proponere doctrinam catholicam de inspiratione propositamque probare. Ecclesia formaliter definivit, Deum ipsum esse auctorem librorum dictorum. Praeeunte Concilio Florentino (in Decreto pro Iacobitis) definivit *Conc. Trident.* (s. 4): „Sacrosancta Synodus . . omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor . . . pietatis affectu suscipit." Item Vatican. (3. c. 2). — Hoc dogma patet:

1. *ex ipsa Scriptura.* — 2 Tim 3, 16: „Omnis Scriptura divinitus inspirata (*πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος*) utilis est ad docendum." Vox „*θεόπνευστος*" tantum in hoc loco occurrit nobis ut attributum scriptorum et designat libros dictos ut divinitus inspiratos, sive vox „omnis" sumitur distributive = unaquaeque Scriptura, sive collective = universa Scriptura, et sive vocem „inspirata" sumimus ut appositionem sive praedicatum. — Similiter 2 Ptr 1, 20 s: „Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit (id est: non naturali coniectura), sed Spiritu S. inspirati (*φερόμενοι*) locuti sunt sancti Dei homines." Hic textus mentionem facit quidem solum de genere certo hagiographiae, scil. de prophetia stricta, at certe probat, inspirationem supernaturalem reapse evenisse. — *Christus et apostoli Scripturam ita citant, ut manifesto appareat eorum fides, libros sacros a Deo provenire.* Tum Deum per hagiographos loquentem faciunt e. c. Act 1, 16: „Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus S. per os David"; vel Hbr 1, 6 citatur Scriptura verbis: „Dicit Deus"; tum inducunt hagiographos lo-

[1]) Einleit. in die vergl. Rel.-Wissensch. p. 98; cfr. Natürl. Religion, 227; 519—56.

quentes in Spiritu S., e. gr. dicit Mt 22, 43: „Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum?“ vel Mc 12, 36: „Ipse enim David dicit in Spiritu S.: Dixit Dominus Domino meo.“ — Item in novo testamento circa centies quinquagies occurrunt formulae: Scriptum est, Scriptura dicit etc, ex quo patet: Christus et apostoli Scripturae auctoritatem non pure humanam, sed altiorem, absolute infallibilem seu divinam attribuere.

2. *ex Traditione.* — a) *Patres citant Scripturam similiter et pari cum reverentia atque Christus et apostoli.* Iam epistola Barnabae habet c. 5: „Scriptum est“, „Dicit Deus“; c. 6: „Scriptura dicit“, „Ait Dominus“. — S. Irenaeus:[1]) „Spiritus S. . . per Mathaeum ait.“ — b) *Nominant eam verbum Dei*, eloquia Dei, divinas litteras etc; e. c. iam S. Clemens Rom.[2]). „Inspexistis diligenter Scripturas sacras, quae verae sunt et datae per Spiritum Sanctum.“ — c) *Vocant Deum auctorem*, e. c. Tertullianus:[3]) „Apostolus eodem utique Spiritu actus, quocum omnis Scriptura divina tum et illa Genesis digesta est.“ — Origenes:[4]) „In ecclesiastica praedicatione (est) . . . quod per Spiritum Dei Scripturae conscriptae sint.“ — Theodoretus[5]) dicit, nihil interesse, quis singulos psalmos scripserit, „cum constet, divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos.“ Similiter S. Gregorius Magnus.[6]) — d) *Inter auctorem humanum et Spiritum S. statuunt eam relationem, ut Spiritus S. appareat auctor principalis, hagiographus auctor instrumentalis.* S. Iustinus[7]) comparat sacros auctores cum instrumento citharae aut lyrae, quod plectro caelesti sonat. — Athenagoras[8]) dicit, Spiritum S. usum esse prophetis, „velut si tibiam inflet tibicen“. — S. Gregorius Magnus, l. c.: „Ipse (Spiritus S.) haec scripsit, qui scribenda dictavit.“ — Etiam S. Augustinus[9]) putat, hagiographos id scripsisse, quod eis Spiritus S. ostendisset et dixisset. — e) Quare *Scripturae attribuunt absolutam perfectionem.* S. (Irenaeus:[10]): „Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu eius dictae.“ — *S. Hieronymus*[11]) ait, in Scriptura iam ordinem verborum mysterium esse. — S. Basilius:[12]) „Verum nihil otiosum est in Spiritus Sancti verbis.“ — Praesertim adscribunt ei infallibilitatem, sicut videbimus. 414

[1]) 3, 16, 2; M. 7, 921.
[2]) 1 Cor 45, ed. Funk.
[3]) De orat. 22; M. 1, 1185.
[4]) De princ. praef. n. 8; M. 11, 119.
[5]) In psalmos praef.; M. 80, 861.
[6]) Praef. in Moral. c. 1, n. 2; M. 75, 547.
[7]) Cohort. ad Graecos; M. 6, 256.
[8]) Legatio pro Christian. 9; M. 6, 907.
[9]) De consensu evang. 1, 35, 54; M. 34, 1070.
[10]) 2, 28, 2; M. 7, 805.
[11]) Ep. 57. 5; M. 22, 571.
[12]) Com. in Isai. 70; M. 30, 238.

III. Essentia inspirationis.

1. Opiniones non sufficientes.

415 a) *Non sufficit immunitas ab errore cum receptione in canonem vel approbatione posteriore a parte ecclesiae.* (Bonfrère, Haneberg qui tamen postea sententiam retractavit.) Conc. Vatican. (3. cap. 2) „Eos (libros) vero ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales ipsi ecclesiae traditi sunt." — Haeretica est ergo propositio aliquorum, secundum quam sufficit ad canonicitatem inspiratio subsequens seu declaratio authentica ecclesiae, librum aliquem, qui solo humano studio et labore sine assistentia Spiritus S. compositus est, effici canonicum, si Spiritus S. vel ecclesia postea testatur, ibidem nihil falsi esse.[1]) Sub tali hypothesi liber quilibet de rebus religiosis agens et ab ecclesia approbatus, e. c. catechismus, liber inspiratus esset. Inspiratio subsequens est contradictio in adiecto. Approbatio ecclesiae non est causa canonicitatis libri alicuius, sed eius consequentia.

b) *Non sufficit mera assistentia divina negativa, qua auctor sacer ab errore praeservatur.* Eiusmodi sententiam praesertim Iahn habuit.[2]) At sub hac hypothesi etiam organa magisterii ecclesiastici infallibilis essent inspirata in definitionibus suis de rebus fidei et morum. Hoc est falsum. Assistentia est influxus divinus potius negativus, etsi momentum positivum non excludendum est; inspiratio debet esse influxus positivus talis et tantus, ut primarie Deus sit auctor libri. Definitiones ecclesiasticae non sunt verbum Dei, sed *continent* verbum Dei, Scriptura e s t verbum Dei.

c) *Non sufficit cooperatio quaedam divina, quatenus Deus consilium vel mandatum scribendi dat, vel hominem ad scribendum excitat, in scribendo et quoad res scribendas aliquo modo generali dirigit* (Rich. Simon). — Hoc modo magister non raro influit in discipulum quoad pensum elaborandum; sed nemo dicat, magistrum ipsum esse auctorem pensi elaborati eiusque totius. Secundum doctrinam catholicam autem Deus est auctor libri inspirati eiusque totius.

d) *Protestantes moderni* de inspiratione non raro in eodem sensu loquuntur, quo dicimus poëtas, artifices, musicos esse inspiratos. *Intelligunt ergo per inspirationem aliquam naturalem dotem religiosam.* Hoc modo non iam Deus auctor est, sed solus homo. Alii distinguunt varios gradus inspirationis quoad varios libros; quoad alios libros praesertim historicos vel partes, quae minus ad affectus religiosos excitant et aedificant, solus homo auctor est; quoad libros et partes valde aedificantes Deus quidem auctor esse

[1]) Cfr. *Dausch*, Die Schriftinspiration, 1891, 146 ss.
[2]) Dausch, 159 ss.

dicitur, sed *eiusmodi inspirationem habuere non solum hagiographi, sed etiam alii, immo omnes, qui cogitationes et affectus pios fortiter in se experiuntur.* Hoc modo omnis propria inspiratio, qualem ecclesia docet, tollitur; nam secundum hoc criterium libri vere inspirati, qui minus aedificant, non iam inspirati putantur; alii autem e. c. „Imitatio Christi," non inspirati ut inspirati censentur.[1]) Praeterea revelatio divina cum morte apostolorum non completa est, sed continuo perdurat, id quod contra traditionem et doctrinam ecclesiae est.

e) Opinionibus modernis protestanticis similes sunt *opiniones modernisticae* (Loisy, Ward, Tyrrell, Laberthonnière etc). Saepe quidem dicunt, Deum in hagiographis fuisse, eos ad scribendum movisse, per eos locutum esse etc. Sed his aliisque verbis nonnisi intelligunt *naturalem cognitionem sublimiorem, internam religiosam experientiam et commotionem,* similiter ac poëtae „inspirati" sunt, vel moventur quodam numine inhabitante per eos loquente; ideo Scriptura quidem inspirata esse dicitur, sed non sine erroribus, sicut etiam poëtae vel viri pii errant. Hanc sententiam Pius X. condemnavit (Denz. 2090), et quoad vetus testamentum thesim, praesertim a Loisy defensam (Lamentab. 10; Denz. 2010): „Inspiratio librorum veteris testamenti in eo constitit, quod scriptores Israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt." Nam secundum hanc thesim homo solus est auctor, eo quod propriam cognitionem et experientiam religiosam cum aliis communicat.

2. Contra opiniones p e r e x c e s s u m peccantes, dicendum est.

a) *Inspiratio non tollit auctoris humani vires naturales, praesertim non conscientiam sui nec usum rationis, sensuum vel voluntatis liberae, nec suspendit propriam omnem cooperationem humanam.* Sicut supra vidimus, donum prophetiae non aufert vel minuit per se vires naturales earumque usum rectum, sed eas elevat et altiore scientia ornat. Idem dicendum est de simplici inspiratione. Hagiographus non solum plus minusve, etsi non semper perfecte, intelligit, quid loquatur, sed, ut Scotus (cfr. n. 89) supra ait, etiam scit, — si forte excipias auctorem 2. libri Machabaeorum — se esse divinitus illuminatum, quamvis haec scientia ad notionem inspirationis pertinere non videatur. Item inspiratio non impedit laborem vigiliasque a parte hagiographi, ut patet ex n° sequente. 416

b) *Inspiratio non est necessario revelatio.* — Illae partes Scripturae, quas auctor humanus ex sese nihil scire potest, e. c. mysteria, vaticinia, debent quidem formaliter revelari. Ad alias partes autem, quas auctor ipse experientia et investigatione humana nosse valet, sufficit statuere minorem revelatione influxum divinum. Revelatio

[1]) De doctrina protestantica moderna cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1901, 452 ss, 594 ss; 1902, 81 ss.

est illuminatio in angustiore sensu quam inspiratio. Inspiratio spectat ad totam Scripturam, revelatio ad partes certas. Non ubique revelationem admittendam esse, probatur: a) Deus nihil frustra facit; atqui multa, quae in Scriptura continentur, auctor humanitus scire potuit et reapse scivit; e. c. apostoli opera Christi suis oculis viderant. — b) Auctor libri 2 Mach ait (2, 25 ss), se multum laboris impertivisse ad res, quas narrat, inveniendas et colligendas: „Non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus." Idem (15, 29) petit indulgentiam, si res minus apte composuisset: „et siquidem bene et ut historiae competit, hoc et ipse velim; sin autem minus digne, concedendum est mihi." Etiam Lc 1, 1 ss refert, se ipsum diligenter studuisse investigationi rerum in evangelio suo descriptarum.

417 c) *Non necessario admittenda est inspiratio verbalis seu inspiratio et dictatio omnium verborum.* Iam Patres aliqui, praesertim scholae Alexandrinae, putantes apices et puncta omnia Scripturae esse divina et mysteriosa, censuerunt, Spiritum S. verbotenus auctori cunctas res scribendas dictasse. Potissimum multi theologi antiquiores Protestantes, e. c. Calow, Quenstedt et „Formula consensus ecclesiarum Helveticarum" ex anno 1675. oriunda, opinati sunt, omnes syllabas et voces et litteras et puncta immediate esse divinitus indita. Protestantes plurimi adeo progressi sunt, ut Scripturam paene ut ipsum Deum colerent. — At inspiratio verbalis videtur esse reiicienda. a) Auctores mentionem faciunt de proprio labore et studio in scribendo. — b) Invenimus easdem formas eloquendi, quas habent auctores communes: allegorias, interrogationes, ironias, accumulationem synonymorum, ellipses, parentheses, anacolutha, asyndeta, immo hyperbolas verbaque minus praecisa, e. gr. 3 Rg 4, 34: „Et veniebant de c u n c t i s populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab u n i v e r s i s regibus terrae, qui audiebant eius." Io 6, 19: „Cum remigrassent q u a s i stadia viginti quinque a u t triginta"; cfr. Act 25, 6. — c) Stilus in aliis libris alius est et manifesto prodit animum scribentis. Quantum differt elocutio auctoris Cantici Canticorum ab elocutione psalmorum, qui dicuntur exsecratorii? Prorsus aliter scribit Paulus ac Ioannes: ex illius scriptis elucescit impetus et velocitas Pauli, qui omnibus omnia fieri vult, expers otii ad eloquio venustatem et nitorem rhetoricum dandum, quare iam S. Irenaeus:[1]) „Hyperbatis frequenter utitur apostolus (Paulus) propter velocitatem sermonum suorum et propter impetum, qui in ipso est spiritus;" in hoc apparet tranquillitas et aequitas animi, qui quasi continuo ad caelestia fixus est. — d) Idem opus vel eundem sermonem Christi narrant varii auctores vario modo, e. c. tres synoptici tradunt essentialiter quidem idem de institutione coenae Domini, sed quoad formam verborum accidentalem inter

[1]) 3, 7, 2; M. 7, 865.

se differunt. S. Augustinus[1]) de discrepantia inter synopticos quoad sermones S. Ioannis Bapt. ait: „Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam ita, eos explicasse manifestum est." — e) Plerumque citant libros veteris testamenti secundum Septuaginta, non secundum textum originalem hebraicum, vel crebro non litteraliter, sed generatim secundum sensum. Id vix factum esset, si Spiritus S. ipse cuncta verba immediate indidisset. — f) Patres, etsi saepe dicunt, Spiritum S. auctoribus libros dictasse, tamen reprobare videntur omnimodam inspirationem verborum. S. Augustinus[2]) mentionem facit de diverso evangelistarum modo dicendi. S. Hieronymus[3]) vituperat stilum S. Pauli. Idem notat[4]) de epistolis S. Petri: „Duae epistolae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus." Similiter[5]) scribit: „Alii syllabas aucupentur, tu quaere sententias." „Non verba in Scripturis consideranda, sed sensus." Directe reprobat inspirationem verbalem Agobardus,[6]) episcopus Lugdunensis, saeculo 9. dicens, ex hac opinione absurditatem non dinumerandam provenire. — g) Si inspiratio verbalis admittitur, videtur non iam praesto esse genuina Scriptura; nam textus autographi prorsus desunt, habemus nonnisi versiones et apographa lectionibus variantibus referta. — h) Idem sequi videtur ex eo, quod Conc. Trident. Vulgatam declaravit versionem authenticam; etiam haec scatet lectionibus variantibus, et certe non est verbaliter inspirata.

3. *Deus est auctor principalis, homo auctor secundarius.* — Sicut 418
in omnibus actibus, ubi Deus et homo cooperantur, Deus est causa primaria, homo causa secundaria, ita etiam quoad compositionem librorum sacrorum. S. Thomas[7]) vocat Spiritum S. „auctor principalis", hominem „auctor instrumentalis". Homo non est instrumentum mere passivum, sed activum similiter atque in sacramentorum dispensatione Christus est minister primarius, sacerdos minister secundarius seu instrumentalis. Ut Deus sit verus auctor isque principalis, requiri videntur a parte eius, quaecumque ad auctorem humanum exaraturum librum essentialiter pertinent:

a) Influxus divinus ad mentem et voluntatem hominis, quo is Deo auctore consilium libri elaborandi circa materiam et formam essentialem init et ad scribendum excitatur.

---

[1]) De consens. evang. 2, 12, 27; M. 34, 1090.
[2]) L. c. 2, 66, 128; M. 34 1139.
[3]) Ep. 121, 10; M. 22, 1029. et com. in ep. ad Eph. 2, 3; M. 26, 478.
[4]) Ep. 120, 11; M. 22, 1002.
[5]) Ep. 57, n. 6 et 11; M. 22, 572 et 577.
[6]) Adv. Fridegisum, 12; M. 104, 166.
[7]) Quodlib. VII, qu. 6. art. 14. ad 5.

b) Illuminatio et suggestio intellectualis per Deum facta, qua homo ea, quae ex se ipso nullatenus scit, cognoscit; et ea, quae ex propria experientia, intelligentia vel labore novit, in luce altiore supernaturaliter comprehendit.

c) Gubernatio divina, ut auctor eas ipsas res eligat et describat, quas Deus scriptas esse voluit, non alias, non plures nec pauciores.

d) Impulsus divinus, ut hagiographus eam formam libri adhibeat, quae ad indolem et finem libri a Deo determinatum maxime congruit, e. c. formam epistolae in scriptis plurimis apostolorum, formam dialogi in libro Iob.

e) Assistentia divina, ut auctor in cognoscendis et scribendis rebus praeservetur ab errore simulque quoad modum scribendi evitet verba, ordinem, propositiones, constructiones minus aptas ad ea, quae dicenda sunt, ita exprimenda, sicut Deo placet. — Omnia haec momenta complectitur Leo XIII. l. c. scribens: „Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae."

IV. Extensio inspirationis.

419 1. *Inspirati sunt soli libri et textus originales, non versiones*, ergo non Septuaginta sicut Origenes etc falso arbitrabantur; non Vulgata, nam etiam haec abundat lectionibus variantibus, quare non potest esse inspirata. Minime inspirata est versio Lutherana, econtra haec est valde depravata, quare absurdus est cultus et apotheosis, qua Protestantes multi eam afficiunt.

2. *Inspiratio amplectitur etiam libros veteris testamenti.* Hoc patet ex definitionibus Concilii Florentini, Trid. et Vaticani expresse dicentibus, utriusque testamenti librorum Deum esse auctorem. Iam Canon quidam ex medio saeculo 5 (?) (Denz. 28) damnavit thesim Gnosticorum et Manichaeorum, non unum eundemque Deum esse auctorem omnium librorum, sed malum principium esse auctorem antiquae legis, bonum principium auctorem novae legis. Similiter falsa est sententia Reformatorum aliorumque, contradictionem internam esse inter evangelia et legem mosaicam; ambo veniunt a Deo, quare vera contradictio praesto esse nequit.

3. *Omnes textus uniuscuiusque libri sacri sunt inspirati, saltem quoad res* (inspiratio realis). Hoc videtur sequi ex 2. Tim 3, 16: „Omnis Scriptura divinitus inspirata"; item ex Conc. Trident. dicente, libros integros cum omnibus suis partibus esse pro sacris suscipiendos. At mens concilii fuisse videtur nonnisi definire etiam libros et textus, qui vocantur deuterocanonici et ab aliquibus non sacri habebantur, esse canonicos et sacros; item omnes libros

eorumque partes maioris momenti et praesertim partes ad doctrinam fidei graves, prout in Vulgata continentur. Nec Tridentinum nec Vaticanum, quod simpliciter decretum Tridentinum repetivit, voluit definire, omnes textus et versus sacrorum librorum esse inspiratos et eo ipso infallibiles; attamen haec sententia videtur esse certa et communis. — Idem docent Patres, imprimis illi, qui putant, Spiritum S. omnia verbotenus hagiographo dictasse.

4. *Reprobandae sunt omnes theoriae, quae inspirationem rerum* 420
nonnisi particularem admittunt, e. gr. a) Sententia, quam habuit Holden, Chrismann etc opinantes, nonnisi res fidei et morum esse inspiratas, omnia alia autem nonnisi sub assistentia divina ideoque sine errore scripta esse. — b) Opinio, quam inter alios protulit Newman cardinalis, inspirata esse tantum substantialia librorum seu ea, quae liber aliquis ex professo docere vult, non autem accidentalia, accessoria minoris momenti, quae vocari possunt obiter dicta velut narrationem de cane Tobiae (Tob 11, 9), petitionem S. Pauli, ut Timotheus rediens Troade penulam apostoli secum afferat (2 Tim 4, 13). At non raro difficulter distinguendum est, quid libri sit substantiale, quid accidentale. — c) Sententia aliquorum nostri temporis Catholicorum probatae fidei velut Rohling, di Bartolo, Lenormant, d'Hulst etc, inspirationi subiacere nonnisi veritates religiosas, id est in genere res fidei et morum, non autem res profanas velut historicas, geographicas, zoologicas, astronomicas etc; has solum esse vestem et ornatum rerum religiosarum, ideo solum ab hominibus venire neque esse per se immunes ab errore. — Verum saepissime veritates historicae et religiosae, theologicae et cosmologicae intime inter se cohaerent, potissimum in Genesi, quare non facile sit discernere, quae sit veritas sacra, quae profana. Quis possit fixe discerpere ea, quae a solis hominibus oriantur? Etiam ea, quae stricte non res religiosae sunt, pertinent ad res fidei et morum eas vestiendo, stabiliendo, declarando, immo efferendo et comprobando auctoritatem, antiquitatem et credibilitatem totius Scripturae vel aliquorum librorum sacrorum. Multa facta vel nomina pure profana, quae Scriptura veteris testamenti nobis exhibet, approbata sunt per inscriptiones cuneiformes, et sic eiusmodi res per se certe non religiosae debuerunt conducere ad Scripturam ipsam glorificandam, et sic suo modo sunt religiosae, e. c. expeditio quattuor regum Mesopotamiae temporibus Abrahae ad coërcendos rebelles reges Sodomorum etc, quam expeditionem et quorum regum nomina nobis refert Gen. cap. 14.[1])

[1]) De singulari gravitate cap. 14 Genes. notat *Fritz Hommel* l. c. 147 s: „Nicht als ob etwa die Glaubenslehre daraus besondere Bereicherung zöge . . Oder enthält etwa dieses Kapitel vor andern Kapiteln eine Fülle von Trost für bekümmerte Gemüter oder erbaut es in höherm Grade als andre Stellen der Schriften des Alten Bundes? oder ist das darin Erzählte rührender und herzbewegender als sonstige Geschichten? Keines von alle dem. Aber die Weltgeschichte spielt in diesem eine Szene aus dem 20. vorchristlichen Jahrhundert erzählenden Stücke in einer Weise herein wie nirgends wieder in der Bibel,

Cfr. *Bellarmin*, l. 1, c. 2 ss. — *Gatti*, III, 715 ss. — *Dausch*, 1 ss. Idem: Die Inspiration des N. Test. 1912. — *Franzelin*, De divinis Scripturis, th. 1 ss. — *Denzinger*, Vier Bücher etc, II, 152 ss. — *de Groot*, qu. 16, a. 2 ss. — *Schmid, Franc.*, De Inspirationis Bibliorum vi et ratione, 1885, 29 ss, 60 ss, 97 ss, 102 ss, 283 ss. — *Zeitschrift für kath. Theologie*, 9, 679 ss; 10, 142 ss; 11, 233 ss; 18, 627 ss. — *Leitner*, 1 ss. — *Crets*, De Divina Bibliorum inspiratione, Lovanii 1886. — *Holzhey*, Die Inspiration der Hl. Schrift i. d. Anschauung des Mittelalters, 1895. — *Zöllig*, Die Inspirationslehre des Origenes, 1902, 7 ss, 58 ss. — *Katholik*, 1900, I, 115 ss. — *Chauvin*, L'inspiration 1896, 1 ss.

§ 5. De infallibilitate Scripturae.

421 1. *In Scriptura nihil falsum est.* — Haeretica est assertio rationalistica, Scripturam in ipsis doctrinis fidei et morum errare vel errare saltem posse. Eandem immunem ab errore esse etiam quoad obiter dicta et res non religiosas, obiecta historiae profanae et disciplinarum naturalium, de hoc non videtur praesto esse definitio magisterii ecclesiastici peremptoria. Attamen sententia affirmans infallibilitatem etiam quoad has materias ideoque infallibilitatem absolutam potest dici saltem sententia certa, immo fidei proxima. Hoc patet .

a) *Ex inspirationis realitate, notione et illimitata extensione.* — Quia tota Scriptura opus Dei esse videtur, Deus autem nec falli nec fallere quit, Scriptura ab omnibus erroribus proprie dictis libera esse debet etiam quoad res accidentales, mere profanas, quia omnis error proprius contra Dei omniscientiam et sanctitatem esset et consequenter totam auctoritatem divinam Scripturae tolleret. Nam, ut ait Melchior Canus[1]) sequens vestigia S. Augustini:[2]) „Si in sacro quovis libro una quaelibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit." Similiter Scotus:[3]) „Necesse est dicere, ista verba esse simpliciter vera, vel totius Scripturae auctoritas auferretur." Nonnisi ideo Atheistae etc contra Scripturam quam plurimas obiectiones ex historia profana et rebus naturalibus praetendunt, quia eius auctoritatem supernaturalem subvertere student.

b) *Ex declarationibus Summorum Pontificum.* — Clemens VI. 1351 patriarchae Armenorum inter alia quaestionem proposuit: „Si credidisti et credis, novum et vetus testamentum in omnibus libris, quos Romanae ecclesiae nobis tradidit auctoritas, veritatem indubiam per omnia continere."[4]) — Leo XIII. (l. c.): „Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auc-

---

und wir sehen in ihm einen äußerst bewegten und interessanten politischen Hintergrund, der noch dazu in den wichtigsten Einzelheiten jetzt durch die Ausgrabungen und Forschungen auf altbabylonischem Gebiete in ungeahnter Weise bestätigt und vervollständigt worden ist." Cfr. *Dornstetter, P.*, Abraham, 1902, 161 ss.

[1]) De locis theologicis l. 2, c. 17.

[2]) Ep. 28, 3, 3; M. 33, 112.

[3]) 4. d. 3, qu. 4, n. 14; cfr. 4. d. 14, qu. 3, n. 5; 4. d. 33, qu. 3, n. 4.

[4]) Raynaldi annales eccles. ad an. 1351, n. 3. Colon. Agripp. 1691, tom. 16, pag. 313.

torem." — Pius X. damnavit thesim (Lament. 11, Denz. 2011): „Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam S. extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat."

c) *Ex Scriptura ipsa.* — Christus et apostoli saepe dicunt: Scriptum est, Scriptura dicit etc; vel legimus (Mt 2, 17): „Adimpletum est, quod dictum est per prophetam"; Io 19, 36: „Facta sunt haec, ut Scriptura impleretur." Ex his et similibus eloquiis sequitur, Scripturae attribui absolutam infallibilitatem.

d) *Ex SS. Patribus et theologis.* — *S. Iustinus*[1]) reprobat sen- 422
tentiam: „Scripturas inter se pugnare. Id enim nunquam audebo nec cogitare nec dicere, cum persuasum habeam, nullam Scripturam alteri contrariam esse; fatebor potius, me non intelligere, quae dicuntur." — *S. Augustinus:*[2]) „Ego fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam." — *S. Hieronymus:*[3]) „Non adeo me hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis . . . ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum." — *S. Bonav.:*[4]) „Nihil in ipsa contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo quod Spiritus S., eius auctor perfectissimus, nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum." — *Scotus:*[5]) „Scriptura S. proprie dicitur illa, cuius auctoritas tanta est, quod praecellit omnem demonstrationem." „Ipsa est infallibilis regula, ut quidquid in ea teneatur, indiscusse teneatur." „Habenti fidem, quod D e u s i n s p i r a v i t t o t a m S a c r a m S c r i p t u r a m, et quod ipse est veritas infallibilis, certius debet esse, quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum, quam illud ad quod quicumque intellectus potest naturali lumine attingere."[6]) „Licet apostoli in actibus vel verbis, quae dixerunt ut homines potuerunt errare, tamen n u l l u s a p o s t o l u s v e l p r o p h e t a i n q u a n t u m s c r i p t o r a l i c u i u s p a r t i s S c r i p t u r a e aliquo modo erravit. Necesse est dicere, ista verba esse simpliciter vera, v e l t o t i u s S c r i p t u r a e a u c t o r i t a s a u f e r r e t u r."[7]) Item in loco parallelo:[8]) „Et

[1]) Dial. c. Tryph. 65; M. 6, 626.
[2]) Ep. 82, 3 ad Hieron. M. 33, 277.
[3]) Ep. 27, 1; M. 22, 431.
[4]) Brev. prol. § 5.
[5]) Miscell. qu. 6, n. 3; cfr. Ox. 4. d. 14, qu. 4, n. 5.
[6]) Ox. l. 4, dist. 14, qu. 3, n. 5 (tom. 18, 128 a).
[7]) Ox. l. 4, dist. 3, qu. 4, n. 14 (tom. 16, 366 s).
[8]) Rep. l. c. (tom. 23, 595 a).

ideo quaecumque fuerunt verba apostolorum inter se, inquantum homines poterant peccare, tamen inquantum dictatores et instrumenta Spiritus Sancti non est credendum, aliquem illorum falsum dixisse vel scripsisse. Et ideo nullum mendacium scripsit Paulus in hoc, quod dixit Petrum esse reprehensibilem. Multa tamen mendacia et falsa potuit scribere per modum narrantis et recitantis talia historialiter et materialiter, ut Ioannes scripsit cap. 10: *Daemonium habes;* sed nullo modo per modum dictantis et scribentis, quia ut sic, erat instrumentum Spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem." Citans S. Augustinum dicit: „*Si ad Sanctas Scripturas admissa fuerint officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis?* quasi dicat, nihil. Et ratio est, quia quaecumque auctoritas adducatur ad repellendum haeresim, respondebitur, illud esse dictum mendaciter iocose sicut et illud alibi; ergo a simili in Scriptura nulla auctoritas praeceptiva auctoritatem habebit. Et consimiliter de consiliis; si aliquod consilium datum in Scriptura non esset salubre vel utilius ad servandum, nulla esset auctoritas observationis in Scriptura; ergo a simili: si aliqua concessio sit in Scriptura de aliquo illicito sicut ista, sequitur quod nulla concessio simpliciter auctoritatem habeat, quod concessum sit licitum."[1])

423 2. Haec infallibilitas tangit solos textus originales, quales Deo auctore ex manibus ipsorum hagiographorum provenere. In textus quales nunc prae manibus habemus, eo fortius in versiones in alias linguas errores irrepere potuere et revera irrepsere, id quod patet ex contradictionibus, quae de eodem facto in nonnullis locis occurrunt. Fusius de iis agit theologia biblica. Textum non raro valde corruptum esse, inter omnes constat. De aetate patriarcharum annorum numeri valde inter se differentes inveniuntur. Quoad librum Esther traditus est textus minor hebraicus, et textus maior graecus; partes nonnullae in sola graeca lingua ad nos pervenere. Quoad librum Daniel differentia non parva inter textum hebraicum et textum graecum manibus capienda est, partes quaedam iam temporibus S. Hieronymi in manuscriptis hebraicis non iam legendae erant, sed in versionibus graecis. Ex his aliisque rationibus apparet, Iudaeos non omnibus temporibus magnam curam quoad libros sacros integre custodiendos adhibuisse, et sic errores facile intrare potuisse. Qua de causa errores inveniendi omnes transcriptoribus et interpretibus attribui possunt, neque testimonium dare possunt contra infallibilitatem textuum primigeniorum.

424 3. Etsi nihil falsi occurrit, sed omne dictum suo modo verum est, tamen *non omnia dicta in eodem sensu vera et ut vera intelligenda sunt.* Omnia dicta sunt quidem a Deo seu Spiritu Sancto, sed idem

[1]) Ox. l. 4, dist. 33, qu. 3, n. 4 (tom. 19, 386); item in Rep. l. c. (tom. 24, 442 s).

Spiritus S. loquitur modo humano, et homines, etiam veracissimi, vario sensu et modo loquuntur, tum historice referentes tum poëtice vel symbolice fingentes, tum utentes praecisis verbis tum figuris, hyperbolis, parabolis, allegoriis etc. Ex levi aspectu Scripturae videmus, etiam Spiritum S. loqui tum historice, tum didactice, tum poëtice, tum prophetice etc. Atqui alia est veritas historica, alia veritas poëtica etc. Exegetae biblici est statuere secundum contextum etc, in quo sensu singuli textus, immo toti libri velut psalmi, Apocalypsis sumendi sint, seu qualis species veritatis in singulis casibus accipienda sit. Christus ipse saepius docuit in parabolis, sicut expresse declarat, et neminem fugit.

4. *Distinguendum est inter ea, quae Spiritus S. ipse dicit, et* 425
quae alios dicentes inducit. Ea quae de aliis referuntur, falsa, immo manifestum mendacium, esse possunt. E. c. nonnulla quae amici Iobi loquuntur, vel quae Iudaei ad Christum, vel quae Ananias et Saphira dicunt; quare a Deo ipso, a Christo, a S. Petro vituperantur (Iob 42, 7; Io 8, 48 s; Act 5, 1 ss), et eo ipso Spiritus S. per hagiographum verum docet, nempe non licere falsum testimonium perhibere.

5. Quod attinet *quaestiones physicas, botanicas, zoologicas,* 426
astronomicas etc, absque dubio Scriptura nonnulla non fingit, sicut obiective se habent, sed secundum opiniones illius temporis vel secundum apparentiam exteriorem, e. c. dicendo sol oritur, occidit. Qua de re aliqui arbitrati sunt Scripturam eo ipso falsa pronuntiare. Sed Leo XIII. (l. c.) clare docet in Scriptura nihil falsi contineri, nullam admittens exceptionem. Reapse non est, quare concedamus, quoad res physicas occurrere falsa. Scriptura primarie tradit veritates religiosas; quoad res naturales loquitur ut omnes alii secundum speciem exteriorem, captum et modum loquendi coaevorum; alioquin ab eis non intellecta esset, immo hagiographi eis ludibrio fuissent, si dixissent, solem fixe stare et terram se circum solem movere. Oculi aliique sensus nobis dicunt solem se movere, non terram; sensus autem per se non fallunt; quare neque illi fallunt vel quidquam falsi enuntiant, qui loquuntur et scribunt ita, sicut sensus nobis tradunt. Ipsi astronomi aliique rerum physicarum doctores non aliter loquuntur de ortu et occasu solis, de firmamento caeli, de sole, luna et stellis atque ceteri homines et Scriptura; immo id faciunt in ipsis libris et tractatibus astronomicis et stricte scientificis; nemo autem arguit eos ideo falsitatis.[1])

6. Quoad *facta historica* notetur:

a) Etiam quoad haec nihil falsum est. Quod tota Scriptura 427
inspirata et eo ipso infallibilis est, idem dicendum est etiam de libris et rebus historicis. *Patres* docent infallibilitatem non solum Scripturae in genere, sed etiam rerum historicarum ibi enarratarum; efferunt etiam has res a Deo traditas esse, quas Moses de patriarchis

[1]) Cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1907, 401 ss, 750 ss.

et primis parentibus tradit, quia Deus revelavit; itaque historiam hebraicam referre facta, non mythos sicut antiquos rerum scriptores graecos et romanos. „Cohortatio ad Graecos" *s. Iustino* adscripta (n. 12, P. G. 6, 263) scribit: „Nihil a Graecis ante Olympiades accurate scriptum, neque ullum esse vetus momentum, quod rem a Graecis aut barbaris gestam perhibeat. Sola ante illud tempus exstabat prophetae Mosis historia, quam divino afflatu literis Hebraeorum commendavit." Similiter *Iulius Africanus*,[1]) et *Eusebius* Caesar.,[2]) *S. Athanasius*:[3]) „Quae Moses docuit, haec custodivit Abraham; quae vero custodivit Abraham, haec Noë et Henoch perspecta habuerunt. Eadem quoque instructus doctrina Abel martyrium est passus, qui quidem ipse ea ab Adamo didicerat. Adamus autem ab ipso Domino."[4])

428 b) *Libri historici qui ut historici seu facta historica referentes a Traditione ecclesiastica considerati sunt, tamquam historici putandi sunt.* Similiter alii libri velut prophetici saltem quoad quasdam partes. — Theologi non solum acatholici et modernistici, sed etiam bene catholici censuerunt nonnullos libros velut librum Iob, Tobiae, Ionae inspiratos quidem esse, sed non narrare res vere gestas, sed dumtaxat doctrinas religiosas praebere sub specie personarum et rerum non vere historicarum. De hac sententia Commissio Biblica 23. Iunii 1905 decidit: „Ad dubium: Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia, quae tenet S. Scripturae libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie literali seu historica verborum significatione alienum: Responsum est (approbante Pio X): N e g a t i v e, excepto tamen casu non facile nec temere admittendo, in quo ecclesiae sensu non refragante eiusque salvo iudicio probetur, hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed sub specie et forma historiae parabolam, allegoriam vel sensum aliquem a proprie literali seu historica verborum significatione remotum proponere." (Denz. 1980). Revera usque ad hodiernum diem argumenta solida, quae vere postulant, ut tales libri vel textus existimentur non referre res obiective historicas, non invenienda sunt, et minus probabile est, ea in futurum inventum iri. Si sine argumentis gravissimis ab ecclesia approbatis libri toti, vel saltem eorum partes, qui manifesto res vere gestas et personas, qui reapse vixerunt, prae oculis ponunt, et a consensu Patrum et theologorum unanimi ut historici iudicati sunt, pro non historicis habentur, non solum infallibilitas Scripturae, sed etiam infallibilitas ecclesiae docentis et discentis, in discrimen deveniet. Accedit quod

[1]) Ex libris Chronicor. P. G. 10, 74.
[2]) Chronicor. l. 2; P. G. 19, 443.
[3]) Ep. de decret. Nicaen. syn. c. 5; P. G. 25, 432.
[4]) Cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1905, 631 ss; 1906, 57 ss etc.

aliqui velut Ionas et Iob secundum Martyrologium Romanum inter Sanctos numerantur, et eo ipso tamquam personae concretae, non ut figmenta mythologica vel poëtica exhibentur.

c) *Non admittendum est, quosdam libros, capita et textus proponere veritates non absolute veras, sed relative dumtaxat veras.* Aliqui theologi, praeter acatholicos et modernisticos etiam serio catholici, sentiunt, quasdam partes Scripturae praesertim prima capita Geneseos nonnisi eatenus verum enuntiare, quatenus fideliter referunt, quae in fontibus et auctoritatibus a se implicite adhibitis continentur (*citations implicites*). At hi fontes non absolute verum habent, sed solummodo, inquantum rem intellexerunt; partim sunt traditiones populares, legendae, opiniones mythologicae, ergo fontes ex parte saltem minime puri, sed valde obscuri, erroribus permixti (*apparences historiques*). Quare dicunt, praesertim capita prima Geneseos nihil aliud praebere nisi cogitationes religiosas symbolice prolatas. — Hac via actum esse de infallibilitate propria, et auctoritate divina totius Scripturae, neminem praeterit. Quare Commissio Biblica, approbante Pio X. 13. Febr. 1905 (Denz. 1979) hanc sententiam in genere reiecit. Nam ad dubium: „Utrum ad enodandas difficultates, quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere, agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius asserta omnia auctor inspiratus minime approbare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt," responsum est: „Negative, excepto casu, in quo salvis sensu ac iudicio ecclesiae solidis argumentis probetur: 1. hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2. eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui." At eiusmodi solida argumenta ab ecclesia admissa vix unquam inveniantur. — Eiusmodi sententiam doctrinae Patrum et theologorum usque ad nostra tempora unanimi omnino adversari, fusius ostendere non opus est. 429

d) Contra hanc modernam doctrinam surrexere imprimis Lud. Billot,[1]) A. J. Delattre,[2]) Lino Murillo,[3]) Leop. Fonck,[4]) Santo Schiffini,[5]) Ludw. Hugo,[6]) Christ. Pesch,[7]) A. Meyenberg,[8]) Franz Egger.[9])

Cfr. *de Groot*, qu. 16, a. 6. — *Grisar*, 252 ss. — *Schmid, Fr.*, 1 ss. — *Zeitschrift für kath. Theol.* 18, 627 ss. — *Crets*, 257 ss. — *Franzelin*, De div. Script. th. 6.

[1]) De inspiratione S. Scripturae theologica disquisitio. Romae 1903, pars 2.
[2]) Autour de la question biblique. Liège 1904.
[3]) Critica y exegesis. Madrid 1905.
[4]) Der Kampf um die Wahrheit der Hl. Schrift seit 25 Jahren. Innsbruck 1905.
[5]) Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata. Augustae Taurin. 1905.
[6]) Kathol. Exegese unter falscher Flagge. Regensburg 1906.
[7]) De inspiratione S. Scripturae. Friburgi 1906.
[8]) Ist die Bibel inspiriert? Luzern 1907.
[9]) Absolute oder relative Wahrheit der Heil. Schrift. Brixen 1909.

§ 6. De canone Scripturae. — De Vulgata.

430 Postquam consideravimus, Scripturam S. esse inspiratam et inerroneam, quaestio oritur, quinam sint libri inspirati seu canonici. Libri inspirati enim vocantur iidem canonici, et sunt canonici, quia inspirati. Inspiratio est ratio, quare liber aliquis sit canonicus, et canonicitas designat, eundem esse inspiratum. Canonicitas est causa idealis (seu causa cognoscendi) inspirationis, inspiratio est causa realis canonicitatis. — Agemus de cognoscibilitate inspirationis, de amplexu canonis biblici, postremo de Vulgata.

A) De criteriis cognoscibilitatis libri inspirati.

I. Non sufficiunt criteria quaedam a Protestantibus statuta.

431 1. *Non sufficiunt eloquia Scripturae ipsius nec generalia nec specialia.* — a) *Non generalia.* Christus et apostoli crebro citant Scripturam veteris testamenti, legem, psalmos et prophetas, e. c. Lc 24, 44: „Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et prophetis et psalmis de me“ (cfr. Lc 16, 16; Io 16, 29; Mt 23, 43; Mc 12, 36). Praeterea citantur plurimi libri antiqui testamenti in novo. — Item docet Scriptura novi testamenti, sicuti vidimus, hagiographos veteris testamenti divinitus inspiratos fuisse. Ex hoc patet: Scriptura novi testamenti agnoscit inspiratos canonicosque et libros veteris testamenti in genere et plurimos etiam in specie. — Similiter Christus et apostoli innuunt, etiam in novo testamento esse libros inspiratos. Christus enim promittit, apostolis Spiritum S. in loquendo esse astiturum (Mt 10, 20): „Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.“ Ex hac autem assistentia Spiritus S. in loquendo videtur sequi etiam inspiratio apostolorum in scribendo. Porro S. Petrus II. 3, 16 annumerat epistolas S. Pauli ad „Scripturas“. — At ex eo, quod scimus libros aliquos veteris et novi testamenti esse inspiratos, nondum novimus, quaenam sint haec scripta singula. Nusquam enumerat Scriptura omnes libros sive veteris sive novi testamenti. Nonnulli libri veteris testamenti, e. c. Ruth, Esdras, ne citantur quidem in novo testamento.[1]) Nullibi legimus, scripta praecipua novi testamenti, scil. evangelia, esse libros canonicos vel oriri ab apostolis. Evangelium S. Ioannis innuit quidem, se esse compositum a discipulo Christi, sed hic non dicit, se fuisse inspiratum, econtra effert se credibilem esse, quia omnia oculis propriis vidisset (cfr. Io 19, 35; I. Io 1, 1). Scriptura non docet, quare scripta Marci et Lucae, qui non erant apostoli, canonica sint, et quare non scripta aliorum discipulorum, e. c. Clementis Rom., Ignatii. Praeterea Scriptura non testatur, omnes eos libros, quos nuncupamus sacros, esse authenticos et integros. — b) *Pariter non sufficiunt eloquia*

[1]) Cfr. *Kaulen*, Einleit. i. d. Hl. Schrift, ed. 3, 1890, p. 25.

specialia. Protestantes in medium proferunt praesertim Io 5, 39: „Scrutamini Scripturas . . illae sunt, quae testimonium perhibent de me.“ Christus hoc loco admonet Iudaeos, ut ex antiquis vaticiniis adimpletis cognoscant dignitatem suam messianam. — Io 10, 27: „Oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me.“ At hic versus nonnisi dicit: praedestinati libenter amplectuntur fidem Christi et sequuntur eum. — Similiter res se habet quoad Io 7, 17; 1 Cor 2, 15 etc. Omnes hi loci solum docent, ex gratia divina hominem facile cognoscere veritatem fidei, at nullatenus exprimunt, librum quemquam esse inspiratum.

2. *Non sufficiunt attributa eximia, quae ex Scriptura ipsa* 432
elucent, e. c. praestantia et sanctitas, utilitas et harmonia doctrinae, simplex maiestas stili, profunditas rerum et mysteriorum. Omnes eiusmodi praerogativae summum manifestant, rem et doctrinam Scripturae esse divinam seu oriri ab hominibus divinitus illuminatis, sed non produnt, Deum ipsum esse auctorem. Multi alii libri gaudent eiusmodi proprietatibus, e. gr. liber aureus „De Imitatione Christi“, attamen non sunt inspirati.[1])

3. *Non satis est testimonium Spiritus Sancti.* — Praesertim Pietistae putant, Spiritum S. ipsum testimonium perhibere pro inspiratione Scripturae per pios devotosque affectus internos, quos homo in legendo vel audiendo verbo Dei sentiat. — Tales affectus oriri possunt etiam ex lectione librorum aliorum religiosorum, prodeunt potius ex lectione libri „De Imitatione Christi“ quam ex lectione tabularum genealogicarum, quae occurrunt in paucis libris Scripturae. Ceterum eiusmodi affectus sunt plerumque nonnisi effectus subiectivi, non accidunt omnibus Litteras Sacras legentibus, quare criterium obiectivum non sunt.

4. *Non sufficiunt testimonia pure humana antiquitatis christianae.* — Protestantes saepe non secus ac Catholici advocant auctoritatem Patrum ad probandam inspirationem et canonicitatem librorum biblicorum. Ex iis ostendunt sicut Catholici authenticitatem et integritatem Scripturae. At reprobant Traditionem ut fontem revelationis, admittunt eam nonnisi tamquam testimonium humanum. Quamobrem testimonium Patrum fidem nonnisi humanam facere quit; et sic nititur principium protestanticum formale, scil. doctrina de absoluta sufficientia Scripturae, fide dumtaxat humana,

[1]) Iam Lutherus ex criteriis pure internis epistolam Iacobi prorsus reiecit et dubitavit, an epistola 2. S. Petri et epistola Iudae et Apocalypsis essent apostolicae seu inspiratae. Dixit nonnisi illos libros esse apostolicos, qui praedicant et agunt Christum (welche Christum treiben), etsi scripti essent a Iuda proditore vel ab Anna, sacerdote summo, vel a Pilato et Herode. Hoc dictum concedunt etiam Protestantes orthodoxi moderni, et persaepe citant Protestantes haec verba reprobantes secundum exemplum Lutheri ex criteriis internis aliquos vel omnes libros S. Scripturae tamquam divinitus oriundos. Cfr. *Neue Kirchl. Zeitschrift*, 1894. 206, 945 ss; 1895, 429 ss; 1899, 62 s. — Theol. *Studien und Kritiken* 1893, 643 ss, 683, 714 ss, 728 ss. — *Hefte zur Christl. Welt*, n. 27, 1897, p. 7.

itaque tota structura religiosa stabilita est in fundamento labili mutabilique. — Praeterea soli docti satis probare valent genuinitatem et integritatem librorum biblicorum, indoctis ac fidelibus simplicibus desunt media ad cognoscendam originem Scripturae antiquissimam, nedum divinam.

433 II. Criterium certum est Traditio divino-apostolica. — Secundum doctrinam catholicam illi libri inspirati et eo ipso canonici sunt et sacri, qui ut tales ab apostolis ecclesiae sunt traditi et ob hanc Traditionem continuo canonici habiti sunt. Atqui haec Traditio, sicut vidimus, est fons verus revelationis divinae non minus quam Scriptura, ergo canonicitas libri alicuius fundatur in revelatione divina ipsa, in testimonio divino. Ideo sunt libri illi, quos ecclesia filiis suis tamquam inspiratos proponit, reapse libri divini et qua tales a Deo ipso probati et facile cognoscendi. — *SS. Patres* clare docent, Traditionem et propositionem ecclesiasticam esse auctoritatem, quae Christianis libros sacros in manus det. *S. Cyrillus Hieros.*:[1]) „Studiose quoque et ab ecclesia disce, quinam sint veteris testamenti libri, qui vero novi." — *S. Augustinus*:[2]) „Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas." „Cui libro (Actibus Apost.) necesse est me credere, si credo evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas." Ad quae verba notat *Scotus*:[3]) „Aliquos libros accipimus, aliquos non, quia aliquos ecclesia admisit, et aliquos non. Unde libris canonicis non est credendum, nisi quia primo credimus ecclesiae approbanti et asserenti et tradenti illos.

B) De ambitu canonicorum librorum.

I. Canon Concilii Tridentini habet libros etiam deuterocanonicos.

434 Conc. Trident. s. 4. enumerat singulos libros canonicos. Seriem eorum hic omittimus, quia sunt communiter noti et quia fusius de iis Introductio in Scripturam agit. — Ex qua definitione patet: Canonici sunt non solum libri et textus protocanonici, sed et deuterocanonici. *Protocanonici* dicuntur illi, de quorum inspiratione divina intra ecclesiam catholicam nunquam sunt exorta dubia, sed qui ab omnibus Patribus et theologis semper pro canonicis recepti sunt; quare vocantur *ὁμολογούμενοι*. *Deuterocanonici* sunt illi, quorum canonicitas plus minusve sub lite erat, qua de causa nuncupantur *ἀντιλεγόμενοι*. *Deuterocanonici veteris testamenti* sunt: Tobias, Iudith, duo libri Machabaeorum, Sapientia, Sirach, Baruch, item partes quaedam ex Esther et Daniel. *Deuterocanonici novae legis*

[1]) Cat. 4, 33; M. 33, 495.
[2]) Cont. ep. Manich. 5, 6; M. 42, 176 et 177.
[3]) Rep. 3. d. 23, n. 3; cfr. Ox. prol. qu. 2, n. 6 et 8 (tom. 8, 85, 88a); l. 3, d. 23, n. 4 (tom. 15, 7).

sunt: epistola ad Hebraeos, ep. Iacobi, II. Petri, II. et III. Ioannis, ep. Iudae, Apocalypsis, necnon partes quaedam ex evangeliis Marci, Lucae, Ioannis. Attamen totus canon Tridentinus cum libris et textibus deuterocanonicis antiquitus ad nos transmissus et genuinus est. De authenticitate et integritate librorum singulorum fusius agit Introductio in Scripturam, nos tantum de authenticitate canonis in genere breviter tractemus.

II. Canon Tridentinus summatim spectatus est authenticus.

Quia nulla decisio definitiva de ambitu canonis biblici a parte 435
magisterii ecclesiastici praesto erat, et aliqui libri ex variis rationibus, de quibus agit speciatim Introductio in Scripturam S., minus certe ut canonici approbati erant, potuere nonnulli Patres plus minusve dubitare de canonicitate librorum paucorum, quos nunc canonicos veneramur. Attamen canon Tridentinus summarius est genuinus hisce ex rationibus:

1. *Iam antiqui Patres et Concilia approbavere et citavere eum totum.* — Hoc fecit Conc. Carthaginiense 397. (Denz. 92.) Item Innocentius I.[1]) (401—417), S. Augustinus,[2]) Cassiodorus,[3]) Gelasius Papa cum 70 episcopis in decreto synodali a. 496;[4]) postea alii in occidente.

2. *Etiam Graeci tenent hunc canonem.* — In Con. Lugdunensi II. et Florentino de unione utriusque ecclesiae agentibus non minima dubitatio de hac re apparuit. Conc. Hierosolymitan. 1672.[5]) deuterocanonicos veteris testamenti expresse canonicos declaravit. Deuterocanonicos novi testamenti ab universa ecclesia recipi ut canonicos, diserte dicit Nicephorus Callistus.[6]) Altera ex parte concedendum est, ecclesiam russicam et graecam ex saeculo 18, infectam ideis protestanticis, libros deuterocanonicos ut non authenticos non raro, sed non semper et ubique, reprobasse.[7])

III. Canon veteris testamenti est authenticus.

Iudaei posteriores reprobant libros deuterocanonicos praeser- 436
tim ideo, quia partim extra Palaestinam scripti sunt. Verumtamen hi libri non ab initio et semper a Iudaeis reiecti esse videntur, et certe canonici sunt. Nam

---

[1]) Ep. 6. ad Exsuperium, c. 7, Denz. 96.
[2]) De doctr. christiana 2, 8, 13; M. 34, 41.
[3]) Instit. divin. litt. c. 1 ss; M. 70, 1110 ss.
[4]) Denz. 162; decretum Gelasii „de recipiendis et non recipiendis libris" secundum aliquos dicitur oriri iam a Damaso Papa, saltem quoad tres primas partes, etiam quoad partem: de canone Scripturae S. Ita etiam Denz. 84.
[5]) Harduin. 11, 258.
[6]) H. e. 2, 46; M. 145, 887.
[7]) Cfr. *M. Jugie*, Histoire du Canon de l'Ancien Testament dans l'église grecque et l'église russe. Paris 1909.

1. *Septuaginta*, quos Christus et apostoli saepe citant et primis fidelibus in manus tradebant, quantum nos scimus, ab initio omnes hos libros habuerunt. Nam omnes codices graeci, antiquissimi et optimi velut Vaticanus et Sinaiticus eos continent.

2. *Itala*, partim ex primo saeculo oriunda, item versio armeniaca, coptica, chaldaica etc, quae omnes ex Septuaginta prodiere, habent omnes hos textus deuterocanonicos.

3. *Patres SS.* citant eosdem non aliter ac libros protocanonicos, saepe verbis: Scriptura dicit etc. Sic iam Patres primordiales seu apostolici. „*Didache*" seu „Doctrina apostolorum" citat Sapient. et Sirach.; *epistola Barnabae* citat Sap.; *epist. I. Clementis* citat Iudith, Sap., Sirach.; *epistolae S. Ignatii* citant Iudith; *ep. S. Polycarpi* citat Tobiam; *Martyrium Polycarpi* citat Iudith; *Pastor Hermae* citat Tobiam, Sap., Sirach, II. Machab.; *S. Clementis de virginitate epistolae* norunt Tob., Sirach.; *Pseudo-Ignatii epistolae* habent Tob., Sirach, Daniel c. 13. Praecipua ergo scripta, quorum auctores numerantur inter „Patres Apostolicos" unum alterumque librorum deuterocanonicorum veteris testamenti explicite citant vel saltem ad eos alludunt. Brevitatis causa omittimus locos ipsos afferre, videas eos apud Fr. X. Funk.[1]) Hoc faciunt etiam tales Patres, qui dicunt, hos libros non esse canonicos. E. c. S. Hieronymus scribit:[2]) „Sicut ergo Iudith et Tobi et Machabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas Scripturas non recipit: sic et haec duo volumina (Sapientiam et Sirach) legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam." Verumtamen citat eos non secus atque alios, e. c. Sirach simul cum Proverbiis:[3]) „dicente Scriptura sancta". De libro Iudith scribit,[4]) synodum Nicaenam hunc librum in numero sanctarum Scripturarum computasse. In praefatione in librum Tobiae[5]) notat, se hunc librum in latinum vertisse iussu episcoporum, etsi Iudaeis eundem reprobantibus non placeret; ergo episcopi tempore S. Hieronymi etiam librum Tobias canonicum putaverunt.

IV. Canon novi testamenti est authenticus.

437 Deuterocanonici considerati sunt ep. ad Hebraeos et epistolae plurimae catholicae et Apocalypsis. Haec scripta non illico ubique nota erant ut apostolica, tum quia non erant directa ad certas ecclesias, quae pro eorum authenticitate testimonium perhibere poterant, tum quia partim voluminis minimi vel velut Apocalypsis difficilia intellectu erant et sic minus in usu publico erant. Itaque plus minusve dubitatum est de eorum origine apostolica, praesertim

[1]) Patres Apostolici, ed. 2. Tubingae 1901, I, 640 ss; II. 337 ss.
[2]) Praef. in libros Salomonis; M. 28, 1242.
[3]) Com. in Is. l. 2. c. 3; M. 24, 67.
[4]) Praef. in Iudith; M. 29, 39.
[5]) M. 29. 25.

cum multa alia scripta spuria tamquam apostolica proclamata essent. Attamen etiam hi libri sunt genuini. Nam

1. Adnumerantur libris canonicis iam ab Origene,[1]) S. Athanasio,[2]) S. Hieronymo,[3]) Rufino,[4]) ab auctore anonymo synopsis S. Scripturae.[5]) Nicephorus Callistus[6]) scribit de iis: „Sed libri illi, tametsi controversi ab antiquis sint habiti, postea tamen in omnibus, quae sub caelo sunt, ecclesiis, auctoritatem sacrosanctam et irrefragabilem obtinuerunt.“ Etiam Harnack[7]) notat, fine saeculi 4. in genere concordiam veram inter orientem et occidentem de ambitu canonis novi testamenti viguisse et dubitationes dumtaxat hincinde ortas fuisse nullius momenti.

2. In praxi citantur pariter ac libri protocanonici, etiam ab iis Patribus, qui eos ut canonicos non admittere videntur. Iam omnes Patres Apostolici supra nominati citant unum alterumque horum librorum, praesertim ep. ad Hebr., Iacob. et Apocal. (cfr. Funk l. c.) *S. Gregorius Naz.*[8]) enumerat omnes libros novi testamenti excepta Apocalypsi, at etiam hanc citat non aliter ac Psalmos, Isaiam, evangelium Ioannis etc.[9]) — *S. Cyrillus Hieros.*[10]) profert in medium omnes praeter Apocalypsim, nihilo secius etiam eam citat perinde ac ceteros.[11]) *Eusebius Caesar.*[12]) dicit epistolam secundam et tertiam Ioannis antilegomenas, at alibi[13]) citat et has.

N o t a I. Quaeri potest, quare soli nostri libri, non alii libri tum veteris tum novi testamenti, in canonem Iudaeorum et Christianorum recepti sint. Praeter libros, qui sunt in canone veteris legis, exstant etiam alii, qui agunt de rebus divinis et immunes sunt ab errore, e. c. liber Henoch. Item in novo testamento epistola S. Clementis Rom. ad Corinthios, epistolae S. Ignatii etc, quae et ipsae a discipulis apostolorum prodierunt similiter ac scripta Marci et Lucae. Quare sola scripta Marci et Lucae canonica sunt, quare non illa? Quoad novum testamentum haec quaestio facile solvenda est. Canonici enim sunt nonnisi illi libri, qui ut inspirati ab apostolis confirmati et ecclesiae qua tales traditi sunt.[14]) Hoc de evangelio Marci expresse referunt Clemens Alex. et Papias.[15]) Quoad vetus testamentum res difficilior est. Certe opus fuit speciali divina gubernatione, ex qua legitima auctoritas iudaica, praesertim sacerdotes magni, inspirationem librorum cognovere. Fortasse sacerdotes magni hoc cognoverunt per responsiones ex Urim et Thummim vel per alias revelationes. Nonnulli hagiographi, praesertim Moses, simul ornati erant dono miraculorum et prophetiae, et hoc modo origo divina librorum ab ipsis exaratorum facile cognosci potuit; vel prophetae ipsi lumine divino illuminati libros a se ipsis vel aliis compositos ut divinitus oriundos designavere. 438

N o t a II. Negari non potest, etiam alios libros utriusque testamenti ab aliquibus habitos esse canonicos, e. c. epistolam Clementis, Barnabae. At hic error fuit particularis nec diu permansit. 439

---

[1]) In Iesu Nave, hom. 7; M. 12, 857; similiter hom. 13. in Gen. n. 2; M. 12, 232.
[2]) Ep. 39; M. 26, 1438. [3]) Ep. 53, n. 8; M. 22, 548.
[4]) Comm. in symb. apost. n. 37; M. 21, 374. [5]) M. (Patr. Gr.) 28, 292.
[6]) H. e. 2, 46; M. 145, 887. [7]) Dogmengesch. II, 74.
[8]) Carm. 1, 1, 12; M. 37, 473. [9]) Or. 29, 17; M. 36, 95.
[10]) Cat. 4, 36; M. 33, 499. [11]) Cat. 10, 3; M. 33, 663.
[12]) H. e. 3, 24; M. 20, 267. [13]) Demonstr. evang. 3, 5; M. 22, 215.
[14]) Cfr. Schmid Fr. 387 ss.
[15]) Apud Eusebium h. e. 2, 15; M. 20, 171. et Hieronym. de viris illustr. 8; M. 23, 621.

440 Nota III. Ecclesia dicens, quosdam libros authenticos esse, nondum dicit, *eos eosque totos oriri a solis manibus auctorum ipsorum, quibus hactenus attribuuntur.* Commissio Biblica reprobavit quidem sententiam aliquorum modernorum, Pentateuchum non Mosen habere auctorem. Sed altera ex parte a) respondit negative ad quaestionem, „utrum mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit, Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse." b) Et respondit affirmative ad interrogationem, „an etiam eorum hypothesis permitti possit, qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen, ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent; ac tandem opus hac ratione confectum ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum ipsiusmet nomine vulgaretur." c) Item affirmative ad dubium: „Utrum absque praeiudicio mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu nonnulla hauserit, eaque ad verbum vel quoad sententiam contracta vel amplificata ipsi operi inseruerit." d) Pariter „affirmative, salvo ecclesiae iudicio" ad dubium: „Utrum salva substantialiter mosaica authentia et integritate Pentateuchi admitti possit, tam longo saeculorum decursu nonnullas ei modificationes obvenisse, uti: additamenta post Moysis mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas, vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas, mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare." (Denz. 1997 ss.) — Similiter eadem Commissio quoad epistolam ad Hebraeos 24. Iunii 1914 declaravit quidem, eam inter genuinas S. Pauli epistolas recensendam esse; sed negative, salvo ulteriore ecclesiae iudicio" respondit ad dubium: „Utrum Paulus apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu S. inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse, qua prostat."

C) De Vulgata.

I. Ecclesiae magisterium versionem aliquam Scripturae authenticam designare potest et debet.

441 1. Solus catalogus librorum canonicorum ab ecclesia confectus non multum prodest ad cognoscendum, quid spectet ad verbum Dei. Nam non iam exstant libri autographi, sed nonnisi textus apographi et versiones in alias linguas translatae. Sed hi textus et versiones plenae sunt mendis, naevis vel erroribus, qui per decursum temporis paulatim irrepserunt. Praeterea hi textus in multis locis ita inter se discrepant, ut ne doctis quidem, nedum populo communi christiano, possibile sit iudicare, quae lectiones genuinae sint. Si ergo ecclesia filiis suis verbum Dei pure et absque erroribus tradere vult, debet decernere, quae inter cunctas has versiones sit authentica seu ea, quae maxime conformis sit cum textu originali.

2. *In hac declaranda authenticitate oportet sit ecclesia infallibilis.* Nam a) Infallibilitas magisterii ecclesiastici extendit se certe ad expositionem Scripturae; atqui omnis translatio Scripturae est expositio quaedam; quod ergo ecclesia infallibiliter Scripturam interpretari quit, decidere quoque potest infallibiliter, qui textus sint authentici. — b) Usus practicus magisterii ecclesiastici esset illusorius, si penes ecclesiam non esset determinare, qui codex contineat

verbum Dei genuinum. Omnis iudex ante sententiam ferendam scire debet indubitanter, quae sit illa lex, secundum quam iudicet; eo fortius iudex ecclesiasticus, ab cuius iudicio dependet salus aeterna sexcentorum fidelium.

II. Vulgata est versio authentica.

Vulgata seu communis seu ubique recepta dicitur illa versio 442
latina, quae maximam partem a S. Hieronymo confecta est. Hic multos libros biblicos immediate ex hebraico in latinum transtulit et aliorum omnium librorum textum latinum Italae, quae et ipsa antea Vulgata dicebatur, revidit, emendavit et correxit. — De hac editione ait Conc. Trident. (s. 4) post libros canonicos enumeratos: „Si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, a. s.“ — Haec authenticitas Vulgatae a Conc. Trident. determinata sequitur:

1. *Ex magna auctoritate S. Hieronymi.* De quo scribit Sixtus IV.:[1]) „Fuit enim S. Hieronymus (ut inter ceteros idem B. Augustinus testatur), Graeco, Latino et Hebraeo eruditus eloquio, et ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam, in locis sanctis litterisque sacris ad decrepitam usque vixit aetatem, atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte de doctrina ecclesiastica scripserant, paene vidit aut legit, eumque non modo Augustinus, Chromatius, Paulinus ceterique sanctissimi episcopi, sed etiam Damasus Pontifex Romanus de Scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantum apud omnes nominis celebritatem, in S. Scripturarum praesertim scientia, adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, et doctissimos quosque in Gallia audiverit, Constantinopoli Gregorium Naz., Alexandriae Didymum, et alios alibi conquisiverit, usus denique clarissimis Hebraeae linguae magistris; non enim uno aliquo doctore contentus fuit, sed plurimos eosque eruditissimos adhibebat, non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quin immo et loca ipsa, quae in S. Scripturis saepe commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiam Scripturarum summopere sibi profuisse testatur.“ S. Hieronymus adhibuit et inter se comparavit codices vetustissimos. Quare etiam moderni theologi Protestantium concedunt, S. Hieronymi versionem esse accuratissimam et perfectissimam inter omnes antiquas translationes.[2])

2. *„Longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est“* (C. Trid. l. c.). Multi textus sunt desumpti ex Itala, eosque nonnisi emendavit et purgavit S. Hieronymus. Haec Itala autem, quae et ipsa antea Vulgata vocabatur, oritur partim ex primo saeculo, et fuit in usu communi ecclesiae usque ad saeculum V. et etiam postea

[1]) Cfr. Cornely, l. c. 490.
[2]) Cfr. Cornely, 448.

usque ad saeculum VII. gavisa est magna auctoritate. De ea scribit S. Augustinus:[1]) „In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae." Etiam post tempora S. Hieronymi multi quidem episcopi Italam retinuere, praesertim ne mutatione liturgiae populus offenderetur; at ex aetate Gregorii Magni † 604 editio Hieronymiana ubique introducta est, ut S. Isidorus, episcopus Hispalensis (599—636), de eadem scribere potuerit:[2]) „Cuius editione generaliter omnes ecclesiae usquequaque utuntur pro eo, quod veracior sit in sententiis et clarior in verbis." Haec editio ergo usque ad Conc. Trident. per 900 iam annos in manibus omnium fuit. Ea usae sunt multae synodi, omnes Scholastici, viri sexcenti scientia et sanctitate eximii. Ex eodem fonte hausit ecclesia per saecula multa aquas veritatis, quibus populos pascebat. Verbum Dei, quale in eadem versione continetur, in omnibus concionibus, adhortationibus, lectionibus ecclesia filiis suis proposuit. Si ergo Vulgata non esset conformis autographis, ecclesia in dogmatibus et doctrinis non annuntiasset filiis suis verbum Dei genuinum. Quare Bellarmin. recte notat:[3]) „Nec enim temere per annos fere mille, hoc est a tempore beati Gregorii, omnis ecclesia latina hac una editione usa est, omnes concionatores hanc explanaverunt et populis proposuerunt, omnia concilia ex hac editione testimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Porro ecclesiam totis octingentis vel nongentis annis germana Scripturae interpretatione caruisse, atque in iis, quae ad fidem et religionem pertinent, errores interpretis nescio cuius pro verbo Dei coluisse, mirum est, si cui mirum et absurdum non esse videatur, praesertim si ex apostolo didicerit (1 Tim 3, 15), eam esse columnam et firmamentum veritatis."

III. Haec authenticitas est substantialis, attamen non est absoluta vel perfecta, sed relativa et imperfecta.

443 1. *Est substantialis.* — Authenticitas substantialis versionis alicuius in eo consistit, quod versio quoad omnia essentialia summatim habet easdem res easque ita, quas et quomodo habet autographum; ergo in eo, quod nihil est mutatum, omissum nec additum, quo res, quae in versione continentur, prorsus aliae sunt atque in textu originali. Quoniam Vulgata est versio authentica, requiritur:

a) Debet esse conformis textui originali non solum quoad materiam primariam, scil. res fidei et morum, circa quas Conc. Trid. potissimum edidit decretum suum, sed etiam quoad res secundarias, e. c. narrationes historicas. Alioquin enim Vulgata non praeberet genuinum verbum Dei. Non sufficit, eandem nihil continere, quod est contra fidem et bonos mores.

[1]) De doctrin. christ. 2, 15; M. 34, 46.
[2]) De ecclesiast. offic. 1, 12, 8; M. 83, 748.
[3]) L. c. l. 2. c. 10.

b) Necesse est, res saltem in genere in Vulgata in eodem loco inveniri, ubi stabant in autographis. Haec condicio videtur et ipsa pertinere ad conformitatem et sequi ex verbis Trident. „canonicos esse libros ipsos „cum omnibus suis partibus, prout . . in veteri Vulgata latina editione habentur."

c) Nulla veritas fidei in Vulgata esse potest, quae non fuit in originali; vel in Vulgata potest habere sensum prorsus diversum ac in textu primitivo.

d) Ex Vulgata certe probari possunt doctrina et dogmata christiana. Quia est conformis cum autographo, locum eiusdem gerere valet. Nemini catholico licet argumentationem ideo repudiare, quia nititur Vulgata: „Nemo illam (Vulgatam) reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat." Econtra „in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur et adhibeatur" (Trid. l. c.).

2. *Authenticitas non est absoluta.*

a) *Hoc probatur* α) Vulgata non est divinitus inspirata, quia 444
inspiratio spectat ad autographa, non ad interpretationes vel expositiones. Iam S. Hieronymus ait:[1]) „Aliud est enim vatem, aliud esse interpretem. Ibi Spiritus ventura praedicit, hic eruditio et verborum copia ea, quae intelligit, transfert." — β) Vulgatam imperfectam esse, concedit ipsa ecclesia eo, quod plures Pontifices, praesertim Sixtus V. et Clemens VIII., textum eius emendare studebant. Atqui id fieri non potuisset, si authenticitas Vulgatae ad levissima quaeque et minutissima se extenderet, sicut theologi aliqui, praesertim hispani, falso opinabantur.

b) *Itaque possunt concedi.* α) Discrepantiae quoad modum dicendi. Eadem enim veritas, etiam dogmatica, potest esse clarius expressa in autographo quam in Vulgata et vice versa. E. c. in Vulgata saepius vox „sacramentum" adhibetur, ubi secundum textum hebraicum et graecum originalem melius esset legendum: secretum, mysterium; vel Gn 3, 15 legit Vulgata: „ipsa conteret caput tuum"; referuntur ergo haec verba ad mulierem quandam et praecisius determinantur; at secundum textum hebraicum esset vertendum: ipsum (semen Evae); verba sunt ergo in originali minus praecisa. — β) Leves additiones, praetermissiones, mutationes, immo contrapositiones cum textu originali quoad res non ad dogma[2]) vel materiam substantialem Scripturae spectantes.[3])

IV. Quoad alias versiones est dicendum:

1. Ex eo, quod Vulgata authentica declaratur, *auctoritati* 445
aliarum versionum nihil detrahitur. Trident. tantum voluit unam

[1]) Praef. in Pentateuch; M. 28, 151.

[2]) Lectiones variantes dogmaticae nonnisi paucae occurrunt et nullatenus mutant substantiam dogmatum, e. gr. Mc 1, 1. verba „Filii Dei" probabiliter spuria sunt, sed Christum esse Filium Dei, alibi saepissime clare docetur.

[3]) Cfr. *Franzelin*, de div. Script. th. 18 s.

versionem latinam ex multis latinis, quae tum in manibus fidelium circumferebantur, approbare authenticam idque speciatim ad id, ut haberet fundamentum fixum ad dogmata stabilienda; simulque voluit omnes versiones alias ab haereticis depravatas reiicere. Hoc sequitur: a) ex verbis Concilii: „Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit" etc. Et postquam Vulgatam authenticam declaravit, pergit: „Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in ecclesia moribus sit usura." — b) Idem attestantur Pallavicini, historiographus Conc. Trid.[1]) et theologi, qui concilio ipsi intererant.[2]) — c) Concilium tantum afuit a mente, usum textuum aliorum, praesertim hebraici et graeci, damnare, ut econtra complures Patres postularent, ut etiam unus textus et hebraicus et graecus approbaretur. Quod factum non est, quia Concilium et magisterium ecclesiae imprimis egebant una certa editione latina.[3]) Conc. Vaticanum (3. cap. 2) nonnisi renovare voluit decretum Tridentinum; ideo per Vulgatam non voluit intelligere editionem Vulgatae per Clementem VIII. factam exclusis aliis editionibus Vulgatae (cfr. Granderath, l. c. p. 47).

446 2. Manet ergo textui hebraico et graeco originali et versioni Septuaginta etc eadem auctoritas, quae eis est ex natura rei et quam habebant iam ante Trident. Apud Graecos fuit Septuaginta versio authentica eaque usi sunt Patres graeci, et adhuc hodie eadem est authentica versio apud Graecos unitos, sicut antiqua Armeniaca, Coptica, Syriaca apud Armenos etc.

3. *Licet igitur* a) In controversia cum Acatholicis quasi argumento ad hominem uti textibus ab his admissis. — b) In aliis dissertationibus pure scientificis salva reverentia Vulgatae debita aliis textibus niti. — c) Immo in tractandis rebus fidei et morum consulere alios textus, praesertim primitivos, ad textum Vulgatae illustrandum et declarandum. Etiam Leo XIII. „Providentissimus Deus" ait: „Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, ‚inspectio praecedentis linguae' suasore Augustino[4]) proficiet."

---

[1]) L. 6. c. 16—17.
[2]) Cfr. *Cornely*, 465 ss; *Casanova*, Theol. fundament. Romae 1899, 448 ss.
[3]) Pallavicini, l. c. c. 16. n. 2.
[4]) De doctr. christ. 3, 4; M. 34, 68.

Cfr. *Bellarmin*, l. 1—2. — *Franzelin*, de div. Script. th. 9 ss. — *Cornely*, 21 ss. — *Dausch*, l. c. 226 ss. Idem: Der neutestamentliche Schriftkanon des Clemens v. Alexandrien, 1894. — De canone Origenis, cfr. *Zöllig*, l. c. 82 ss. — *Kaulen*, l. c. 17 ss. Idem: Geschichte der Vulgata, 1868. — *Berger S.*, Histoire de la Vulgate, Paris 1894. — *Theod. Zahn*, Forschungen zur Geschichte des neutestamentl. Kanons. Erlangen 1881. — *P. Dausch*, Der Kanon des Neuen Testamentes. Münster 1908. — *N. Peters*, Der Text des Alten Testamentes und seine Geschichte. Münster 1912.

§ 7. De expositione Scripturae.

I. Scriptura interpretatione declarante indiget.

Hanc thesim negant Protestantes. Quia docent, Scripturam 447
esse unicum fontem revelationis et per se ipsam sufficere ad veritatem divinam cognoscendam, debuerunt quoque asserere, eandem per se esse perspicuam nec opus esse ulteriore expositione. Hoc dictum refellitur:

1. *Ipso levi aspectu Scripturae.* — Unicuique Scripturam obiter tantum consideranti occurrunt multi loci obscuri, e. c. in prophetis, epistolis S. Pauli, Apocalypsi. Non absolute quidem reiicienda est propositio: Scriptura Scripturae interpres; verum est, librum aliquem se ipsum posse declarare eo, quod textus difficiliores et obscuriores illustrantur per alios magis perspicuos. Etiam in Scriptura multae partes minus lucidae per posteriores exponuntur, e. c. vaticinia et typi antiqui per adimpletionem novi testamenti. Attamen etiam libri posteriores, epistolae apostolorum et Apocalypsis non immunes sunt ab obscuritatibus plurimis, quae et ipsae desiderant interpretationem. — Accedit, quod necessaria est cognitio linguarum, archaeologiae, historiae, geographiae antiquae profanae etc, quarum scientia non multi Christiani gaudent.

2. *Ex ipsa Scriptura.* — Act 8, 30 s: Cum Philippus diaconus eunuchum Aethiopem audivisset legentem Isaiam prophetam, quaesivit: „Putasne intelligis, quae legis? Qui ait: Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet et sederet secum.“ — S. Petrus (II. 3, 16) dicit de epistolis S. Pauli: „In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.“ — Saepe psalmista in Ps 118 orat: „Da mihi intellectum et discam mandata tua.“ „Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam“ etc. — *Non obstant alii loci*, e. c. Ps 18, 9: „Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos“, vel Ps 118, 130: „Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.“ Nam hi versus tum agunt de cognitione supernaturali tum referendi sunt ad mandata divina facile agnoscenda, non ad Scripturam omnino intelligendam.

3. *Ex Patribus.* — *Tertullianus*[1]) disserit, haereticos semper advocantes Scripturam nonnisi animos fidelium perturbare: „Scrip-

[1]) De praescr. 15; M. 2, 28. et cap. 19.

turas obtendunt et hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt." „Ergo non ad Scripturas provocandum est." — *S. Hieronymus*[1]) de se ipso ait: „Ego nec sanctior sum hoc eunucho (qui a Philippo expositionem Scripturae petiit) nec studiosor." Vituperat eos, qui gloriantur se intelligere Scripturam sine magistro: „Agricolae, caementarii, fabri metallorum . . . absque doctore non possunt esse, quod cupiunt . . . Sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant." — Item *S. Augustinus* de se ipso fatetur:[2]) „Etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quam sciam." — Certe Patres subinde loquuntur de claritate et simplicitate Scripturae, at non intendunt docere claritatem eiusdem omnimodam nec absolutam, sed tantum relativam, nempe comparate ad obscura et perplexa scripta philosophorum.

4. *Ex historia ecclesiastica.* — Omnes haeretici advocavere Scripturam ad errores suos stabiliendos. Nitentes Scriptura Ariani negabant divinitatem Christi, Eutychiani duplicitatem naturarum eiusdem, Pelagiani necessitatem gratiae, Pseudoreformatores et Iansenistae liberum arbitrium. Protestantes sibi ipsi contradicunt, una ex parte contra Catholicos sufficientiam absolutam et perspicuitatem Scripturae asserentes, altera ex parte in catechismis et libris symbolicis Scripturam exponentes secundum sensum Lutheri, Calvini etc. Etiam Protestantes orthodoxi omnes eos, qui verbum Dei aliter ac ecclesia Lutherana etc interpretantur et ideo se ab communitate separaverunt, ut haereticos et apostatas detestantur. Ad. Harnack[3]) disserit, in Protestantismo quoad omnes articulos fundamentales mox Scripturam regulae fidei subordinatam esse, et eam doctrinam designatam esse biblicam, quam quaeque ecclesia territorialis sequebatur.

II. Scriptura non est exponenda secundum eum sensum, quem „Spiritus privatus" inspirat.

448 Protestantes plurimi concedunt quidem, Scripturam esse obscuram et egere infallibili et supernaturali interpretatione. At sentiunt, praesertim illi, qui ab aliis nuncupantur „fanatici" vel „enthusiastae" velut Anabaptistae, Pietistae, Quaekeri, Methodistae etc, Spiritum S. ipsis vel saltem aliquibus ex communitate fidelium, tum huic tum illi, per revelationem specialem sensum Scripturae aperire. — Certe Spiritus S. unumquemque immediate de Scriptura illuminare valet, sicut apostolis et multis sanctis viris et feminis simplicibus profundiorem Scripturae intelligentiam indidit. At hic „Spiritus privatus" non est criterium obiectivum et infallibile verae

[1]) Ep. 53, 6—7; M. 22, 544.
[2]) Ep. 55, 21, 38; M. 33, 222.
[3]) Dogmengesch. III. 878.

interpretationis verbi Dei. Plerumque enim est nonnisi spiritus subiectivus singulorum. Superbi est se putare dignum, cui Spiritus S. immediate omnem veritatem ingerat. Hic „Spiritus privatus" facillime falli potest et vere fallitur teste experientia. Spiritus S. tantummodo unum semper et eundem sensum Scripturae suggerere potest, non hodie hunc, cras illum eumque contrarium, sicut eiusmodi novi prophetae somniant, quare inter eos fere tot sensus Scripturae praetenduntur, quot capita sunt. Itaque etiam Protestantes sinceri confitentur, ad unitatem fidei servandam opus esse interpretatione authentica ex parte magisterii ecclesiastici. Sic scribit Thiersch H. W.: Codex legum praeclarissimus, Magna Charta maxime eximia, non superfluum facit iudicem, quamdiu inter mortales ignorantia, egoismus, passiones etc vigent[1]) Item Ed. de Hartmann, ille philosophus, declarat, ex positione, libros sacros esse divinitus inspiratos, necessario sequi necessitatem auctoritatis visibilis infallibilis, quae eosdem authentice interpretur, quia alioquin Spiritus S. pro ecclesia non satis curae gessisset et ecclesia constare non posset.[2])

III. Interpretatio non est facienda solummodo secundum regulas artis criticae modernae.

Ars critica moderna, quatenus est vere et sobrie critica, et 449
non insana seu hypercritica, absque dubio etiam quoad Scripturam adhibenda est et certe magno emolumento esse potest scientiae biblicae. At luce clarius fines debitos transgreditur, si, oblita Scripturam esse a Deo inspiratam, eam tamquam librum communem considerat et dissecat, mota meris praeiudiciis. Contra artem vere criticam procul dubio Loisy aliique peccavere, quibus contra argumenta externa et interna gravissima „narrationes Ioannis (evangelistae) non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contem-

[1]) Vorlesungen über Katholizism. u. Protestantism., 1846. I. 324: „Das trefflichste Gesetzbuch kann den Richter, die ausgezeichnetste Magna Charta den Monarchen nicht überflüssig machen, noch den Fehlenden ersetzen. Denn so lange Willkür, Unverstand, Egoismus und Leidenschaft noch unter den Sterblichen ihr Wesen treiben, liegt in der bloßen Berufung auf die Schrift, in der bloßen Erklärung, daß man sie als Richter anzuerkennen gesonnen sei, noch gar keine Garantie, und die auf solche abstrakte Weise zum Präsidium erhobene Bibel präsidiert ruhig fort, mag zu ihren Füßen da unten vorgehen, was da will."

[2]) Selbstzersetzung des Christentums, 1874. 7: „Die Grundlage des Glaubens bilden ihm (dem Katholizismus) wie der evangel. Kirche die unfehlbaren kanonischen Bücher. Da aber die Auslegung derselben streitig werden kann, so muß zur Wahrung der Einheit des Glaubens notwendig eine inappellabele Auslegungsinstanz vorhanden sein. Wäre diese mit bloß menschlicher Einsicht begabt, so wäre das Opfer des Intellektes denn doch eine zu starke Anforderung; aber die kathol. Kirche nimmt nicht mit Unrecht an, daß es ebenso im Interesse des Hl. Geistes liegen müsse, die inappellabeln Ausleger der kanonischen Schriften wie die Verfasser derselben zu inspirieren, und daß eine geistverlassene Kirche, die nur vor Jahrtausenden einmal inspirierte Bekenner besaß, ein recht klägliches Ding wäre."

platio", vel „sermones in eius evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis, historica veritate destitutae". (Lamentab. 16, cfr. n. 17). Aestimatio artis criticae nimia aliquos modernistas tantopere excaecavit, ut autumare auderent: „Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, imprimis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae S. seponere debet eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana" (Lament. 12, cfr. n. 13—19, 61). Hac methodo hypercritica non solum magisterium infallibile ecclesiae, sed etiam inspirationem et infallibilitatem revelationis divinae et eo ipso revelationem et ecclesiam ipsam e medio tolli, non est quod probemus.

450 IV. Interpretatio facienda est secundum sensum, quem tenet ecclesia seu secundum consensum unanimem Patrum.

C. Trident. (s. 4. decret. de editione et usu sacrorum librorum) declaravit: „Praeterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, *in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium*, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam S. interpretari audeat." Vaticanum hoc decretum renovavit (3. c. 2). — Ex hac definitione sequitur: Necessaria est receptio interpretationis ecclesiasticae positiva, id est, ex Scriptura is sensus eruendus est, quem ecclesia declaravit. Non sufficit sola receptio negativa seu opinio, satis esse hunc sensum ecclesiasticum non reiicere, etsi alius ex eodem loco derivetur. E. c. Debeo revera tenere, in verbis Io 20, 23: „quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" etc, doceri ecclesiae potestatem peccata dimittendi, quia Trident. (14. can. 3) hunc versum ita interpretatum est; non sufficit, dogma circa potestatem ecclesiae dictam retinere, sed Io 20, 23 in sensu diverso intelligere. — Pius X. (Lament. 24, Denz. 2024) damnavit thesim: „Reprobandus non est exegeta, qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur, dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget."

Hoc dogma patet ex necessitate et natura regulae proximae fidei, de qua in §§ sequentibus agemus. Etsi sensus multiplex Scripturae admittendus est, sicut Hermeneutica disserit, tamen unus solus sensus obvius esse posse videtur, et certe non possunt erui sensus, qui sibi adversantur. Atqui magisterium ecclesiae est infallibilis interpres revelationis, ergo etiam Scripturae, ergo docet nos verum sensum eius. — Quia ecclesia infallibilis et indefectibilis est, omni tempore idem docere debet et eo ipso idem semper sensus Scripturae proferendus est, nempe ille, quem ecclesia ab apostolis recepit et

usque hodie purum et integrum conservat. *Traditio ecclesiastica est ergo vera et infallibilis Scripturae interpres;* hanc Traditionem exhibet nobis consensus Patrum, et *sic est consensus unanimis Patrum nihil aliud nisi Traditio divino-apostolica, et ideo Scriptura exponenda est etiam secundum consensum Patrum* vel secundum sensum ecclesiasticum seu intelligentiam ecclesiasticam, sicut *Vincentius Lirin.* ait:[1]) „Hic forsitan requirat aliquis: Cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene, quot homines sunt, tot illinc sententiae erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit . . . Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur." Similiter *Scotus:*[2]) „Eo Spiritu expositae sunt Scripturae, quo conditae. Et ita supponendum est, quod ecclesia catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, Spiritu scil. veritatis edocta, et ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate ecclesiae fuit facere istud verum vel non verum, sed Dei instituentis; sed intellectum a Deo traditum ecclesia explicavit directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis."

V. In materiis ad res fidei et morum non spectantibus ex causis gravibus a consensu Patrum discedere licet. 451

Certe Scriptura quoad ambitum totum divinitus inspirata et infallibilis est, non solum quoad res fidei et morum vel res religiosas vel res substantiales. Verumtamen non omnino necesse est, in interpretatione eius amplecti ubique eum sensum, quem Patres, etsi unanimiter, exhibent. Hoc absolute necessarium est tantummodo quoad res fidei et morum, sicut clare patet ex decreto citato Tridentino. In quaestionibus aliis, praesertim astronomicis, geographicis, archaeologicis, pure historicis, in quantum non propter nexum historicum vel logicum inseparabiliter cum rebus fidei et morum cohaerent, licet relinquere consensum unanimem Patrum et alium sensum sequi, non quidem ad libitum ex rationibus levissimis, attamen ex causis gravibus, praesertim cum scientia profana velut astronomia et palaeontologia indubie ostendant, antiquum sensum traditum teneri non iam posse. Hae enim res nullatenus videntur pertinere „ad aedificationem doctrinae christianae."[3]) —

[1]) Com. 2; M. 50, 640. — [2]) 4. d. 11. qu. 3. n. 15.

[3]) Bene notat *Granderath* (l. c. p. 56): „Quis negaverit, speciali Dei providentia factum esse, ut Patres Tridentini Concilii verba illa („in rebus fidei et morum ad aedi-

Eiusmodi distinctionem obiectorum, quae in Scriptura continentur, admittendam esse, iam *S. Thomas* expresse docet:[1]) „Dicendum, quod quae ad fidem pertinent, dupliciter distinguuntur; quaedam enim sunt per se de substantia fidei, ut Deum esse trinum et unum et huiusmodi, in quibus nulli licet aliter opinari . . Quaedam vero per accidens tantum, in quantum scilicet in Scriptura traduntur, quam fides supponit Spiritu S. dictante promulgatam esse, quae quidem ignorari sine periculo possunt ab his, qui Scripturas scire non tenentur, sicut multa historialia, et in his etiam Sancti diversa senserunt Scripturam divinam diversimode exponentes. Sic ergo circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scilicet mundum incoepisse, creatum; et hoc omnes Sancti concorditer dicunt; quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cuius veritatem diversa expositione Sancti salvantes diversa tradiderunt." Certe magisterium ecclesiasticum etiam de dictis rebus profanis, quatenus in Scriptura continentur, iudicium infallibile edere potest, quia infallibiliter de sensu totius Scripturae decidere valet, praesertim cum non raro tales res profanae per nexum logicum et historicum inseparabiliter cum rebus religiosis cohaereant. In hoc casu declaratio ecclesiae sola, non alia, tenenda est. At ubi eiusmodi decisio non praesto est, praesertim ubi locus quidam biblicus manifesto ab omni ordine ad res fidei et morum distat, e. gr. in quaestione, utrum (Ion 4, 6) planta „Kikaion", sub qua Ionas residebat, significet hederam an cucurbitam, licet abire ab opinione Patrum etiam unanimi. — Thesis praefata probatur:

1. *Ex ratione theologica.* — Sicut supra vidimus, Scriptura S. in descriptione rerum pure naturalium accommodat se captui et modo loquendi hominum communium. Item Christus et apostoli, a quibus Traditio catholica originem ducit; non aliter Patres, qui nobis testimonium perhibent de antiqua Traditione divino-apostolica. Nullibi docent, eiusmodi quaestiones pure naturales obiectum strictum fidei esse vel dumtaxat in sensu stricte litterali eiusmodi locos biblicos interpretandos esse. Quoad has res Patres non sunt testes Traditionis apostolicae, sed solummodo doctores privati; itaque possunt errare, et consensus concors eorum non est criterium Traditionis divino-apostolicae. Revera iidem erraverunt omnes per multa saecula opinantes, solem se circum terram movere, terram autem fixe stare. Doctrina eorum de hac re communiter relicta est, cum ratio ex revelatione naturali, nempe ex iis, quae facta sunt, evidenter ostendisset, terram vere se movere circum solem.

---

ficationem doctrinae christianae pertinentium") adderent, quum hi suspicari non possent, quam vehementer scientia, praesertim scientia naturalis, Sacram Scripturam, cuius loci aliqui propter res naturales a veteribus non satis cognitas non bene explicati erant, esset aggressura?" — Idem Granderath (p. 53 ss) demonstrat, Patres Vaticanos nonnisi quoad res fidei et morum expositionem Scripturae ad consensum Patrum alligare voluisse.

[1]) In 2 Sent. d. 12. qu. 1. ad art. 2; item S. Th. 2. 2 qu. 1. a. 6. ad 1.

2. *Ex Traditione.* — Complures Patres, e. c. Origenes,[1]) S. Basilius,[2]) Clemens Alex.[3]) approbant opinionem, res mundanas omnes a Deo uno et eodem temporis momento productas esse, etsi Scriptura secundum sensum obvium productionem rerum sex diebus assignet et plurimi alii Patres et ipsa ecclesia in liturgia loquantur de creatione successiva. Idem praesertim *S. Augustinus* facit.[4]) Qui etiam expresse docet, res pure naturales, de quibus Scriptura mentionem facit, non pariter esse obiectum fidei atque res per se religiosas, et ideo theologos in exponendis eiusmodi locis biblicis disciplinas profanas consulere posse et debere. Scribit e. c.:[5]) „Non legitur in evangelio Dominum dixisse: mitto vobis Paracletum, qui vos doceat de cursu solis et lunae. Christianos enim facere volebat, non mathematicos." — Et alibi:[6]) „Quidquid ipsi (philosophi) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae atque scientiae absconditi (Col 2, 3), ut neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque falsae religionis superstitione terreamur." — *S. Thomas* approbat hoc eloquium S. Augustini:[7]) „Valde observandum docet Augustinus, ut sic Scripturae exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur; et haec opinio plus mihi placet."

3. *Eidem propositioni valde favet Leo XIII.* in encyclicis „Pro- 452
videntissimus Deus". *Primo is docet, interpreti Scripturae utilem esse cognitionem rerum naturalium:* „Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos libros instructas facilius detegat et refellat." *Deinde ostendit, hagiographos in describendis materiis pure naturalibus res considerasse et tractasse secundum speciem externam, non secundum naturam et veritatem intimam, et se accommodasse sermoni communi:* „In consideratione sit primum, scriptores sacros seu verius ‚Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines nulli saluti profutura;'[8]) quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis

[1]) De princ. 4, 16; M. 11, 378.
[2]) In hexaëm. hom. 1, c. 6; M. 29, 15.
[3]) Strom. 6, 16; M. 9, 370.
[4]) De Genesi ad litt. 4, c. 24 ss; l. 5, c. 3. etc.
[5]) De actis cum Felice Manichaeo, l. 1, c. 10; M. 42, 525.
[6]) De Genesi ad litt. 1, 21, 41; M. 34, 262, cfr. cap. 19.
[7]) In 2. d. 12, qu. 1, art. 2.
[8]) S. August. de Genesi ad litt. 2, 9, 20; M. 34, 270.

sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos." *Praeterea dicit, Patres in expositione rerum ad fidem nullatenus spectantium et cum ea non connexarum non semper recte iudicasse.* „Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint; qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur." *Itaque distinguendum est inter interpretationes Patrum, quas dant ut testes fidei, et eas, quas faciunt qua doctores privati.* „Quocirca studiose dignoscendum illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu; namque ‚in his, quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis,' ut est S. Thomae[1]) sententia." *Qua de re ex rationibus gravibus quoad res ad fidem et mores non pertinentes expositionem Patrum relinquere aliamque sequi licet.* „Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur . . . Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quominus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi ab Augustino[2]) sapienter propositae religiosae obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere." *Postremo theologus exponens Scripturam demonstret, eam non adversari veritatibus certis ab asseclis disciplinarum naturalium propositis.* „Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet, nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab aliis tradita, postea in dubitationem abducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae transgressi in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eos interpres theologus philosophis mittat refutandos."

453 Obiectio. Nonnulla, quae Scriptura S. clare docere videtur, e. c. diebus Noë fuisse diluvium universale super totum orbem terrarum se effundens, non solum ab omnibus Patribus tenentur, sed etiam in tota ecclesia in omnibus scholis, concionibus etc proponuntur. Qui ergo quoad eiusmodi res discedit a consensu Patrum, reiicit doctrinas a magisterio ecclesiae ordinario credendas propositas. — Resp. Certe non licet, veritates ab ordinario magisterio ecclesiae credendas propositas reiicere; at eiusmodi doctrinae, quae ad fidem non pertinent nec cum ea inseparabiliter cohaerent, non proponuntur ab ecclesia tamquam fide divina credendae, etsi docentur communiter in ecclesia. In tota ecclesia per multa saecula creditum et etiam doctum est, solem quotidie se movere circum

[1]) In 2. d. 2, qu. 1, art. 3.
[2]) De Genesi ad litt. 8, 7, 13; M. 34, 378.

terram, verumtamen non erat obiectum fidei, quia non ab universa ecclesia talis doctrina putabatur „divinitus revelata" et ea, quae sine errore in fide negari non posset. Quare tota ecclesia ab hac opinione discessit, simulatque scientia physica contrarium evidenter probavit; secus a vera fide tum defecisset. — Quoad diluvium certe est credendum, diebus Noë magnam inundationem divinitus productam fuisse in regione, ubi Noë vixit; eandem fuisse ad peccatores puniendos, et tum periisse omnes homines ibidem morantes praeter familiam Noë et animalia, quae in arca erant. Hoc enim clare in Scriptura continetur, sed non clare scriptum est, hoc diluvium, quod super „omnem terram" diffundebatur, se extendisse super totum orbem terrae aut dumtaxat super illam terram, ubi Noë habitabat.[1]) Haec circumstantia non esse res fidei nec inseparabiliter cum fide cohaerere videtur; quare videtur licere discedere ab opinione Patrum antiqua, si disciplinae profanae manifesto probant, eam diutius teneri non posse. Quod qui facit, nondum negat totam Scripturam divinitus esse inspiratam et ut verbum Dei amplectendam; non reiicit doctrinam certam credendam, quia nulla certa credenda praesto est.

Nota. *Scripturae lectionem et studium esse utilissimum et ecclesiae in genere necessarium*, non est, quod fusius probemus. Leo XIII. l. c., etsi postulat, ut Scriptura intelligatur in sensu ab auctoritate ecclesiastica confirmato, summopere studium et eo ipso lectionem eius commendavit: „Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima: ita nimirum omni aetate Patres atque praeclarissimi quique theologi professi sunt et re praestiterunt." *Attamen non omnibus Christianis haec lectio necessaria est.* Traditio et praedicatio ecclesiastica cunctos satis et infallibiliter docet, quid credendum et faciendum sit. Patres, etsi saepe lectionem Scripturae suadent, tamen non putant eam esse omnibus necessariam. S. Augustinus:[2]) „Homo fide, spe et caritate subnixus eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per haec tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt." — Quia haeretici Scriptura valde abutebantur, eam non solum in linguas vulgares transferendo, sed sensum eius prave mutando, verba omittendo, addendo et detorquendo, ecclesia lectionem Scripturae in lingua vernacula prohibere debuit, nisi hae versiones ab auctoritate legitima essent approbatae simulque adornatae annotationibus ex SS. Patribus, theologis probatis etc sumptis. Clemens XII. reprobavit complures Quesnellii theses contrarias, e. c. n. 80: „Lectio sacrae Scripturae est pro omnibus" (Denz. 1430 ss). **454**

Cfr. *Bellarmin*, l. 3. — *Heinrich*, I, § 71, 74. — *Patricius Fr.*, De interpretatione Scripturarum 1844. Compendium, 1860. — *Schuepfer*, Bibel und Wissenschaft, 1896, 1—152. — *Hammerschmid*, O. F. M. (Theol.-prakt. Monatsschrift, Passau 1897, 149 ss. — *de Groot*, qu. 16, a. 6 ss. — *Grisar*, 252 ss. — *Zeitschrift f. kath. Theol.* 6, 182 ss; 11, 631 ss.; 12, 369 ss; 23, 282 ss, 460 ss; 24 (1900), 672 ss. — *Katholik*, t. 78/2. (1898), 298 ss. — *Billot*, pars 2.

Articulus II.

De regula fidei proxima seu de propositione magisterii ecclesiastici.

§ 8. De notione et realitate.

I. Notio. — Regula fidei proxima est duplex, nempe materialis et formalis. *Regula materialis* sunt symbola fidei ecclesiastica, praesertim symbolum apostolicum,[3]) quae continent articulos **455**

[1]) Cfr. Natur und Offenbarung, 1900, tom. 46, 348 ss.

[2]) De doctr. christ. 1, 39; M. 34, 36.

[3]) *Harnack* fixionem veritatum fundamentalium doctrinae antiquae in symbolo apostolico per ecclesiam Romanam factam designat opus fidei (Glaubenstat), quod a nobis cum admiratione grata agnoscendum est. (Das apostol. Glaubensbekenntnis, ed. 9, 1892, 33).—Revera oritur ex Iudaea idque aetate apostolica; quod sequitur ex verbis „sub Pontio Pilato", cum Romani praesertim posteriores, nomen consulum vel saltem imperatoris indicassent (cfr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1895, 91 ss).

fidei; *regula formalis* est propositio seu praedicatio magisterii ecclesiastici, quae nobis fidei veritates ut in fontibus revelationis contentas proponit credendas. Ex regula fidei formali oriuntur symbola fidei seu regula materialis; et haec regula materialis et ipsa est norma proxima, secundum quam ecclesia de rebus fidei iudicat.

II. Realitas. — *Propositio a parte magisterii ecclesiastici est regula fidei proxima, ex qua accipimus veritates fidei.* Hoc patet:

156 1. *Ex ratione theologica.* — a) *Insufficientia et obscuritas fontium revelationis postulant propositionem ecclesiasticam.* Non solum Scriptura est insufficiens, sicut vidimus, sed etiam Traditio divino — apostolica. Multi loci Patrum et canones Conciliorum sunt plus minusve ambigui similiter atque Scriptura. Non quoad omnes veritates facile est ostendendum, praesto esse unanimem consensum Patrum. Quare etiam Protestantes, etsi Traditionem repellunt, ad errores suos defendendos advocarunt effata Patrum, praesertim S. Augustini. Moderni Vetere-catholici, Gallicani etc ex factis historiae ecclesiasticae et ex eloquiis Patrum demonstrare studuere, Papam non esse infallibilem eique non competere primatum iurisdictionis super universam ecclesiam. Pariter Modernistae ad tuendos suos errores citant Patres, praesertim antenicaenos. Quamdiu dogmata non erant explicita nec termini technici fixi, Patres verba alii alio in sensu sumpserunt, quare interdum haeresi favere videntur, et haeretici eos pro se citare possunt. Sic e. c. Monophysitae ad vindicandam unam naturam in Christo advocavere vocem „*μία φύσις*“ etc, qua S. Athanasius et alii usi erant ad unionem hypostaticam exprimendam. — Immo etiam symbola ecclesiastica interdum egent expositione authentica. Etiam Gnostici, Ariani, Nestoriani, Monophysitae acceperunt symbolum apostolicum, at in sensu perverso declaraverunt. Similiter Modernistae affirmant, articulos symboli apostolici et decisiones Concil. Nicaeni, Ephesini, Chalcedonensis non docere doctrinam Christi ipsius, sed tantum ecclesiae illius temporis, quare pro nobis non idem significant quam pro illis. Quas theses Pius X. (Lament. 62 et 31; Denz. 2062, 2031) damnavit. — b) *Idem postulat character supernaturalis infallibilisque fidei.* Etsi per media et subsidia modernae exegesis et criticae saepe inveniri potest, qui sit verus sensus Scripturae, et quae sit doctrina Patrum, tamen haec sunt testimonia nonnisi pure humana, ergo naturalia, fallibilia. Quare non praebere possunt absolutam illam certitudinem, quae necessaria est, ut homo sine ulla dubitatione ac restrictione ex toto intellectu et corde assentiatur. Hanc certitudinem parare quit nonnisi auctoritas, quae est supernaturaliter instituta et infallibilitate gaudet. Haec auctoritas nonnisi est magisterium ecclesiae infallibile a Deo ipso ordinatum.

2. *Ex Scriptura S.* — Christus non Scripturam vel alios fontes, ex quibus doctrinam suam haurire possemus, nominavit, sed vivam

vocem apostolicam et ecclesiasticam: „Docete omnes gentes . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis“ (Mt 28, 19 s).

3. *Ex Traditione.* — Patres una voce designant regulam ecclesiasticam seu regulam fidei tamquam fontem immediatum veritatis christianae. *Tertullianus:*[1]) „Haec regula a Christo, ut probabitur, instituta nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt . . . Fides, inquit, tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum. Fides in regula posita est . . . Adversus regulam nihil scire omnia scire est“. — *Origenes*[2]) enumerans praecipuos articulos fidei designat praedicationem apostolicam et ecclesiasticam ut normam proximam eorum: „Species eorum, quae per praedicationem apostolicam manifeste traduntur, istae sunt: primo, quod unus Deus est. . . . Est praeterea et illud in ecclesiastica praedicatione, quod mundus iste factus sit.“ — *S. Augustinus:*[3]) „Neque enim natae sunt haereses . . nisi dum Scripturae bonae intelliguntur non bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Itaque, carissimi . . . hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tamquam de cibo gaudeamus; quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus . . . Etiam a me, carissimi, longe sit vana praesumptio, si volo sanus in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.“ — Antiquitus Concilia declaravere dogmata et reiecerunt errores, et omnia ab his definita fideliter amplectenda fuerunt. *Conc. Lateran. I.* (a. 649. can. 17. Denz. 270): „Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei ecclesiae, perindeque a sanctis Patribus et venerandis universalibus quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condemnatus sit.“

Cfr. *Franzelin*, De traditione, th. 3 ss; de habitudine rationis humanae ad div. fidem, c. V. — *Heinrich*, II, § 83 ss. — *de Groot*, qu. 9, a. 2—3. — *Specht*, § 36.

§ 9. De modo propositionis ecclesiasticae in genere. — De censuris theologicis in specie.

I. De modo propositionis ecclesiasticae in genere. 457

Propositio ecclesiastica veritatis fidei fit:

1. *Modo positivo et negativo:* Positive, si auctoritas ecclesiastica expressis et directis verbis designat, quae sit veritas revelata vel quid a fidelibus tenendum sit. Negative, si ecclesia aliquas doctrinas ut dogmatibus plus minusve contrarias denotat et reprobat.

---

[1]) De praescr. 14; M. 2. 27. Cfr. d'Alès 256 ss.
[2]) De princ. praef. 1, n. 4 ss; M. 11, 117 ss.
[3]) Tract. 18. in Ioan. n. 1; M. 35, 1536. Cfr. in ps. 30, serm. 3, n. 8; M. 36, 253.

2. *Per magisterium ordinarium et extraordinarium.* Magisterium ordinarium proponit fidei veritates per communem praedicationem ecclesiasticam, scil. in concionibus, catechesibus, quibus symbolum apostolicum et praecipuae veritates christianae fidei omnibus fidelibus a pastoribus, scil. episcopis et presbyteris, declarantur. Item per liturgiam, in qua dogmata catholica quasi corpus visibile assumunt. — Magisterium extraordinarium fit per iudicia solemnia, nempe per definitiones ex cathedra vel per definitiones Conciliorum a Summo Pontifice saltem approbatorum.

3. *Per magisterium infallibile et authenticum.* Magisterium ecclesiasticum est infallibile, quatenus in decisionibus suis immune est ab errore; et est authenticum, in quantum est quidem magisterium ordinarium divinitus institutum, e. c. singuli episcopi in dioecesibus suis, sed in stricto sensu non infallibile. Omne magisterium infallibile est idem authenticum, sed non vice versa.

De hac propositione per magisterium ordinarium et extraordinarium, infallibile et authenticum infra fusius tractabimus. Nunc tantum consideremus censuras ecclesiasticas.

II. De censuris theologicis in specie.

458 1. *Notio.* — Censura theologica est sententia ab auctoritate ecclesiastica competente lata, per quam aliqua propositio vel doctrina declaratur aliquo modo doctrinae ecclesiasticae contraria et perniciosa, et ut talis reiicitur.

2. *Divisio.*

a) *Ratione originis* distinguitur censura *doctrinalis et iudicialis. Doctrinalis* est illa, quam ferunt singuli theologi vel scholae theologicae, sicut prioribus temporibus e. c. per Sorbonnam Parisiensem saepius factum est. Hae censurae nonnisi tantum valent, quantum probant, quare de iis ulterius non agimus. — *Censura iudicialis* est censura proprie ecclesiastica, scil. illa, cuius auctor est legitimum magisterium ecclesiasticum. Haec obligat in conscientia fideles ad theses reprobatas interna cum mente reiiciendas. Vaticanum (3. cap. 4) definivit: „Quapropter omnes Christiani fideles huiusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiae conclusione defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino."

b) *Ratione formae* censurae sunt plus minusve planae ac distinctae. *α) Clarissimae sunt illae,* quae thesim reiiciendam verbaliter vel saltem in sensu generali proponunt simulque dicunt, quae nota prava ei inuratur, nempe utrum sit haeretica an dumtaxat falsa, temeraria etc. Hoc modo damnavit Innocentius X. 31. Maii 1653 quinque propositiones Iansenii (Denz. 1092 ss), et Pius VI.

28. Aug. 1794 propositiones 85 Concilii Pistoriensis (Denz. 1501 ss). — β) *Minus perspicua est damnatio in globo*, scil. quando series propositionum respuendarum in medium profertur et in fine censurae eis congruae designantur. Ita damnavit Clemens XI. 8. Sept. 1713 theses 101 Quesnellii in Constitutione „Unigenitus" et in fine declaravit eas falsas, captiosas, haeresim sapientes etc (Denz. 1351 ss). Hic non dicitur, quae ex censuris enumeratis competat singulis thesibus, sed hoc alia via cognosci debet; saepe id intelligi quit ex prioribus decisionibus iudicii ecclesiastici. Etiam *Syllabus Pii IX.* 8. Dec. 1864. in globo damnavit 80 theses, sed ita, ut ne in genere quidem designentur censurae, quibus hae theses afficiantur. Hic Syllabus secundum unos est definitio infallibilis ex cathedra per se ipsam, secundum alios non, secundum alios saltem ideo, quod postea ab ecclesia universali ut definitio ex cathedra recepta est. Certe multae theses eius praesertim a Vaticano ut haeresis declaratae sunt. Item certe nonnisi est iudicium negativum, quod dicit, omnes theses commemoratas, quarum nonnullae iam antea rêprobatae erant, aliquo modo esse erroneas et doctrinae ecclesiae adversari. Sed eadem non est regula fidei positiva, quia non expresse docetur, qua nota prava singulae theses maculatae sint, et ita per se sciri non potest, qui gradus certitudinis veritati contrariae attribuendus sit. — Idem dicendum est de 65 thesibus modernisticis a Syllabo Pii X. 3. Iulii 1907, aliisque erroribus ab eodem in Encyclic. „Pascendi dominici gregis" 7. Sept. 1907 damnatis. Absque dubio omnes theses sunt saltem errores quoad fidem, permultae formales haereses. Hae ut haereticae reiciendae sunt, omnes aliae saltem ut aliquo modo falsae et prohibitae, idque assensu non solum exteriore, sed etiam interno seu intellectuali, etsi definitio ex cathedra stricte infallibilis quoad omnia non admittenda esse videtur.[1]) — γ) *Minime distincta est illa censuratio*, qua liber aliquis simpliciter interdicitur vel in indicem librorum prohibitorum ponitur, sine ulteriore denominatione propositionum erronearum aut censurarum eis competentium. Cuiusmodi interdictio non oportet sit iudicium dogmaticum, quia etiam ex rationibus disciplinae et regiminis ecclesiastici libri prohiberi possunt, qui, etsi quoad fidem orthodoxi sunt, tamen nocent saluti universae ecclesiae, quia e. c. pacem ecclesiae perturbant.

c) *Ratione generis et gradus* vocatur thesis damnata praecipue:

a) *Sententia haeretica.* Haec est illa, quae certissime et in- 459
dubitanter repugnat veritati tali, quae certissime et indubitanter de fide est. Certitudo, thesim quandam esse contra veritatem fidei aliquam, elucet tum ex natura rei tum ex authentica declaratione iudicis ecclesiastici tum ex consensu theologorum. Si quae thesis

[1]) Cfr. Heiner: Der neue Syllabus Pius' X.[2] Mainz 1908, p. 21.

ab ecclesia declaratur haeretica, eo ipso thesis contradictoria est doctrina fidei.

β) *Sententia erronea* est illa, quae contradicit veritati certae theologicae, at non formaliter revelatae et ad credendum propositae, e. c. negatio Mariam cum corpore in caelum esse assumptam. Si thesis quaedam ab ecclesia damnatur ut erronea, sententia contradictoria eo ipso est sententia certa. — Similis est *sententia falsa*, sed haec gradum minorem erroris exprimere videtur quam sententia erronea.

γ) *Sententia haeresi proxima* est illa, quae non certissime est contra veritatem fidei, sive veritas impugnata non est certissime dogma, sive contradictio contra eandem non est certissima, etsi argumenta gravia id dicere videntur, e. c. propositio, angelos non esse puros spiritus. — Sententia contradictoria eo ipso est sententia fidei proxima.

δ) *Sententia de haeresi suspecta, haeresim sapiens, haeresi* favens est illa, quae per se orthodoxa esse potest, sed ob circumstantias, ob condicionem religiosam auctoris, in sensu haeretico intelligenda esse videtur, e. c. omissio vocis „*ὁμοούσιος*“ in symbolo synodi Ariminensis, additio vocabuli „*ὃς ἐσταυρώθη*“ per Petrum Fullonem monophysitam ad trishagion facta.

ε) *Sententia temeraria* est illa, quae sine rationibus sufficientibus asserit sententiam novam, antiquae doctrinae Patrum et theologorum non consentaneam, immo plus minusve contrariam.

ζ) *Sententia schismatica, seditiosa, blasphema, scandalosa* etc ipsis nominibus explicantur.

η) *Sententia captiosa* est illa, quae sub specie boni et pietatis doctrinam haereticam vel saltem periculosam occultare studet, e. c. epistola Sergii ad Honorium Papam dicentis, in Christo esse unitatem voluntatis, propositiones rigoristicae Iansenistarum, eloquia Traditionalistarum quoad absolutam necessitatem revelationis.

ϑ) *Sententia male sonans vel piarum aurium offensiva* est illa, quae per se orthodoxa esse videtur, at mentes fidelium confundit et perturbat.

Ceterum theologi plus minusve dissentiunt, quomodo hae et aliae censurae sigillatim intelligendae sint.

Cfr. *Kleutgen*, institut. p. 53 ss. — *Andries*, 208 ss. — *Franzelin*, de traditione, th. 12, sch. 2. — *Heinrich*, II, § 110, I, § 65 s. — *de Groot*, qu. 9, a. 5. — *Grisar*, 217 ss.

Caput II.

De obiecto fidei seu de fide quae creditur.

460 *Obiectum fidei materiale* seu id, quod creditur, est omne a Deo revelatum et ab ecclesia ut credendum propositum. Vatican. 3. c. 3: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo

Dei scripto vel tradito continentur et ab ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur." Sed praeter ea seu dogmata propria etiam aliae veritates tenendae sunt, sicut videbimus. — *Obiectum materiale primarium* est ipse Deus, *obiectum materiale secundarium* sunt omnia alia revelata et credenda proposita, quae omnia relationem quandam ad Deum habent. *Obiectum fidei formale* est auctoritas summa Dei revelantis.

§ 10. De dogmatibus aliisque veritatibus amplectendis.

A) Dogmata.

I. N o t i o. — 1) Dogma etymologice derivatur a verbo *δοκεῖν* 461
= videri, opinari, sentire. In usu loquendi profano significat sententias eorum, qui gaudent auctoritate gravi, praesertim illas propositiones, quas tenebat secta vel schola aliqua philosophica. Aristoteles e. c. loquitur de dogmate geometrico (Metaph. 1, 9), de dogmate sibi et aliis communi (12, 1). Scriptura S. intelligit dogmatibus tum decreta et constitutiones civiles, e. c. Dn 2, 13; 3, 10; Lc 2, 1; tum leges mosaicas (Eph 2, 15); tum decreta et praecepta apostolorum (Act 16, 4). Patres antiquissimi dogmatibus comprehendunt doctrinas Domini et apostolorum et theoreticas et practicas, e. c. S. Ignatius ad Magnes. 13, Barnabas 10, 1. Etiam posteriores Patres dogmata vocant doctrinas et leges Dei stabiles, e. c. praecepta decalogi, et distinguunt inter dogmata fidei et morum. In sensu stricto *dogmata sunt veritates theoreticae ad fidem spectantes a Deo revelatae et omnibus fidelibus a magisterio ecclesiastico credendae propositae.* Dogma est ergo veritas divino - catholica, doctrina credenda tum fide divina tum fide catholica: fide divina ob auctoritatem Dei revelantis, fide catholica, quia magisterium ecclesiasticum infallibile eam credendam proponit.

2. *Dogmata nituntur ergo revelatione positiva divina eiusque declaratione et propositione a parte magisterii ecclesiastici.* Hoc patet ex omnibus, quae antea diximus de regulis fidei, et etiam magis patebit ex dicendis de actu fidei, ubi videbimus, fidem esse ex auditu. Eo ipso prorsus *falsum est assertum modernorum, dogma fundari in interna experientia religiosa*, id est experientia, quam habuerunt multi homines, vel etiam interpretatione Scripturae quam fecerunt doctores: haec experientia vel interpretatio aliquo saeculo, quo communiter recepta est, certis formulis exprimitur, ab ecclesia approbatur et praescribitur, et sic ut dogma consideratur, quod omnes accipiant et reapse accipiunt, donec aliae experientiae internae religiosae vel interpretationes eveniant, haec dogmata prorsus respuant vel eis saltem alium sensum praebeant. — Eo ipso omnia dogmata, immo totam ecclesiam subverti, neminem praeterit. Non est, cur hunc errorem fusius heic refellamus; redargutio sequitur

ex omnibus, quae de revelatione, ecclesia, regulis fidei in hoc volumine scripta sunt et scribentur. Pius X. (Lam. 22 et 54; Denz. 2022, 2054) prohibuit theses modernisticas: „Dogmata, quae ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit." „Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes, evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque."

3. *Eo ipso falsum est dictum modernisticum, dogmata non absolute et in perpetuum, sed nonnisi relative et pro aliquibus saeculis vel hominibus vera esse.* Etiam haec opinio prorsus adversatur notioni revelationis positivae, ecclesiae visibili, magisterio ecclesiae infallibili, regulis fidei, actui fidei ex auditu, fidei nixae auctoritati infallibili Dei revelantis. Quare Pius X. (Lam. 3. Iulii 1907 n. 64; Denz. 2064) renuit thesim: „Progressus scientiarum postulat, ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de creatione, de revelatione, de persona Verbi Incarnati, de redemptione." Haec opinio erronea solummodo est applicatio erroris philosophici a Fichte, Hegel multisque aliis defensi, periculosissimi, immo omnem scientiam e medio tollentis, rectissime ab eodem Pio X., n. 58, (Denz. 2058) prohibiti: „Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur." Hic error ducit et duxit ad dissolutionem omnis ordinis moralis, religiosi, socialis, quam diebus nostris prae oculis habemus. Ecclesia catholica cum suis dogmatibus fixis custos optima est veritatum etiam naturalium immutabilium.

II. Divisio dogmatum.

462 1. *Ratione obiecti materialis* distinguuntur dogmata generalia et specialia. *Dogmata generalia* sunt veritates, quae complures alias in se comprehendunt, e. c. dogma SS. Trinitatis, Incarnationis. *Dogmata specialia* sunt veritates, quae in dogmatibus generalibus continentur. — Dogmata generalia possunt etiam dici articuli fidei fundamentales, quia quasi fundamentum totius doctrinae christianae efficiunt ideoque ab omnibus explicite scienda sunt. Dogmata specialia possunt nuncupari articuli non fundamentales, quia sunt ab illis derivati. At falsa est opinio multorum Protestantium, articulos fundamentales esse eos, qui necessario ab omnibus credendi sunt; non fundamentales autem eos, quos homo ad libitum reiicere potest. Omnes enim articuli fidei nullo excepto ab omnibus hominibus saltem implicite tenendi sunt. Ceterum Protestantes valde dissentiunt, quinam articuli sint fundamentales, qui non.

2. *Ratione revelationis* dicuntur dogmata mixta et pura. *Dogmata pura* sunt illa, quae ex sola revelatione cognosci possunt, e. c.

mysterium SS. Trinitatis. *Dogmata mixta* sunt veritates a Deo quidem supernaturaliter revelatae, quas tamen etiam ratio humana ex se ipsa per revelationem naturalem seu per ea, quae facta sunt, cognoscere potest; eadem dicuntur praeambula fidei. Sunt praesertim veritates de existentia et attributis Dei, de creatione et gubernatione mundi, de origine et proprietatibus naturalibus animae nostrae.

3. *Ratione propositionis ecclesiasticae.* a) *Dogmata ordinario modo proposita* (dogmata non declarata, dogmata simpliciter talia) et *dogmata extraordinario seu solemni modo proposita* (d. declarata seu definita). Dogmata ordinario modo proposita amplectuntur veritates, quas ecclesia explicite omnibus fidelibus proponit per symbolum apostolicum, praedicationem quotidianam, catechismos, liturgiam. Haec quidem ab omnibus credenda sunt, sed nondum solemniter per concilia vel definitiones ex cathedra declarata sunt, quia ecclesiae nondum opus erat hoc facere. Ad quae pertinent e. c. facta illa, quae evangelia de vita Christi annuntiant velut nativitatem in Bethlehem, eius resurrectionem, ascensionem, missionem Spiritus Sancti, aeternam durationem ignis infernalis etc. Dogmata extraordinario seu solemni modo proposita sunt veritates a conciliis oecumenicis vel a definitionibus ex cathedra ut revelatae credendae propositae. — b) *Dogmata mere revelata seu materialia et dogmata revelata proposita seu formalia.* Illa sunt dogmata, quae in Scriptura S. et Traditione continentur et simul cum Scriptura et Traditione saltem implicite credenda proponuntur. Haec sunt dogmata explicite proposita sive ordinario modo sive extraordinario modo. Illa dicuntur etiam dogmata *quoad se*, haec etiam dogmata *quoad nos*. Dogmata materialia ex profectu fidei per propositionem ecclesiasticam dogmata formalia fieri queunt. Sic Immaculata Conceptio B. Mariae Virginis est dogma implicite in fontibus revelationis doctum, sed ante 8. Dec. 1854 ab ecclesia non explicite ad credendum propositum erat; fuit ergo dogma nonnisi materiale, sed nunc est formale.

III. Quae veritates tenendae sint ut dogmata seu fide divina et catholica?

Regulam generalem exhibet *Scotus*[1]) dicens: „Nihil est tenen- **463**
dum tamquam de substantia fidei, nisi quod potest expresse haberi de Scriptura, vel expresse declaratum est per ecclesiam, vel evidenter sequitur ex aliquo plane contento in Scriptura vel plane determinato ab ecclesia.“ Praecisius Codex iur. can. 1323, § 1: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda

[1]) 4. d. 11, qu. 3, n. 5.

proponuntur." Hanc regulam fusius explicantes ostendimus: Dogmata sunt:

1. Omnes veritates ad fidem spectantes, quae immediate et distincte et explicite in Scriptura et Traditione continentur seu revelatae sunt, e. c. divinitas Iesu Christi. Hae credendae sunt fide divina, et quatenus ab ecclesia aliquo modo credendae proponuntur, etiam fide catholica.

464 2. Omnes veritates, quae etsi nonnisi implicite revelatae sunt, tamen immediate et evidenter sequuntur ex veritatibus revelatis vel saltem ex una revelata ita, ut possint dici formaliter revelatae. a) Si quae propositio manifesto derivanda est ex praemissis, quae pariter immediate et explicite revelatae sunt. E. gr. revelata est praemissa: Spiritus S. est Deus; item clare a Scriptura docetur: Deus est adorandus; ergo sequitur immediate: Spiritus S. est adorandus, etsi haec propositio in Scriptura explicite non habetur. — b) Si una tantum praemissa clare revelata est, altera autem in ea, quae revelata est, manifesto continetur. E. c. Revelata est praemissa: Christus fuit homo; ex ea immediate sequitur: Christus habuit corpus verum, non corpus phaenomenicum; nam corpus verum est pars essentialis naturae humanae; notio „homo" est totum actuale, cuius pars est corpus verum. — Vel: Revelata est veritas: „Omnes homines resurgent"; ergo etiam ego, nam et ego sum homo; ego sum pars totius potentialis „omnes homines", et haec conclusio manifesto et evidenter et immediate efficitur ex praemissa revelata. — In omnibus his casibus potest dici conclusio formaliter revelata, quia immediate ex sola explicatione terminorum elucescit, quare nonnisi syllogismo explicativo opus est. *Non autem dogma adest, si conclusio theologica tantum virtualiter, mediate, plus minusve obscure in alia veritate includitur ita, ut opus sit argumentatione propria ad cognoscendam eam veritatem, quae in altera includitur.* E. c. Revelata est propositio: Anima est spiritualis; ex spiritualitate animae deduci potest, eam esse ingenerabilem et solum a Deo ipso immediate produci posse. Attamen haec conclusio eget vera ratiocinatione, non sequitur eo ipso ex consideratione termini „spiritus". Quare haec veritas non est dogma. Nam nititur etiam ratiocinio humano fallibili, quare non est infallibilis conclusio. Verumtamen eiusmodi conclusio per propositionem ecclesiasticam potest fieri dogma vel saltem veritas catholica. Ita dogma factum est propositio, Mariam esse immaculatam conceptam, etsi nonnisi virtualiter revelata est. — De eiusmodi conclusionibus ait *Scotus:*[1]) „Alia sunt, quae nec necessario sunt explicite credenda ab istis (eruditis) nec ab illis (simplicibus Christianis), quia non adhuc illorum veritas est declarata et determinata per ecclesiam; cuiusmodi sunt multae conclusiones necessario inclusae in articulis creditis;

[1]) 4. d. 5, qu. 1, n. 7 (6).

sed antequam sunt per ecclesiam declaratae et explicatae, non oportet quemcumque eas credere; oportet tamen circa eas sobrie opinari, ut scilicet homo sit paratus eas tenere pro tempore, pro quo veritas fuerit declarata."

3. Omnes veritates a magisterio ecclesiastico solemniter seu extraordinario modo credendae propositae, id quod nemo catholicus unquam negavit.

4. Omnes veritates, quae ut revelatae indubie ab universali ecclesia receptae sunt, etsi definitae sunt tantum ab Conciliis particularibus vel continentur in symbolis a persona privata compositis, dummodo reapse nitantur receptione concordi ecclesiae universalis, e. c. definitiones Concilii Milevitani, Carthaginiensis, Arausicani II. contra Pelagianos et Semipelagianos emissae, vel articuli symboli Athanasiani. Eo fortius, si eiusmodi doctrinae et fidei formulae a Pontifice Rom. sunt approbatae et omnibus fidelibus amplectendae expresse praescriptae sunt.

5. Omnes propositiones a magisterio ordinario et universali ut revelatae fidelibus universae ecclesiae propositae. Falsa est opinio aliquorum modernorum, e. c. Hermesii, tantummodo propositiones solemniter declaratas esse dogmata. In hac hypothesi Christiani usque ad Conc. Nicaenum negare potuissent, Iesum Christum esse Filium Dei Patri consubstantialem, vel usque ad Trident., eucharistiam esse verum sacrificium, vel esse septem sacramenta etc. Iniuste citatur illud S. Augustini: In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas. S. Augustinus ipse energice sententias erroneas, e. c. Semipelagianismum, impugnavit, iam antequam ab ecclesia reprobatae sunt. Pius IX. in litteris ad archiepiscopum Monacensem 21. Dec. 1863. (Denz. 1683) scripsit: „Subiectio, quae fidei divinae actu est praestanda, . . . ad ea quoque extendenda (est), quae ordinario totius ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur."

6. *Etiam facta historica possunt esse vel sunt dogmata proprie* 465
dicta velut miracula Christi, eius resurrectio et ascensio, descensio Spiritus Sancti super apostolos visibilis. Hoc negant multi Protestantes et Modernistae, dicentes fidem nihil aliud esse nisi experientiam quandam animi, quae pertinet prorsus ad tempus praesens seu ad momenta, quibus homo hos affectus et sensus pios habet, nequaquam autem spectat ad res praeteritas. Eiusmodi opinio adversatur narrationibus evangelicis, persuasioni firmissimae hagiographorum et ecclesiae primitivae et ecclesiae omnium saeculorum, haec esse facta vera et ex toto corde amplectenda. Symbolum Apostolicum quoad substantiam ab apostolis ipsis oriundum continet fidem in talia facta historica, et pro fide in talia facta sexcenti martyrium subierunt. Opinio modernorum

dogmata varia praecipua tollit, immo ecclesiam visibilem totam subvertit, reddendo eam impossibilem. Pius X. (Lam. 62, Denz. 2062) prohibuit sententiam: „Praecipui articuli Symboli Apostolici non eandem pro christianis primorum temporum significationem habebant, quam habent pro christianis nostri temporis."

7. Bene notetur quod dicit Cod. iur. can. 1323, § 3: „Declarata seu definita dogmatice res nulla intelligitur, nisi id manifeste constiterit."

B) Veritates fidei ecclesiasticae seu veritates catholicae tenendae.

466 Hae sunt illae, quae non sunt revelatae, at cum veritatibus revelatis tam arcte cohaerent, ut sine earum decisione infallibili ecclesia incolumitati et integritati depositi fidei satis consulere non posset, e. c. propositio, S. Petrum Romae fuisse episcopum. Tales veritates, quia non sunt divinitus revelatae, non sunt immediate divinae, attamen mediate divinae, quia immediate revelata est auctoritas ecclesiae easdem proponentis. Si igitur magisterium infallibile ecclesiae eiusmodi sententias tamquam veras et ab omnibus fidelibus amplectendas proponit, eae sunt tenendae ut sententiae infallibiliter verae, ut prorsus non liceat eas in dubium vocare. Tenendae sunt fide ecclesiastica seu catholica, quia infallibile magisterium ecclesiae eas proponit, licet non fide immediate divina.

C) Doctrinae a magisterio ordinario authentico propositae.

467 Eae sententiae, quas magisterium infallibile sive ut dogmata propria sive ut veritates catholicas proponit, eo ipso credendae et retinendae sunt tamquam infallibiles. Sed praeter has sunt etiam aliae doctrinae, quae etsi in sensu stricto infallibiles habendae non sunt, tamen a fidelibus recipiendae sunt cum assensu religioso, sicut Franzelin etc aiunt. Hic assensus, etsi proprie non debet esse assensus super omnia firmus, tamen non solum ab omnibus assensum externum et silentium obsequiosum poscit, sed in genere etiam assensum mentis internum ita, ut fidelibus non pro libitu liceat, de talibus propositionibus dubitare. „Nisi enim omnem ordinem moralem et socialem, immo et rationalem subvertere velimus, admitti debent plures assensus interni species, quae inter assensum indubium, super omnia firmum infallibilem, et dubitationem locum habere possint."[1]) Verumtamen in singulis casibus pro singulis fidelibus dubitatio circa eiusmodi theses admittenda esse videtur, sed nonnisi ex rationibus maioris momenti: „Quod si menti fidelis vere graves et solidae, theologicae praesertim, observarentur rationes in contrarium, licitum ei esset formidare, conditionate assentire, immo et suspendere assensum, donec innotescat consensus ecclesiae universalis vel Romani Pontificis; ideoque etiam

[1]) *Hurter*, Theol. Dogmaticae compendium, 1891, ed. 7, p. 539.

licebit ad altius appellare tribunal, scil. vel ad Concilium vel ad Roman. Pontificem."[1]) Cuiusmodi doctrinae sunt:

1. *Illae emanationes et declarationes, quas Summus Pontifex* 468 *vel Concilia oecumenica sequendas praescribunt, sed non ut definitiones ex cathedra peremptorias vel iudicia de fide infallibilia in sensu stricto sumpta*, e. c. tales litterae encyclicae Summi Pontificis de obiectis fidei agentes, quae nullatenus innuunt se esse definitiones ex cathedra; vel decisiones eae, quae non sunt definitivae, sed potius directivae et quasi provisoriae, e. c. illae declarationes, quas ante Pium IX. pauci Papae de Conceptione Immac. ediderunt. — Summus Pontifex est ordinarius et supremus iudex ac magister populi christiani, vicarius Iesu Christi, ergo cunctae decisiones et doctrinae eius de rebus fidei similiter accipiendae sunt ac verba Christi ipsius, nam qui ecclesiam non audit, habeatur ut publicanus. „Ex eo, quod Pontifex non utatur suprema docendi auctoritate, non definiat ex cathedra, non sequitur, eum loqui ut doctorem privatum paris auctoritatis cum quolibet alio theologo."[2])

2. *Declarationes Congregationum Romanarum ad doctrinam fidei et morum pertinentes*, praesertim Congreg. S. Officii et de disciplina sacramentorum, etsi non sunt infallibiles, tamen prodeunt ex auctoritate legitima ordinaria, a Papa constituta eiusque locum tenente, ergo ab authentico magisterio, et ideo sunt accipiendae cum interno mentis assensu. Etiam Pius IX. in litteris ad archiep. Monac. citatis (Denz. 1684) dicit: „Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes Catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt . . . idcirco viri (hi catholici) recognoscere debent, sapientibus Catholicis haud satis esse, ut praefata ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram." — Similiter Cod. Iur. Can. 1324: „Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede praescriptae et prohibitae sunt." — Quod valet etiam quoad decisiones Pontificalis Consilii de re biblica ad doctrinam pertinentes, sicut statuit Pius X. 18. Nov. 1907: „Declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi

[1]) *Hurter*, l. c. 540. — Cfr. *Franzelin*, De Traditione, l. c. p. 121 ss. — *Granderath*, Die Machtvollkommenheit der röm. Kongregationen bei Lehrdekreten (Zeitschrift für kath. Theologie, 1895, p. 623 ss.)

[2]) *Hurter*, l. c. p. 539.

officio, sententiis Pontificalis Consilii de re biblica ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, perinde ac decretis Sacrarum Congregationum a Pontifice probatis, se subiciendi; nec posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent, idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis."

3. *Doctrinae, quas episcopi singuli fidelibus sibi commissis proponunt in litteris pastoralibus etc, sunt ab eis religiose et cum interno assensu recipiendae,* nisi eaedem manifesto et evidenter erroneae sunt, id quod vix vel raro eveniet. *Idem dicendum est eo fortius de Conciliis episcoporum provincialibus et regionariis.* Episcopi sunt a Spiritu S. instituti regere ecclesiam Dei, sunt ergo pastores ordinarii, successores apostolorum, vicem gerunt Iesu Christi; quos qui audit, Christum audit; quos qui spernit, Christum spernit. Habent iurisdictionem ordinariam et ad hanc spectat docere oves suas. Hae autem debent eis oboedientiam externam et internam, quare etiam subiectionem seu assensum intellectus. A temporibus antiquissimis illi putabantur peccare, qui non fideliter nec interne verbum Dei ita accipiebant, sicut audiebant ab episcopis. Si fideles ea tantum credere deberent, quae Summi Pontifices vel Concilia oecumenica declarant, omnibus erroribus aditus patefactus esset, cum eiusmodi iudicia Conciliorum et Paparum saepe non adsint vel a fidelibus simplicibus non facile qua talia cognoscenda sint.

469 N o t a I. *Conclusiones theologicae* in sensu latiore sunt omnes propositiones, quae ex fontibus theologicis velut ex Scriptura, Traditione, decisionibus ecclesiasticis derivantur, ergo etiam illae, quae sunt dogmata propria. Item illae, quae dicuntur opiniones liberae vel scholasticae et gaudent tantum probabilitate maiore vel minore, et de quibus valet reapse: In dubiis libertas. *At in sensu stricto* conclusiones theologicae seu veritates theologicae designantur illae sententiae, quae non evidenter quidem, attamen plus minusve clare continentur in Scriptura et Traditione et ideo a theologis communi consensu tenentur ut sententiae fidei proximae vel saltem certae, etsi a magisterio ecclesiastico nondum solent proponi vel vocari tamquam dogmata revelata. Cuiusmodi sunt, e. c. propositiones, quod Sancti in caelo sunt impeccabiles, vel quod iustificatio fit in instanti, non autem successive. Etiam hae sunt accipiendae cum interno et pleno assensu intellectus, quia consensus theologorum universalis et constans est criterium genuinae Traditionis; idem docet Pius IX. in loco supra citato. Hoc eo fortius dicendum est de talibus doctrinis, quae communiter in concionibus ubique praedicantur, a populo christiano tenentur, immo festo solemni celebrantur, velut quod B. M. V. corporaliter assumpta est in caelum. Verum-

tamen infallibiles in stricto sensu non sunt considerandae, quia deest aut revelatio formalis aut propositio a magisterio ecclesiastico infallibili.[1])

Nota II. *Revelationes divinae privatae* ab eis, quibus conceduntur, sin aliter ut tales certo cognitae sunt, fide divina credendae sunt ob auctoritatem Dei revelantis. Ab aliis non necessario credendae sunt, sed possunt teneri, quatenus authenticitas earum constat. Ecclesia, si tales approbat, e. c. in beatificatione Sanctorum, nonnisi declarat easdem nihil continere contra fidem, sed esse pie credibiles.[2]) Eiusmodi revelationes possunt esse occasio, ut aliqua doctrina, quae in Scriptura et Traditione virtualiter docetur, in dogma evehatur, vel ut cultus aliquis publicus introducatur, e. c. festum Corporis Christi, cultus SS. Cordis Iesu. At eiusmodi doctrina et cultus fundantur in Scriptura et Traditione ipsa, non in his revelationibus privatis. — Ceterum minus pium vel religiosum esse videtur respuere omnia eiusmodi scripta, etiam ab ecclesia approbata. Absque dubio alia aliis interdum contradicere videntur, sed ex hoc non sequitur, omnia in eis dicta prorsus humanitus orta esse; in pluribus inter se consentiunt. Sed etsi nulla inspiratio vel revelatio divina admittenda est, certe talia opera proveniunt a viris vel mulieribus, quorum virtus eximia, immo sanctitas ab ecclesia agnita est, et eo ipso digna sunt, quae magni aestimentur. Ex hac ratione non dedecet ea citare in libris theologicis etiam scientificis. Nam saltem sunt testimonium Traditionis vel doctrinae sui temporis, etsi auctores non docti erant. Ceterum plurimum legi solent a Christifidelibus, ordinario modo multo plus quam scripta theologorum doctorum; leguntur etiam a doctis; episcopi non raro eorum lectionem commendant. Ex omnibus his luce clarius est, ea non solum nihil continere contra fidem catholicam, sed dare testimonium eloquens fidei vigentis in ecclesia. **470**

Cfr. *Franzelin*, De habitudine rationis humanae ad divinam fidem, cap. 2. — *Heinrich*, I, § 56 s. — *Kleutgen*, Theol. d. Vorzeit, III. 695 ss, I, 40 ss. — *de Groot*, qu. 9, a. 6; qu. 15, a. 8. — *Grisar*, 171 ss, 357 ss. — *Wilmers*, 441 ss.

§ 11. De immutabilitate et profectu fidei.

I. Revelatio divina futura, quae ferat veritates novas ab omnibus recipiendas, non exspectanda est.

Multae sectae Protestantium velut Swedenborgiani, Irvingiani somniant, futuram esse novam revelationem per Spiritum S. faciendam, quae novas et perfectiores veritates hominibus manifestet. At haec opinio est reiicienda. **471**

1. *Prophetae antiqui praenuntiant revelationem novam tantum per Messiam seu Iesum Christum venturam.* Hic iam pridem in terra apparuit, ipse multa revelavit et apostolis mandavit, ut ea, quae ipse eos docuisset, omnibus gentibus traderent. Praeterea promisit Spiritum S., qui eos doceret „omnem veritatem“ (Io 16, 13). Hic Spiritus S. venit super apostolos, et ab eo repleti atque illuminati docuere omnia sive oretenus sive in scriptis, tum quae Christus ipse eis reliquerat, tum quae Spiritus S. ipsis inspiraverat. Apostolis mortuis finita est revelatio novi testamenti ad omnes homines spectans. Christus ipse nullatenus innuit, novam aliam revelationem esse futuram nisi illam, quae erit fine mundi, quando veniet iudicare vivos et mortuos, ergo illam, a qua simul finis mundi erit. Quia

[1]) Cfr. *Kleutgen*, instit. 92 ss.
[2]) Cfr. *Benedict. XIV.*, l. c. lib. 3, c. ult. — *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1901, 385 ss.

secundum prophetas, e. c. Dn 2, 44, regnum Messiae „in aeternum non dissipabitur", sed „stabit in aeternum", etiam doctrina eiusdem non abrogabitur per novas revelationes, sed per se ipsa, qualis est, semper erit.

2. *Revelatio per Christum facta est perfectissima et supersufficiens pro omnibus temporibus.* Nam ipse fuit lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Idem erat plenus gratiae et veritatis, immo via, vita, veritas ipsa, et „de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia" (Io 1, 16). Ipse nota fecit, quaecumque audivit a Patre (Io 15, 15). Quare testamentum novum, quod pepigit cum hominibus, est testamentum aeternum et eo ipso perfectissimum et ultimum, ut ait *Scotus:*[1]) „Haec (lex evangelica) est lex perfectissima, quam Trinitas disposuit dare hominibus pro statu viae; est enim ultima secundum illud Mt 26 *novi et aeterni testamenti*, id est, post quod nullum aliud est futurum."

3. *Secundum doctrinam apostolorum non speranda est nova revelatio.* Nullatenus enim id innuunt apostoli, immo S. Paulus (Eph 2, 20) dicit Christianos „superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu." Admonuit discipulos nonnisi, ut depositum fidei custodirent et omnes alias contrarias revelationes et doctrinas ab ipsis angelis oriundas detestarentur (1 Tim 6, 20; Gal 1, 8). — Quare Pius X. 3. Iulii 1907 (Lam. 21, Denz. 2021) recte renuit thesim modernisticum, praesertim a Tyrrell prolatam: „Revelatio obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum apostolis completa." Cfr. n. 59—65; Denz. 2059—2065.

II. Dogmata fidei essentialiter semper eadem sunt et intelligenda in eodem sensu. — Hoc patet:

472 1. *Ex ipsa notione dogmatis.* — Dogma est veritas in fontibus revelationis contenta et ab ecclesia ad credendum proposita. Atqui revelatio manet immutabilis, item depositum fidei, quod ecclesia ab apostolis recepit, fideliter custodit et infallibiliter exponit, declarat et credendum Christianis proponit. Quare dogma vere novum est contradictio in adiecto.[2])

2. *Ex indefectibilitate ecclesiae.* — Ecclesia, quia indefectibilis, manet essentialiter in eodem statu usque ad finem mundi. Atqui si ecclesia dogmata vere nova annuntiaret vel si dogmata non semper in eodem sensu intelligeret et praedicaret, praevalerent revera ad-

[1]) 4. d. 2, qu. 1, n. 2.

[2]) Etiam *Harnack* concedit, „dogma" et „novum" se invicem excludere (Dogmengesch. II. 20), quare Protestantismus permittens perscrutationem biblicam illimitatam nonnisi per inconsequens dogmata statuit et loquitur de historia dogmatum (l. c. I. 4 ss, III, 903 ss).

versus eam portae inferi, potestas diaboli et erroris, et ipsa esset derelicta a Christo, ergo non iam ecclesia Christi, quia haberet leges constitutivas alias atque eas, quas Christus ei dedit. Item cessasset esse „columna et firmamentum veritatis“ (1 Tim 3, 15).

3. *Teste Traditione* antiqua ecclesia ab initio sibi conscia fuit, fidem esse continuo eandem et eo ipso novas doctrinas falsas. *Tertullianus:*[1]) „Regula fidei una omnino est, sola immobilis et irreformabilis.“ — *Stephanus Papa:*[2]) „Nihil innovetur, nisi quod traditum est.“ — Caelestinus Papa:[3]) „Desinat . . incessere novitas vetustatem.“ — *Sixtus III.* (432—440):[4]) „Nihil ultra liceat novitati, quia nihil adiici convenit vetustati.“ — *S. Augustin.*[5]) vocat doctrinam Pelagii „novitatem, quae contra antiquam ecclesiae insitam opinionem sonare nunc coeperit.“

4. *Ex decisionibus ecclesiasticis:* a) *Pius VI.* (Denz. 1501) **473** declaravit haereticam prop. 1 synodi Pistoriensis Iansenistae: „postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi.“ — b) *Vaticanum* (3. cap. 4. et can. 3) reprobavit opinionem Rationalistarum, praesertim Guentheri dicentis, dogmata fidei non aliter ac veritates naturales subiacere progressui infinito et ita decursu temporum fieri posse alia et accipere alium sensum, quam antea ecclesia eis dedisset. Guentheri theoria etiam eo ipso falsa est, quia dissolvere studet mysteria fidei in veritates rationi nostrae perspicue intelligendas. — c) *Leo XIII.* 22. Ian. 1899 in ep. ad card. Gibbons, archiep. Baltimorensem, thesim reiecit, quam defendit „Americanismus“, praesertim P. Isaak Thom. Hecker, scil. ad reconciliandos dissidentes Acatholicos cum ecclesia catholica esse opportunum, „si quaedam doctrinae capita, quasi levioris momenti, praetermittantur aut molliantur ita, ut non eundem retineant sensum, quem constanter tenuit ecclesia.“[6]) Pariter Pius X. (Lam. n. 59—65) varias similes theses

[1]) De virgin. 1; M. 2, 889.
[2]) Int. op. S. Cypriani ep. 74, 1; M. 3, 1128.
[3]) Ep. 21, ad episc. Gall. c. 1; M. 50, 529.
[4]) Ep. 6, ad Ioan. Ant. n. 7; M. 50, 609.
[5]) De pecc. mer. et remiss. 3, 3, 6; M. 44. 188.
[6]) *Americanismus* in medium protulit etiam alios errores a Leone XIII. reprobatos, praesertim: 1. Ad infideles et Protestantes convertendos servandum est silentium prudens quoad quasdam doctrinas catholicas et disciplinas, quas illi admittere recusant. 2. Ad revocandos Dissidentes deserenda est via atque ratio, qua Catholici usque adhuc usi sunt, et in posterum alia adhibenda est. 3. Externum omne magisterium ab iis, qui christianae perfectioni studere velint, tamquam superfluum, immo etiam minus utile reiiciendum est; nam ampliora atque uberiora charismata nunc quam elapsis temporibus Spiritus S. in animos fidelium influit, eosque medio nemine docet arcano quodam instinctu atque agit. 4. Virtutes naturales nostris temporibus maioris momenti sunt quam supernaturales ideoque prae his efferendae et excolendae sunt. 5. Virtutes dilabuntur in activas et passivas; activae (velut prudentia, constantia, fortitudo, labor et studium) praeferendae sunt et diebus nostris aptiores quam passivae velut demissio animi, oboe-

modernisticas redarguit, velut n. 63; „Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis, quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.“ N. 65: „Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit, nisi transformetur in quendam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.“ In n. 61 inter alia interdicitur praesertim dictum „nullum Scripturae caput habere eundem sensum pro critico ac pro theologo.“ Non est veritas duplex, id est: propositio quae vera est theologo, non potest esse falsa critico seu philosopho. Quod verum est, manet verum obiective semper, ubique, et omnibus hominibus; pariter quod falsum est, etsi subiective hoc non noverunt vel concedunt omnes.

III. Admittendus est talis profectus, qui non est mutatio fidei.

474 1. *In quo stat eiusmodi progressus fidei?* a) In eo, quod multa, quae antea nonnisi implicite credebantur, postea explicite ut revelata cognoscuntur, declarantur, credenda annuntiantur et a fidelibus creduntur. b) In eo, quod complures doctrinae, quae explicite iam tenebantur, praecisioribus verbis et fixis terminis technicis determinantur et definiuntur et ita clarius comprehenduntur. — c) In eo, quod veritates quaedam, quae antiquitus quidem traditae sunt, sed ubique et ab omnibus ut revelatae et traditae non agnitae sunt, ab universis qua tales cognoscuntur et accipiuntur.

2. *Eiusmodi profectus fidei concedendus est.*

475 a) Apparet ex *ipso levi aspectu Scripturae.* Quam imperfecta est doctrina de SS. Trinitate in vetere testamento comparata cum novo testamento! Immo in ipso vetere testamento profectus revelationis et doctrinae quoad hoc dogma fundamentale apparet: in pentateucho etc haec doctrina leviter innuitur; in libris sapientialibus (Proverb. Sap. Ecclus.), in psalmis, apud prophetas sapientia Dei, filius Dei ut propria persona distincta a Patre exprimitur (cfr. Dogm. Special. I. n. 173—175). Immortalitas animae et retributio aeternae, veritates praecipuae fidei nostrae, in pentateucho etc nusquam explicite docentur, aliter in libris posterioribus, praesertim in novo testamento. Similiter res se habet quoad multa alia dogmata. Ex quo facto profectus fidei luculenter elucet.

b) *Ex variis effatis Scripturae.* — Haec diversimode talem profectum innuit. Christus ipse apostolis non cunctas veritates

dientia, abstinentia. 6. Vita actuosa valde superat vitam contemplativam. 7. Vita communis sine votis religiosis melior et utilior est quam eiusmodi vita cum his votis. — Ab hoc Americanismo religioso distinguendus est Americanismus politicus, qui est amor patriae et qui leges resque Americanas seu statuum foederatorum Americae septentrionalis super alias effert et protegit. De quo Leo XIII. ait: „Quo si quidem nomine (Americanismi) peculiaria animi ornamenta, quae sicut alia nationes alias, Americae populos decorant, significare velint; item si statutum vestrarum civitatum, si leges moresque, quibus utimini, non est profecto, cur ipsum reiiciendum censeamus.“

necessarias manifestavit, sed promisit id fore per Spiritum S. (Io 16, 12 s). At ne apostoli quidem, etsi repleti erant Spiritu S., cognoverunt illico plene sensum Scripturae. Quare S. Petrus debuit doceri speciali revelatione, quando et quomodo Ethnici in ecclesiam recipiendi essent, quamquam Scriptura veteris testamenti saepenumero annuntiaverat, etiam Gentes pariter ac Israelitas futuras esse participes regni Dei. S. Paulus (1 Cor 3, 1 s) scribit, se Corinthiis non perfectam plenariamque doctrinam christianam praedicare posse, quia nondum sint capaces ad eam amplectendam. — Christus comparavit ecclesiam cum grano sinapis, quod nonnisi paulatim crescit in arborem magnam; idem dicendum est de doctrina christiana, quae est quasi radix et fundamentum, unde oritur religio Christi. Per decursum temporis non solum stirps et rami arboris extenduntur, sed et radices extensive et intensive propagantur, ut sint arbori necessarium fulcimentum.

c) *ex Traditione.* — *Vincentius Lirin.*[1]) primo ostendit, depositum fidei esse fideliter custodiendum, dein pergit: „Nullusne ergo in ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habeatur plane et maximus . . sed ita tamen, ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia." His verbis, incipiens a „Crescat igitur", utitur etiam Conc. Vatican. (3. cap. 4). — *S. Gregorius Magnus:*[2]) „Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur." — *S. Thomas:*[3]) „Quantum ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum per temporum successionem, quia, quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite." Similiter fusius *S. Bonav.* (3. d. 25. a. 2); cfr. *Scotum* 4. d. 11, qu. 3 n. 15; Rep. 1. d. 28, n. 5.

d) *ex historia ecclesiastica.* — Nobis obiter tantum aspicientibus historiam ecclesiasticam, praesertim historiam dogmatum, patet, multa nunc explicite credi, quae antea dumtaxat implicite tenebantur, e. c. processio Spiritus Sancti ex Filio, Immaculata Conceptio. Item multa dogmata per Concilia etc determinata sunt

[1]) Commonit. c. 22—23; M. 50, 667.
[2]) Hom. in Ezech. 1. 2, hom. 4, n. 12; M. 76, 981.
[3]) 2, 2, qu. 1, a. 7.

formulis aptioribus et praecisioribus, e. c. dogma SS. Trinitatis per vocem „homousios", dogma eucharistiae per vocabulum „transsubstantiatio" etc. Deinde videmus, in ecclesiis paucis particularibus doctrinas quasdam a maioribus traditas per aliquod tempus plus minusve obscuratas et in dubium vocatas vel prorsus esse negatas; e. c. doctrina apostolica de valore baptismi ab haereticis collati in ecclesia Africana sub S. Cypriano reiecta est; in ecclesia Gallicana saeculi 17 et 18 doctrina de primatu Petri a multis non admissa vel perverse intellecta est, cum postea etiam hae ecclesiae cum ceteris veram fidem catholicam plene amplecterentur.

IV. Eiusmodi profectus fidei est necessarius.

476 1. Profectus fidei fieri debet, ut Scripturae res amplissimae et profundissimae sensim cognoscantur et ad utilitatem fidelium hauriantur. Non ab initio ecclesiae doctrina Scripturae quoad omnes relationes et consequentias cognita est nec ab ecclesia docente nec ab discente, si excipias apostolos, qui ob charisma inspirationis intelligentia Scripturae extraordinaria gaudebant. Temerarium est eloquium Guentheri, apostolos habuisse minorem cognitionem veritatum revelatarum quam posteros et praesertim modernos philosophos.

2. Religio christiana saeculis labentibus praedicationem suam necessitatibus et indigentiis variorum temporum et populorum accommodare debet, ut det parvulis lac, adultis cibum solidum. Ecclesia antiquas veritates omni aetate temporum quasi luce nova illustrare debet. Unde sequitur eo ipso, ut doctrina christiana, etsi substantialiter semper eadem manet, interne amplificetur et progrediatur atque sic formam quoque novam exteriorem recipiat. Ecclesia, ut utar verbis Vincentii Lirin.,[1]) eadem nove, sed non nova docere debet.

3. Ad haereses noviter exortas facilius detegendas ac damnandas simulque fideles ab earum veneno securius tuendos necesse est, ut ecclesia dogmata sua arctius circumscribat et novis formulis fixis terminisque praecisis exprimat, etsi hi non verbaliter in Scriptura vel Traditione continentur. Sine terminis technicis: homousios, Trinitas, persona divina, unio hypostatica duarum naturarum aliisque id genus dogmata christiana iam pridem in phrases et voces nudas dissoluta essent. Id apparet éx historia sectarum illarum Protestantium, quae omnes terminos, qui verbotenus in Scriptura non occurrunt, reiiciunt. Hi termini fuere firma petra, in qua fractae et contusae sunt undae haereticae contra eam oppugnantes, velut haeresis Ariana in vocabulo „homousios"; iidem fuere pharus, quae periclitantibus et in mari erroris circumvectis rectam quamque et apertam viam ad portum ostendit.

[1]) Com. cap. 22; M. 50, 667.

4. Profectus fidei necessarius et utilis est ipsi ecclesiae, ut custodiatur a torpore spirituali. Si organismus vivus non iam crescit et se intus evolvit, cadit in languorem et marasmum paulatimque decrescit et perit. Eadem lex valet etiam plus minusve de organismo doctrinae ecclesiasticae. Hyperconservatismus theologicus, qui postulat stabilitatem absolutam et reiicit progressionem ipsam relativam, ecclesiae valde perniciosus esset. Ecclesia schismatica graeca, quae explicationem fidei christianae restringit ad septem prima Concilia oecumenica, in marasmum incidit non minus quam aliae sectae orientales velut Nestoriani etc.

V. Causae huius profectus.

1. *Haereses* exortae multum conduxeunt, ut depositum fidei 477
clarius cognosceretur, et explicaretur, sicut ipse *S. Augustinus* fatetur:[1]) „Multa ad fidem catholicam pertinentia, dum haereticorum calida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius et intelliguntur clarius et instantius praedicantur, et ab adversario mota quaestio, discendi existit occasio." — Item *Scotus:*[2]) „Diversa symbola diversis temporibus sunt edita contra diversas haereses de novo orientes, quia quando insurgebat nova haeresis, necessarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa haeresis; quae veritas, etsi prius erat de fide, non tamen erat prius tantum declarata sicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant." Sed non licet concedere, ecclesiam nonnisi per haereses ad cognitionem veritatis pervenisse. Secus eas ecclesia non protinus, quando in lucem apparuerunt, cognoscere et reiicere potuit. Haereses ecclesiae non fidem tulerunt, sed tantum occasionem dederunt ad cognitionem fidei distinctiorem et magis perspicuam. Verum quidem est illud: errando discimus, sed dumtaxat, si error ut talis cognoscitur et repellitur. At hoc factum est non per haereses, sed per ecclesiam ipsam. Haereses fuere potius occasio exterior profectus fidei, non ratio propria.

2. *Causa gravior est fides quaerens intellectum.* Christianus per se ipse inclinat ad profectum fidei, et Scriptura id admonet (2 Ptr 3, 18): „Crescite in gratia et in cognitione." Ex quo studio perfectionis intelligentiae eo ipso oritur profectus fidei. Quod factum est imprimis per SS. Patres et Scholasticos, qui erant viri tum sanctissimi tum rerum divinarum explanandarum studiosissimi et peritissimi.

3. *Causa propria est magisterium ecclesiasticum*, cui apostoli depositum fidei immaculate custodiendum concrediderunt. Omne concilium, in quo congregati erant episcopi, iudices fidei divinitus ordinati; omnis definitio et decisio Summi Pontificis sive ex cathedra sive non ex cathedra facta plus minusve contulit ad aedificium doctrinae christianae amplius construendum et exornandum.

---

[1]) De civit. Dei, 16, 2, 1; M. 41, 477.
[2]) 1. d. 11, qu. 1, n. 5.

Per hoc magisterium infallibile fit, ut profectus fidei non eveniat permutatio fidei, et ut profectus talis, tantus illoque tempore contingat, qualis, quantus et quando ecclesiae emolumento, non detrimento sit. Quia autem magisterium ecclesiae non gaudet charismate inspirationis, debet adhibere media humana ad veritatem facilius cognoscendam, eget ergo adiutorio theologorum, scientia theologica necnon philosophica. At nequaquam cooperationem a parte theologorum praestandam ita exaggerare licet, sicut Guentheriani autumabant. Secundum hos enim theologi et philosophi fere unica et propria organa profectus fidei sunt, magisterio ecclesiae nihil manet nisi ius diiudicandi, quae sententia ex controvertisticis verior et magis congrua sit. In tali hypothesi non iam Papa et episcopi essent proprii magistri ecclesiae, sed doctores privati. At omnes doctores privati tantum in subordinatione et dependentia sub magisterio authentico et infallibili cooperari possunt et debent ad doctrinam christianam magis amplificandam. Quare Pius X. (Lam. 6; Denz. 2006) damnavit thesim modernisticam: „In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens ecclesia, ut docenti ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire."

478 Nota. *Regula fidei per Vincentium Lirin. statuta:*[1]) „In ipsa catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est," est vera quoad fidem implicitam tum in sensu thetico tum in sensu exclusivo; id est, reapse id credendum est et nihil aliud potest credi nisi id, quod omnes ubique et semper saltem implicite tenuerunt. Quoad fidem explicitam autem est recta haec regula in sensu thetico, id est: reapse est veritas fidei ea, quam explicite omnes semper et ubique amplexi sunt; sed non recta est eadem quoad fidem explicitam in sensu exclusivo. Nam si nonnisi illud fieri posset dogma, quod explicite omnes et ubique semper crediderunt, profectus fidei impossibilis esset. Vincentius ipse profectum fidei expresse docet, ex quo patet, eum regulam suam fidei non perverse intellexisse. Quare Vetere-catholici etc iniuste hanc regulam citaverunt, ut reiicerent infallibilitatem Pontificis Rom., cum non omnes semper et ubique eam credidissent.[2])

Cfr. *Franzelin*, De traditione, th. 22 ss. — *Kleutgen*, Theol. der Vorz. 3, 883 ss. — *Heinrich*, 1, § 63. — *de Groot*, qu. 9, a. 4. — *Pesch Chr.*, Die Aufgabe der kath. Dogmatik im 20. Jahrhundert (Zeitschr. f. kath. Theol. 1901, 269 ss).

Caput III.

De fide, qua creditur, seu de actu fidei subiectivo.

§ 12. De actus fidei elementis constitutivis, condicionibus et proprietatibus requisitis, definitione (Analysis actus fidei).

I. Notiones falsae.

479 Sicut in usu loquendi profano vox: credere, fides significat varia, e. c. modum quendam et diversum sciendi, cogitandi, opinandi, divinandi, ita etiam in usu loquendi religioso. Occurrunt nobis definitiones permultae plus minusve mancae, vagae falsaeque.

[1]) Com. c. 2; M. 50, 640.
[2]) Cfr. *Franzelin*, De traditione, th. 24.

Pseudoreformatores fide intellexerunt praesertim fidem specialem seu fiducialem, scil. fiduciam, nobis ob iustitiam Christi imputatam esse remissa peccata. *Socinianis* est fides nonnisi recta faciendi et prava vitandi amor et studium. Similiter dicunt multi moderni, nihil interesse, quid homo credat, dummodo honeste vivat. *Spinoza* posuit fidem in oboedientia erga Deum; pariter multi Protestantes recentiores, praesertim *Schleiermacher* eiusque schola, collocant eam in sensu et affectu absolutae dependentiae a Deo.[1]) Item *Pietistae* in sensu et affectu animi quodam pio religiosoque, non minus *Methodistae*, *Quaekeri* in quodam motu interiore a Spiritu S. producto. Etiam iuxta multos theologos Protestantium recentiores, e. c. Kaftan, Herrmann, fides est idem ac pietas. *Pantheistae*, praesertim Hegeliani, intelligunt fide conscientiam profundam, nos unum et idem esse cum ente absoluto. *Kantiani* fidem dicunt acceptationem seu approbationem idearum religiosarum ob earum practicum valorem, fides habet propositiones non tam theoreticas quam practicas. *Rationalistae vulgares* fidem designant persuasionem aliquam rationis immediatam vel etiam mediatam de obiectis religiosis, vel conscientiam moralem ac religiosam nobis naturaliter insitam, vel scientiam naturalem de Deo et divinis, vel pias illusiones atque imaginationes, quas homo sibi fingit, ut satisfaciat inclinationi naturali cognitionis sublimioris, quamdiu scientia huic indigentiae sufficere non possit. *Hermes* putavit, fidem esse assensum intellectus ad doctrinas quasdam religiosas, quarum veritatem lumen rationis nobis ostendit. *Günther* intellexit fide cognitionem veritatum religiosarum a posteriori factam, cognitionem veritatum eiusmodi a revelatione oriundam nominavit fidem historicam. Multi moderni, praesertim *Modernistae* velut Loisy, Ward, Tyrrell aliique fidem dicunt intuitionem quandam rerum religiosarum in „subconscientia", vel inclinationem quandam animi in Deum loquentem in conscientia, vel aliquam aliam religiosam, moralem, mysticam animi commotionem. Omnes hae et similes aliae notiones in eo conveniunt, quod reprobant fidem ut fidem auctoritate aliena scil. divina nitentem.

II. Fides divina nititur revelatione positiva supernaturali et eo ipso essentialiter differt ab illa scientia de Deo et rebus divinis, quam homo lumine rationis acquirere potest. 480

Conc. Vatic. (3. cap. 3.) declaravit fidem „virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest". Idem (l. c. can. 2)

[1]) Gefühl der schlechthinnigen Abhängigkeit von dem absoluten Sein.

expresse damnavit opinionem Hermesianam „fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur". — Hoc dogma et haec notio fidei probatur:

a) *ex Scriptura.* — Hbr 11, 1: „Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium." Hisce verbis docetur, fidem non provenire ex intelligentia rerum credendarum intrinseca. Quare Christus dicit: „Beati, qui non viderunt et crediderunt" (Io 20, 29). Fidem fundari in auctoritate Dei se revelantis patet ex Rom 10, 17 s: „Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi." Item ex omnibus his locis, ubi fides vocatur actus oboedientiae erga Deum, e. c. Rom 16, 26; 10, 16: „ad oboedientiam fidei", „non omnes oboediunt evangelio"; secundum 2 Thes 1. 8 in flammam ignis Deus illos proiiciet, „qui non oboediunt evangelio Domini N. Iesu Christi".

b) *ex Traditione.* — *S. Augustinus:*[1]) „Quid est credere nisi consentire, verum esse, quod dicitur?" Et:[2]) „Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori." — *Ambrosiaster:*[3]) „Inde credendi laus crescit, si quod incredibile est et mundo stultum videtur, credatur; quia quanto impossibile putatur, quod creditur, tanto magis honorabilior erit credens." — *Scotus:*[4]) „Fides est habitus inclinans ad assentiendum vero complexo, cuius evidentia non apparet."

481 III. Motivum fidei seu obiectum formale fidei seu ratio formalis, ob quam credimus seu assensum revelatis praestamus, est auctoritas Dei ipsius revelantis seu veritas prima in cognoscendo et dicendo (omniscientia et veracitas Dei loquentis absoluta), infallibile testimonium Dei.

Quod liquet: 1. *ex natura actus fidei.* — Omnis actus fidei consistit in assensu ad aliquam propositionem ob auctoritatem et veracitatem alterius dicentis. Atqui fides divina a fide humana nonnisi supernaturalitate et maiore firmitate ac securitate differt, per se autem est actus assensionis ob auctoritatem alterius, scil. Dei, sicut iam Scotus[5]) disserit: „In aliquo est (fides infusa) similis fidei acquisitae, quia sicut ibi assentitur, quia creditur veritati testificantis, non propter evidentiam obiecti, sic hic, cum assentitur alicui revelato a Deo, quia assentitur veritati Dei asserentis, et quia Deus supernaturaliter revelat."

[1]) De spiritu et littera, 31, 54; M. 44, 235.
[2]) De utilit. credendi, 11, 25; M. 42, 83.
[3]) Comm. in ep. ad Rom. 4, 19; M. 17, 91.
[4]) Rep. 3. d. 31. n. 2.
[5]) Rep. 3. d. 23. n. 7.

2. *ex Scriptura.* — Auctoritatem Dei esse motivum proprium, ob quod credimus, sequitur ex cunctis locis, ubi fides vocatur actus oboedientiae erga Deum seu summum dominum. Deinde: 1 Io 5, 9 s: „Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.. Qui non credit Filio, mendacem facit eum." Ergo assensus fidei fit ob testimonium seu auctoritatem Dei revelantis, et ille, qui non credit, negat hanc veracitatem absolutam Dei, sicut etiam S. Paulus docet (Rom 3, 3—4): „Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit; est autem Deus verax." Quia ergo ratio formalis incredulitas constat in reprobatione veracitatis Dei, debet ratio formalis fidei econtra consistere in agnitione et acceptatione veracitatis Dei seu absolutae veritatis et auctoritatis Dei.

3. *ex Traditione.* — *S. Augustinus:*[1]) „Nulli dubium est, eam fidem ab apostolo commendari, qua creditur Deo." „Quod credimus, (debemus) auctoritati." — *S. Leo Magnus:*[2]) „Divina est enim auctoritas, cui credimus." — *S. Thomas:*[3]) „In fide si consideremus formalem rationem obiecti, nihil est aliud quam veritas prima. Non enim fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est a Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio." — *S. Bonaventura:*[4]) „Fidei obiectum proprie dictum sive formale, quod habet rationem motivi, est verum increatum." — *Scotus:*[5]) „Omnia respiciuntur a fide ut revelata a Deo, et haec formalis ratio est una in omnibus."

4. *ex Conc. Vaticano.* — Hoc dicit, veritates revelatas credi debere „propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest" (3. cap. 3). Ratio formalis fidei est ergo veritas prima in cognoscendo et dicendo: „qui nec falli nec fallere potest."

N o t a. Non videtur esse admittenda opinio aliquorum, e. c. Gottii,[6]) veracitatem Dei per se solam esse obiectum fidei formale, non autem veracitatem simul cum locutione vel testimonio Dei, cum revelatio et locutio Dei nonnisi sit condicio nobis applicans veracitatem Dei. Scriptura expresse effert, *testimonium* Dei esse rationem, quare Deo fidem habeamus (1 Io 5, 9): „Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est." Conc. Vatic (3. cap. 3) declarat, vera esse, quae revelata sunt, „propter auctoritatem ipsius Dei *revelantis*" (Cfr. Zeitschrift f. kath. Theologie, 1887. 65). 482

IV. A s s e n s u s d e b e t p r o d i r e e x g r a t i a d i v i n a i l l u m i n a n t e e t e x c i t a n t e. 483

Fides est supernaturalis non solum secundum modum, sed etiam quoad substantiam. Quare sine gratia supernaturali homo ne pium quidem affectum credulitatis, ne initium quidem fidei elicere potest, sicut fusius ostendit dogmatica specialis in tractatu de gratia. Influxus

[1]) De spiritu et litt. 32, 55; M. 44, 236. — De util. credendi 11, 25; M. 42, 83.
[2]) Sermo 27, 1; M. 54, 216.
[3]) 2, 2. qu. 1. a. 1.
[4]) 3. d. 24. a. 1. qu. 2.
[5]) 3. d. 25. qu. 2. n. 3.
[6]) De fide theol. qu. 1. dub. 1. n. 5.

gratiae hominem ad credendum habilem reddere et impellere debet. Hoc valet non solum de illa fide, quae iustificat, scil. de fide viva seu a caritate formata, sed etiam de fide mortua, sin aliter sit fides vera plenaque. Conc. Vatic. (3, cap. 3. can. 5) reprobavit thesim, „ad solam fidem vivam, quae per caritatem operatur, gratiam Dei necessariam esse".

V. Praeire debet iudicium certum de existentia et credibilitate revelationis.

484 Hoc negant Protestantes orthodoxi et Iansenistae, secundum quos homo prorsus impotens est ad omnia divina, quare motiva credibilitatis non vel non certe cognoscere potest, sed a Deo ipso ad fidem interne determinatur. Idem negant Traditionalistae. Secundum Nominalistas sufficit credibilitas revelationis solum probabilis una cum bona voluntate hominis a gratia Dei adiuta. Similiter Modernistae. Sed omnes hae theoriae plus minusve favent irrationalismo. Fidei actus est non modo opus Dei, sed etiam opus nostrum, est et manet substantialiter actus intellectus, quia obiectum eius est veritas, verum, sicut S. Thomas ait:[1]) „Credere immediate est actus intellectus, quia obiectum huius actus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum." Ideo indiget homo rationibus et motivis ad credendum et assentiendum sufficientibus. Quare secundum doctrinam rectam opus est certitudine Deum se revelasse tali, quae, etsi nonnisi est moralis, tamen excludit omne dubium prudens, seu tale, quale reapse habeat rationes sufficientes dubitandi, an revera adsit vel proponatur revelatio divina. Innocentius XI. (2. Mart. 1679. n. 21. Denz. 1171) damnavit thesim: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus" (cfr. thesim n. 4. a Bautain Traditionalista (8. Sept. 1840. Denz. 1625) subscriptam). *Conc. Vatic.* (3. cap. 3) definivit: „Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus" etc; item dicit, obsequium fidei debere esse rationi consentaneum. Quare Pius X. 1907 (Lam. 25; Denz. 2025) reprobavit thesim modernisticam: „Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum." — Haec certitudo moralis, Deum se revelasse, potest esse varia, maior vel minor, sed utique debet esse congrua captui hominum singulorum. Quoad homines rudes potest satis esse firma cognitio, parochum suum, qui veritates religionis praedicat, non falli nec fallere; in pueris potest sufficere persuasio, id verum esse, quod parentes sibi annuntient. — Doctrina catholica demonstratur:

1. *ex natura rei.* — Sicut S. Augustinus[2]) ait: „Nullus credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum"; et:[3]) „Absit, inquam,

[1]) 2, 2. qu. 4. art. 2. Item *Scotus* (Rep. 3. d. 25. n. 10).
[2]) De praedest. Sanctorum, 2, 5; M. 44, 962.
[3]) Ep. 120, 3; M. 33, 453.

ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus, cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus . . . Si rationabile est, ut ad magna quaedam, quae capi nondum possunt, fides praecedat rationem, procul dubio quantulacumque ratio, quae hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem." Quare admonet:[1]) „Intellige, ut credas; crede, ut intelligas", id est: considera et examina motiva credibilitatis, dein ex fide maiorem intelligentiam hauries.

2. *ex natura credendorum.* — Fides ad credendum proponit non solum veritates lumini rationis accessibiles, sed etiam ei per se impervias, immo tales, quae captui nostro irrationales esse videntur, e. c. panem eucharisticum non esse verum panem; item veritates, quas animi nostri horrent, e. c. doctrinam de aeternitate ignis inferni. Eiusmodi propositiones homo nunquam confitebitur, nisi ex argumentis indubiis intellexerit, eas reapse a Deo, infallibili veritate, esse revelatas.

3. *ex officiis gravibus, quae fides hominibus imponit.* — Fides postulat non solum, ut mente interna veritates quasdam teneamus, sed etiam ut secundum eas vivamus, etsi sunt contrariae inclinationibus naturalibus. Immo poscit, ut semper parati simus, pro fide nostra supplicia crudelissima, ipsam mortem subire. Atqui ad talia onera suscipienda et talia mala toleranda nemo obligari potest, nisi antea necessitatem credendi manifesto cognoverit.

4. *ex Scriptura.* — Sir 19, 4: „Qui credit cito, levis corde est." — 1 Ptr 3, 15 adhortatur nos, ut simus „parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in nobis est, spe." — S. Paulus (Rom 12, 1) postulat, ut nostra servitus erga Deum sit „rationabile obsequium". — Ex his locis patet, fidei nostrum assensum primarie esse actum intellectus, actum sui conscium, non caecum.

VI. Fides proprie actus intellectus est; subiectum eius proprium intellectus est, non alia potentia animae.

Hoc bene notetur contra permultos modernos, ponentes actum 485
fidei in voluntate vel in sensu pio animi, in affectibus, in subconscientia etc. Haec veritas patet ex locis citatis Scripturae, Patrum, magisterii ecclesiastici, in quibus mentio est de assensu intellectus, de assensu ob veritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, vel fidem dandam esse Deo revelanti, non autem propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, vel fidem non esse motum animi caecum, sed debere esse rationi consentaneum. Omnes hi loci praesupponunt quendam actum intelligendi, non voluntatis. Nam voluntas per se potentia caeca est, cui lumen rationis praeluceat oportet; pariter pii sensus, pii affectus etc. Locos argu-

[1]) Sermo 43, 7, 9; M. 38, 258.

mentaque alia proferre necessarium esse non videtur. Sed necesse est considerare doctrinam *Scoti*, quia non raro legere poteris, eum esse praecursorem modernorum ponentium fidem in voluntate etc, non in intellectu.

486 Nota. *Scotum fidem ponere in intellectu*, sequitur: a) Iam ex locis citatis. Quibus addantur alii hi: Fides „est proprie de vero complexo, ut de obiecto, quod respicit intellectum secundum portionem superiorem."[1]) „Habens fidem non credit articulum esse verum ex evidentia obiecti, sed propter hoc, quod assentit veracitati infundentis habitum et in hoc revelantis credibilia."[2]) „In creditis non assentitur propter evidentiam crediti, sed propter veritatem revelantis, cui assentitur; et illa est eadem respectu primorum articulorum et respectu aliorum explicatorum ex illis, et ideo non est alius habitus unius et alterius; quia est idem obiectum sub eadem ratione formali."[3]) „Inclinat autem fides ad assentiendum vero complexo de Deo, non propter evidentiam, sed propter efficaciam causantis."[4]) Veritas revelantis est veritas prima seu Deus; quare id desideramus, „quod veritas prima supernaturaliter ostendit esse desiderandum."[5]) „Fides ex ratione sua inclinat tantum in verum latens secundum Glossam super illud Hbr 11: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.*" „Quamvis notitia fidei quantum ad evidentiam non excedat scientiam, tamen habet aliam conditionem nobiliorem, quia cum maiori certitudine inclinat in obiectum;" et eatenus „fides infusa est habitus nobilior omni scientia acquisita".[6]) Nam „innititur actus credendi fidei infusae tamquam regulae certae et omnino infallibili, a qua actus habeat, quod non possit esse falsus."[7]) „Actus fidei infusae est determinate veridicus, ita quod non potest ei subesse falsum."[8]) „Illa vera sunt certiora quam multa alia, ad quae attingit lumen naturale viatoris, quia vera ab illa veritate, quae nec fallere potest nec falli. Unde habenti fidem, quod Deus inspiravit totam Sacram Scripturam, et quod ipse est veritas infallibilis, certius debet esse, quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum, quam illud ad quod quicumque intellectus potest naturali lumine attingere."[9]) Quare „cognitio fidei est simpliciter eminentior omni cognitione naturali;"[10]) nam „lumen fidei infusae est participatio quaedam luminis divini."[11])

b) Ex professo probat: subiectum actus fidei non est voluntas, sed intellectus.

„Fides est in intellectu subiective. Et si obicitur, ergo aliquis potest credere nolens, quia quae sunt in intellectu, praecedunt *velle*, dico: quod non sequitur, quia actus credendi dependet ex duobus, scilicet habitu inclinante et credibili praesentato, non quomodocumque, sed praesentato tamquam credibile, et sic communiter non praesentatur nisi per doctrinam; et adhuc si sic praesentatur, non necessario credit intellectus, ut sic credere praecedit velle, quia proponens credibile intellectui non demonstrat, ita ut cogat intellectum ad assentiendum; ideo non credit nisi volens. Quamvis autem voluntas sic habeat imperium super actum credendi, non tamen habet imperium super oppositum actum stante fide, ut intellectus dissentiat credibili proposito per imperium voluntatis, sed solum potest impedire intellectum, ne exeat in actum suum credendi elicitum circa credibilia pro-

---

[1]) Rep. l. 3. dist. 31, n. 2 (tom. 23. 500b).
[2]) Ox. l. 3, dist. 23, n. 6 (tom. 15, 10).
[3]) Ox. l. 3, dist. 35 (tom. 15, 590).
[4]) Rep. l. c. 500 s.
[5]) Ox. l. 3, dist. 26, n. 15 (tom. 15, 334a).
[6]) Rep. prolog. qu. 2, n. 21 (tom. 22, 45a).
[7]) Quodlib. qu. 14, n. 7 (tom. 26, 11 s).
[8]) Quodlib. qu. 17, n. 10 (tom. 26, 219a).
[9]) Ox. l. 4, dist. 14, qu. 3, n. 5 (tom. 18, 128a).
[10]) Ox. l. 4, dist. 10, qu. 8, n. 1 (tom. 17, 283 a).
[11]) Quodl. qu. 17, n. 11 (tom. 26, 220a).

posita."[1]) In propria quaestione Scotus examinat, „utrum, ut fides sit in intellectu, necesse sit aliquem habitum infusum esse in voluntate". Respondetur: „Contradictionem non video, quin intellectus si fieret mere per se, et haberet obiectum praesens, posset intelligere vel credere sibi praesentato." „Ideo dico ad argumentum primum, quod actus credendi est ab obiecto praesente, sicut ab efficiente actum, non sic autem est a voluntate; aliter si voluntas esset causa actus credendi, et proponeretur intellectui, astra esse paria, nulla persuasione facta, posset voluntas imperare intellectui credere determinate, astra esse paria, et hoc nihil est. Sufficit dispositio intellectus, et non est necessarium supernaturalem dispositionem proportionalem illi poni in voluntate."[2]) Similiter in loco parallelo:[3]) „Si quaeratur, quid sit subiectum fidei? Patet responsio, quod intellectus est subiectum eius, quia perfectio prima ipsius intellectus est fides" „Si obiectum proponitur, non est habitus infusus sufficiens ad assentiendum obiecto, nisi sit habitus acquisitus per doctrinam, vel doceatur a Deo, et in talibus homo non assentit nisi volens, quia persuasio cogit intellectum suum; ideo respectu fidei acquisitae est voluntas causa aliquo modo. Sed quid de Deo? Dico, quod potest causare assensum certum in intellectu, et si intellectus sit certus, quod Deus causavit istum conceptum in se, non est in potestate eius, ut dissentiat revelato, tamen est in potestate voluntatis, ut intellectus consideret hoc quandoque, et potest impedire, ne consideret".

c) „Fides est ex auditu, auditus autem est ex praedicante; praedicare autem nullus potest nisi mittatur; igitur de primo ad ultimum non potest homo credere, nisi audiat aliquem praedicantem sibi credibilia."[4]) Quare „fides non habet firmitatem nisi ex auctoritate illius, cui creditur".[5])—Accedit quod fides etiam informis, id est cum peccato gravi coexistens, est fides vera. Scotus ergo a Kantianis, Schleiermacherianis, Ritschlianis, Pietistis etc toto caelo distat, et vanum est eum putare praecursorem eorum, sicut Seeberg etc. faciunt.[6])

VII. Verumtamen actus fidei non est conclusio logica, sed submissio voluntaria intellectus sub auctoritate Dei.

Absque dubio praecedere debet certum iudicium de exi- 487
stentia et credibilitate revelationis. Sed ex hoc non sequitur actum fidei nihil aliud esse nisi conclusionem logicam velut: Revelatio existit et est credibilis, revelatio docet Deum esse trinum, ergo credo Deum esse trinum. Nam eiusmodi fides esset fides scientifica, fides autem catholica et theologica est ex auctoritate Dei revelantis, subiectio sub hanc auctoritatem, actus oboedientiae, sicut patet ex locis supra citatis. Sed conclusio logica non est actus submissionis vel oboedientiae; nam ad illam intellectus cogi potest ex evidentia praemissarum, ad hanc non; submissio et oboedientia est actus liber, actus virtutis. Hoc magis elucet ex thesi sequente.

VIII. Assensus debet esse actus liber voluntatis.

Assensus fidei non pure intellectualis est, sed est actus in- 488
tellectus a voluntate imperatus. Homo Deo revelanti libere assentiri debet. Hoc ostenditur:

---

[1]) Ox. l. 3, dist. 25, qu. 1, in fine (tom. 15, 157 s).
[2]) Ox. l. 3, dst. 25, qu. 2, lateralis n. 1 et 2 (tom. 15, 166, 211).
[3]) Rep. l. c. n. 10 (tom. 23, 464a).
[4]) Ox. l. 3, dist. 23, n. 5 (tom. 15, 8a).
[5]) Rep. prolog. qu. 2, n. 13 (tom. 22, 40a).
[6]) Confer de hac re Minges: Verhältnis zwischen Glauben und Wissen, pag. 78 ss, 118 ss.

1. *ex natura motivorum credibilitatis.* — Etsi haec motiva dant evidentem credibilitatem revelationis, tamen non excludunt omne dubium imprudens. Homo potest dicere: mihi ipsi revelatio immediate non obtigit, vel: ego ipse miracula Christi non vidi etc. Quin immo: etsi motiva sunt evidentissima, e. c. si ego ipse intersum in suscitatione mortui, tamen possum negare missionem divinam prophetae vel apostoli, sicut patet ex exemplo Iudaeorum, qui ipsi astiterunt resurrectioni Lazari factumque supernaturale negare non potuerunt. Sicut hi dixerunt: per Beelzebub eiicit daemonia, ita possunt infideles praetendere aliquam legem naturae nobis ignotam vel possunt miraculum attribuere magiae etc. Omnia eiusmodi dubia irrationalia superare debet et potest voluntas libera, et sic potest voluntas directe influere in intellectum ad assentiendum divinae revelationi. Idem quit indirecte, scil. eo, quod penes voluntatem est, plus minusve laboris et studii impertire investigandis motivis credibilitatis, et sic intellectum ad assentiendum excitare.

2. *ex eo, quod permulti fidem non admittunt vel fidem habitam iterum respuunt.* — Si motiva credibilitatis essent necessitantia, non essent tot infideles, quot nunc sunt, nec posset homo fidem, qua semel est imbutus, postea reiicere.

3. *ex eo, quod actus fidei est actus virtuosus et meritorius.* — S. Bonav. (3. d. 23. a. 1. qu. 1. ad 4): „Si (homo) crederet per rationem cogentem, illa credulitas non esset voluntaria, sed necessaria, et sic non esset virtuosa nec meritoria.“ Virtus et meritum enim per se supponunt actum liberum.

4. *ex Scriptura.* — Rom 10, 10: „Corde enim creditur ad iustitiam.“ — Item in omnibus locis, ubi mentio est de oboedientia fidei, e. c. Rom 1, 5; 2, 16—21; et ubicumque docetur, actum fidei esse meritorium et Deo placentem, incredulitatem autem signum superbiae, vitium reiicendum, quod procedit ex malitia cordis, c. c. Mc 16, 16: „Qui non crediderit, condemnabitur.“ — Io 3, 18 s: „Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est . . . Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera.“

5. *ex Traditione.* — *S. Augustinus:*[1]) „Scimus, eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ex libero arbitrio. Scimus, pro eis, qui nolunt credere, nos, qui iam credimus, recta fide agere, cum Deum oramus, ut velint.“ — *Ambrosiaster:*[2]) „Fides non necessitatis, sed voluntatis res est.“ — *Scotus:*[3]) „Non necessario credit intellectus . . . ideo non credit nisi volens.“ — *S. Thomas:*[4]) „Movetur intellectus ad assentiendum iis, quae sunt

[1]) Ep. 217, 5, 16; M. 33, 985.
[2]) Com. in ep. 2. ad Cor 1, 21; M. 17, 296.
[3]) 3. d. 25. qu. 1. n. 13.
[4]) 1, 2. qu. 56. a. 3.

fidei, ex imperio voluntatis; nullus enim credit nisi volens.“ — Similiter *S. Bonav.* (3. d. 23. a. 1. qu. 1—2).

6. *ex Conciliis.* — *Trident.* (6. cap. 6): „Libere moventur (iustificandi) in Deum credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt.“ — *Vatic.* (3. cap. 3. can. 5) contra Hermesium arbitrantem, actum fidei per motiva credibilitatis necessitate logica produci: „S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci . . . a. s.“ (Cfr. Denz. 737.) — Innocentius XI., 2. Mart. 1679 prohibuit thesim (Denz. 1169): „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.“

IX. Assensus debet amplecti omnia divinitus revelata.

Hoc fieri debet saltem fide implicita, etsi non explicita. Qui- 489
cumque scienter et voluntarie unum dumtaxat articulum fidei reiicit, eo ipso repellit auctoritatem absolutam Dei revelantis ideoque nullam veram fidem habet. Iac 2, 10: „Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.“ Bene scribit *S. Ambrosius* de haereticis:[1]) „Negat Christum, qui non omnia, quae Christi sunt, confitetur.“ Et *S. Augustinus* Manichaeos adhortatur:[2]) „Aperte dicite, non vos credere Christi evangelio; nam qui in evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam evangelio creditis.“ — Quare fides haereticorum formalium etiam quoad eas doctrinas veras, quas adhuc tenent, non est fides plena nec vera nec potest esse divinitus infusa, quia Deus ad errorem vel peccatum formaliter cooperari non potest; eorum facilitas credendi eiusmodi veritates tantum est habitus ex actibus prioribus acquisitus, non autem habitus supernaturalis. *Scotus*[3]) „Haereticus in uno articulo dissentit, aliis articulis credendo, non ex fide infusa, cum illa non possit stare cum haeresi in quocumque articulo.“

X. Assensus fidei oportet sit super omnia firmus et appretiative summus, excludens omne dubium voluntarium.

1. *Declaratur et probatur thesis.* — Sicut amor noster in Deum 490
debet esse appretiative summus seu is, ut nullam aliam rem magis diligamus quam Deum, sic et fides. Nemini, ne nobis ipsis quidem, maiorem fidem habere licet quam Deo. Fides tam firma esse debet, ut nullatenus admittamus dubitationem deliberatam vel liberam, sed potius parati simus mori quam in fide haesitare et vacillare. At

[2]) Expos. in Lc l. 6, n. 101; M. 15, 1782.
[3]) C. Faustum, 17, 3; M. 42, 342.
[3]) Quodl. qu. 14, n. 6; item Rep. 3. d. 23, n. 4.

non necesse est, etiam in corde et affectibus semper habere fidem intensive summam. — *Haec thesis probatur:*

a) *ex natura fidei.* — Quia fides immediate nititur auctoritate Dei absolute veracis, homo obligatur Deo revelanti summam fidem habere. Nam Deus est „veritas" *κ. ε.* (Io 14, 6) et „lux mundi" *κ. ε.* (8, 12), et „si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est" (1 Io 5, 9). Quare „qui non credit Filio, mendacem facit Deum" (1 Io 5, 10). *S. Bonav.:*[1]) „Una est ratio credendi in omnibus videl. ipsa summa veritas, cui ipsa fides innititur propter se et super omnia."

b) *ex Scriptura.* — Prophetae postulavere absolutam fidem et submissionem mentis ad verba: *„Sic dicit Dominus"*. Similiter Christus omnes reprehendit, qui, etsi minime, dubitabant de veritate verborum suorum. — Gal 1, 8: „Sed licet nos aut angelus de caelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizamus vobis, anathema sit." — 2 Ptr 1, 19 S. Petrus, postquam enarravit transfigurationem Christi in monte, quam suis ipse oculis viderat, et quae et ipsa est causa motiva valde impellens ad credendum, pergit: „Et habemus *firmiorem* propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco." — Antequam Philippus diaconus baptizaret eunuchum Aethiopem, ait: „Si credis *ex toto corde*, licet" (baptizare) (Act 8, 37).

c) *ex Traditione.* — *Tertullianus:*[2]) „Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum nec inquisitione post evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse, quod ultra credere debeamus." — *S. Augustinus:*[3]) „Quidquid . . . catholicae fidei contrarium protulerint, . . . nulla dubitatione credamus esse falsissimum." — *S. Chrysostomus:*[4]) „Ubi fides est, quaestione non opus est; ubi nihil curiose inquirendum, quid opus est quaestione? Quaestio fidem tollit . . Qui quaerit, non potest credere." Et[5]): „Ideo fideles vocamur, ut sine ulla dubitatione dictis credamus et nihil dubitemus. Si enim illa humana essent, oportebat illa accurate scrutari; si vero Dei sunt, illa honorare tantum oportet et credere; sin non credamus, neque Deum esse persuasum nobis erit. Quomodo enim nosti Deum esse, si rationes ab illo repetas?"

491 d) *ex Conc. Vatic.* (3. cap. 3): „Plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur."

2. *Consequentiae ex hac thesi.*

a) *Omnis dubitatio deliberata et voluntaria contra fidem est peccatum.* „D u b i u s i n f i d e, i n f i d e l i s e s t," ait Corpus

[1]) 3. d. 23, a. 1. qu. 3.
[2]) De praescr. 7; M. 2, 20.
[3]) De Genesi ad litt. 1, 21, 41; M. 34, 262.
[4]) In ep. 1, Timoth. n. 2; M. 62, 506.
[5]) Ibid. n. 3, 507.

Iuris canonici.[1]) Nam qui libere dubitat, suspendit et subvertit primam veritatem, scil. absolutam veritatem et veracitatem Dei, in qua omnes aliae veritates fundantur.

b) *Fideli nullatenus licet habere dubium fidei practicum vel* 492
instituere de veritatibus fidei examen dubitativum. Infideli quidem licet dubitare de veritatibus christianis et prodire a dubio practico, immo is obligatur ad examen dubitativum de fide catholica instituendum; debet investigare, an haec religio reapse sit vera. At fideli nonnisi licet habere dubium theoreticum seu methodicum et instituere examen comprobativum. Catholicus iam possidet veram fidem, quae ei dat absolutam certitudinem, quare examine dubitativo practico non opus est. Hoc valet etiam de viris eruditis et theologis. Non oportet Catholicum, qui de fide sua sibi vult rationem reddere, de fide sua dubitare et assensum interim suspendere, donec resipiscat. Patres ecclesiae et Scholastici magni in scriptis suis multas quidem obiectiones contra dogmata christiana sibi fingunt refellenda, sed non legimus, eos revera de fide sua, quam luculentissime et fortissime propugnarunt, dubitasse. *Scotus*, ille doctor subtilis, qui acie ingenii longe superat theologos rationalistas nostri temporis et contra doctrinam catholicam revera subtilissima argumenta putativa praetendit, dubium universale practicum absurdum vocat et gratias agit Deo ob fidem catholicam, quae nos certissimos facit de veritatibus salutis nostrae. Is scribit:[2]) „Aut nulli credis de contingentibus, quod non vidisti, et ita non credes, mundum fuisse ante nec locum esse in mundo, ubi non fueris, nec istum esse patrem tuum et illam esse matrem tuam: et talis incredulitas destrueret omnem vitam politicam. Si igitur vis alicui credere de contingenti, quod tibi non est nec fuit evidens, maxime credendum est communitati sive illis, quae tota communitas approbat.“ Et:[3]) Ex his apparet, quantae sint gratiae referendae misericordiae creatoris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quae pertinent ad finem nostrum et ad perpetuitatem sempiternam, ad quae ingeniosissimi et eruditissimi quasi nihil poterant attingere.“ — Praeterea omne dubium practicum est peccatum. Nunquam enim virtus supernaturalis fidei baptismo infusa sine propria culpa gravi hominis amittitur. Quare dubium practicum nullatenus admittendum est. *Conc. Vatic.* (3. cap. 3. can. 6) reprobavit opinionem Hermesii, etiam fidelem christianum pariter atque infidelem assensum fidei serio et practice suspendere posse, donec ipse lumine rationis credibilitatem revelationis cognoverit: „S. q. d., parem esse condicionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut Catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu

[1]) Decret Gregorii Lib. V., Tit. VII., cap. 1.
[2]) Prol. in Sent. qu. 2. n. 6.
[3]) 4. d. 43. qu. 2. n. 33.

suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s."

XI. Proprietates actus fidei.

493 Sicut patet ex iam dictis vel in §§ sequentibus dicendis, fidei actus est *actus intellectus*, quia spectat ad veritates mente accipiendas. Idem actus est *rationalis*, quia praelucet certa cognitio, revelationem esse evidenter credibilem; est *superrationalis*, quia tenet etiam veritates rationi creatae impervias; est *supernaturalis*, quia causa vel principium efficiens primarium est gratia Dei; est *divinus* seu *theologicus*, quia obiectum formale eius est veritas prima seu Deus ipse revelans; est *liber*, quia voluntas libera intellectum ad assentiendum movet; est *super omnia appretiative firmus* seu excludens omnem dubitationem, quia divinus; est *super omnia certus* ex eadem ratione; est *catholicus* seu universalis, quia amplectitur omnes veritates a Deo revelatas; est postremo *praestantissimus*, *utilissimus*, immo *maxime necessarius*.

XII. Definitio actus fidei.

494 Secundum praecedentia actus fidei definiri potest: actus intellectus, gratia supernaturali adiuvante a voluntate libera imperatus, quo intellectus ob Dei revelantis auctoritatem veritatibus revelatis assensum super omnia firmum praebet.

XIII. Analysis fidei.

495 Analysis fidei est resolutio seu reductio fidei actus ad sua principia essentialia et partes constitutivas. Damus analysim in sensu latiore. *Obiectum materiale* est revelatio seu omnia, quae Deus manifestavit. *Obiectum formale* est summa auctoritas Dei revelantis. *Subiectum primarium* et proprie assensum praestans est intellectus, *subiectum secundarium* et assensum imperans est voluntas nostra. *Causa efficiens principalis* est gratia Dei supernaturalis, *causa efficiens secundaria* est ipse homo libere credens. *Regula remota* est Scriptura S. et Traditio apostolica, *regula proxima* est propositio ecclesiastica. Quoad motiva credibilitatis, factum revelationis et auctoritatem Dei loquentis absolute veracem est magna controversia, sicut partim disseritur in Corollario I. sequente, scil. utrum in ipso actu fidei teneantur naturaliter an etiam supernaturaliter; utrum per intellectum intelligentem an per voluntatem an per actum proprium formalem fidei; utrum cognoscantur immediate per speciale lumen fidei seu instinctum specialem Dei an immediate ex apprehensione terminorum post praeambula fidei cognita an mediate per mentem ratiocinantem; utrum eorum cognitio ad actum fidei se habeat ut mera praesuppositio et condicio praerequisita an ut motivum fidei formale, etsi dumtaxat secundarium et partiale.

496 Corollarium I. — *Quomodo se habet cognitio* praeambulorum fidei (existentiae et veracitatis Dei), et cognitio facti reve-

lationis, motivorum credibilitatis (miraculorum etc) *ad actum fidei ipsum?* Certe reprobanda est opinio Scoti Eriugenae, Hermesii etc. Secundum hos ipsa motiva fidei naturaliter cognita actum fidei pariunt. Hic actus enim dicitur esse nonnisi conclusio logica ex eiusmodi syllogismo: Illud, quod Deus, summa veritas, revelavit, est verum; atqui Deus revelavit e. gr. Spiritum S. esse personam divinam; ergo Spiritus S. persona divina est. Verum ex tali argumentatione non liquet, actum fidei esse supernaturalem nec liberum, neque efficitur assensus fidei ille super omnia firmus, qui necessarius est ad fidem divinam. Nam praemissa illa: Deus revelavit, Spiritum S. esse personam divinam, tantum moraliter certa est, quia, sicut supra vidimus, factum revelationis nonnisi moraliter certum est. Atqui conclusio sequitur partem peiorem, ergo illa conclusio: Spiritus S. persona divina est, nonnisi moraliter certa est. Si ergo actus fidei nihil aliud esset nisi conclusio logica mentis nostrae, assensus fidei nonnisi moraliter certus esset; et hic non est assensus super omnia firmus. Tota theoria rationalismus est. — Inter orthodoxos quoque variae sententiae in lucem prolatae sunt, e quibus tantum has enumerare volumus:

1. Secundum *Suarez, von Schaezler* etc in actu fidei motivum 497
fidei seu testimonium divinum per se ipsum, per fidem divinam creditur non minus quam obiecta materialia, quae idem actus fidei tenet. Quia fides omnino divina esse debet, etiam motivum fidei eadem fide divina seu per se ipsum proprie credi debet ob auctoritatem Dei revelantis. — At haec sententia circulum vitiosum continere manifesto videtur. Utique credo, Deum esse trinum, quia Deus verax est et hoc mysterium revelavit. Sed quare teneo propositionem, Deum veracem esse et hoc revelasse? Quia Deus verax est et hoc revelavit? Nonne hic circulus vitiosus est?[1]) Certe etiam illae veritates, Deum esse veracem, Deum doctrinas quasdam revelasse, credi possunt et debent ob testimonium divinum, sed ut obiecta fidei materialia, non ut formale obiectum fidei in ipso actu fidei; in ipso actu fidei possunt, et sicut videtur, etiam debent cognosci, sed alio modo, non autem ut obiectum fidei formale credi possunt per se ipsae.

2. Alii censent, in ipso actu fidei motivum fidei directe et formaliter non ab intellectu, sed a voluntate teneri; voluntas hu-

---

[1]) In hanc difficultatem ostendit iam *Scotus* (Ox. l. 3, d. 23, n. 7; 15, 11) scribens: „Quaero igitur a te, quomodo assentio huic, scilicet hoc esse revelatum a Deo? quia si assentio huic: *Deum esse trinum et unum*, quia revelatum, magis assentio huic, scilicet *hoc esse a Deo revelatum*, sicut assentiens conclusioni propter principia, magis assentit principiis. Si dicas, sicut oportet dicere, quia revelatum est a Deo, Deum esse trinum et unum, esse revelatum a Deo, adhuc quaeram, quomodo assentio huic secundae, et sic in infinitum, et per consequens nunquam aliquid firmiter credam de articulis fidei; sicut si scientia conclusionis resolveretur in principia, et illa principia in alia, et sic in infinitum."

mana amore et reverentia summa in Dei absolutam perfectionem et maiestatem mota motivum fidei libentissime et eo ipso firmissime, super omnia firmiter tenet. Similiter *Scheeben*, *Mazzella* etc arbitrantes: cognitio supernaturalis motivorum fidei immediate influit in voluntatem hominis et movet per voluntatem intellectum ad firmiter assentiendum ita, ut assensus ad revelata seu actus fidei minus fiat ex motione a parte intellectus, sed potius ex inclinatione voluntatis humanae a gratia excitatae. — At hae opiniones, quae laudandae sunt, quia influxum voluntatis nostrae liberae ad credendum valde efferunt, videntur oblivisci, actum fidei substantialiter esse actum intellectus, non autem voluntatis, et sic irrationalismo favere videntur.

498 3. *Non admittenda esse videtur sententia ab* Cardinali De Lugo statuta et a permultis aliis laudata. Secundum hanc opinionem cognitio motivorum credibilitatis et facti revelationis intrat in actum fidei ipsum et est „ratio formalis particularis", sicut de Lugo ait, seu ratio formalis secundaria praeter auctoritatem Dei loquentis absolute veracis, quae est ratio formalis propria et primaria. De Lugo exponit:[1]) Assensus ad articulum aliquem, e. gr. Verbum Dei esse hominem, fit quidem per logicam conclusionem saltem virtualem ex praemissis: „Revelatio divina (seu Deus) fallere non potest; Deus autem revelavit, Verbum esse hominem; ergo Verbum est homo." Verum hoc non fit in sensu Hermesii, quasi homo ex viribus naturalibus id efficiat et conclusio eum ad assentiendum cogat, sed requiritur gratia elevans stricte supernaturalis. Haec intellectum humanum lumine sublimiore illustrat, ut ei veracitas Dei et factum revelationis quasi manifesta fiant. Quae gratia simul voluntatem virtute superiore corroborat et trahit, ut libenter intellectui assensum imperet, et sic totus homo veritati revelatae firmissime adhaereat. Per hanc cooperationem gratiae accipit homo assensum fidei super omnia firmum et quasi infinite superantem assensum omnem pure humanum, et sic fides recte vocari potest et revera est fides divina. — *Haec theoria valde* in eo laudanda est, quia concedit nullum obiectum, ne obiectum formale quidem credi posse propter se ipsum, sed omnem fidem praecedere debere *cognitionem* existentiae revelationis eiusque credibilitatis, et hanc cognitionem non esse proprie fidem. Sed de Lugo errat censendo, hanc cognitionem actui fidei praeviam debere cognosci ex se ipsa immediate seu ex apprehensione terminorum. Quod verum non est; nam ipsa existentia Dei nonnisi per argumentationem a posteriori probari potest; eo fortius veritas, eum esse veracem et se revelasse. Hae ergo veritates nituntur conclusione logica; si autem earum cognitio intrat in actum fidei ipsum vel ipsae sunt eius motivum formale particulare, actus fidei conclusio logica esse videtur. Praeterea actus fidei actus

[1]) De virtute fidei, disp. 1, sect. 6—7.

simplex vel non compositus esse debet, id est assensus propter auctoritatem Dei, sicut patet ex definitione Vaticana. Secundum De Lugo autem hic actus continet tum rationem formalem primariam seu propriam, tum rationem particularem seu secundariam, id quod non placet. Quare auctor in idem peccatum labi videtur, quod reprehendit quoad Suarez, id est quod actum fidei magis obscurat quam elucidat, reddendo ei magis mysteriosum quam per se iam est.

4. Quare praeferenda esse videtur sententia quam tenet 499
Chr. Pesch, Billot etc, secundum quam cognitio motivorum credibilitatis et facti revelationis dumtaxat *est condicio necessario praerequisita vel medium disponens et impellens ad fidem*, nullatenus autem ratio formalis, ne partialis quidem.

a) Scriptura, Patres, ecclesia postulant, ut Christo loquenti fidem habeamus, quia auctoritatem suam divinam miraculis etc probavit et eo ipso etiam suam veracitatem; postulant etiam, ut firmiter verbis eius vel Deo revelanti assentiamur, quia verax est, non falli nec fallere potest. Nullatenus poscunt, ut has propositiones teneamus ut rationem formalem saltem partialem actus fidei. Nullibi docent assensum nostrum non super omnia firmum esse posse, si dicta praeambula actui fidei non ut motivum formale saltem partiale fidei in ipsum actum fidei assumimus. Prorsus sufficimus his regulis fidei, si veritates dictas amplectimur et tenemus tamquam condicionem actui fidei ipsi praeviam et medium ad eum disponens et excitans. Absque dubio secundum has regulas cooperantur ad actum fidei et eatenus intrant in eum, at non ut motivum aliquod formale; sufficit, si haec motiva fidei tenemus tantummodo ut motiva externa et accidentalia, tamquam condicionem praerequisitam, non autem postulatur, ut admittamus ea ut motivum, internum, specificans actum fidei seu ut motivum essentiale. Hoc patet ex ipsis actis Concilii Vaticani, in quibus legimus: „Quamvis assensus fidei locum habere non posset, nisi adessent motiva credibilitas, voluntas tamen elevata imperat assensum, et intellectus elevatus formaliter assentitur, non secundum mensuram cognitionis motivorum credibilitatis, quae sunt solum revelationis applicatio et p r a e v i a c o n d i c i o, sed secundum mensuram auctoritatis Dei revelantis, quae est motivum formale fidei.“[1])

b) Motivum fidei proprium essentiale debet semper et pro omnibus idem esse; atqui motiva credibilitatis, argumenta apologetica, possunt esse alia in aliis, et etiam ego ipse possum successive ab his motivis fortasse dumtaxat relative sufficientibus recedere et alia melioraque sumere; ergo haec motiva non possunt esse rationes formales partiales, sed tantum condiciones, quia secus fides ipsa labefactaretur.

[1]) Acta et Decreta sacrorum Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis, VII. Friburgi 1890, col. 534.

c) Actus fidei supernaturalis est et manet actus assentientis intellectus ob auctoritatem alterius loquentis, similiter atque actus fidei naturalis. Hoc innuit 1 Io 5, 9: „Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.“ Atqui si fidem habemus amico loquenti, solummodo credimus ei, quia scimus eum esse veracem; hoc est motivum nostrae fidei. Absque dubio scimus quoque, amicum existere et nobiscum loqui; sed hanc scientiam nunquam dicimus motivum fidei seu assensus intellectualis ad verba amici, sed solummodo eius auctoritatem; existentia et locutio amici nobis est motivum dumtaxat externum et accidentale seu condicio praevia.

d) Res similiter se habet atque in actu amoris in Deum. Sine dubio Deum non diligere possumus, si eum eiusque bonitatem non novimus. Sed haec notitia necessario praerequisita a nullo nuncupatur motivum internum, essentiale et actum amoris specificans. Sed omnes dicunt et orant: Diligo te, Deus, quia tu es summum bonum. Nemo audeat asserere, cognitionem hanc praeviam esse motivum partiale internum specificans actum amoris seu essentialiter ad eius substantiam pertinens. Verumtamen actus amoris eiusmodi diligit Deum super omnia, est et manet actus virtutis vere theologicae.

e) Opinio nostra etiam cum principiis Scoti optime convenire videtur. Is scribit (Ox. 4, d. 11, qu. 3. n. 15; 17, 376): „Non est articulus (fidei) arctandus ad intellectum difficilem, nisi ille intellectus sit verus.“ Sed declaratio, quam Suarez, De Lugo aliique dant, rem non claram, sed difficillimam facit, etsi non est ratio urgens, quare sic fiat. Sicut vidimus, iam Doctor Subtilis sententiam a Suarez propositam novit, sed redarguit. Idem dicitur etiam iam anticipare theoriam postea a De Lugo, Aloisio Schmid etc retentam.[1]) Ex quibus simul apparet, Scotum etiam quod hanc controversiam sententias praecipuas non ignorare.

500 Corollarium II. — *Eadem veritas, quae lumine rationis cognoscitur, simul ab eodem subiecto credi seu ei obiectum fidei esse potest.* Hoc negat *S. Thomas*[2]) disserens. Ea, quae ex se ipsis cognoscuntur seu videntur, perfecte cognoscuntur; ea autem, quae creduntur, nonnisi imperfecte; sed „est impossibile, quod cognitio perfecta et imperfecta ex parte subiecti sint simul in eodem subiecto.“ Similiter *Scotus:*[3]) At sententia communior cum S. Bonaventura contrarium docet. Certe ratio humana e. gr. existentiam Dei cognoscere potest, at haec est etiam credenda secundum Hbr 11, 6: „Credere oportet accedentem ad Deum, quia est.“ Existentia Dei est articulus fidei fundamentalis et primus omnis symboli catholici; quam si is, qui eam naturaliter cognoscit, non iam actualiter credere posset, non acciperet articulum primum symboli nec haberet plenam veramque fidem. Item, sicut *S. Bonavent.*[4]) disserit, Beata Virgo non potuisset credere in miraculosam conceptionem filii sui, quia id in se ipsa passa est; nec apostoli in ascensionem

[1]) Cfr. *Alois Schmid*, Untersuchungen über den letzten Gewißheitsgrund des Offenbarungsglaubens, 1879, 97 s. — *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit, ed. 2, IV, 478.
[2]) 1, 2, qu. 67, a. 3; et 2, 2, qu. 1, a. 4.
[3]) Rep. 3, d. 24.
[4]) 3. d. 24, a. 2. qu. 1.

Christi, quia spectatores eius fuerunt. Sicut idem doctor Seraphicus[1]) exponit, scientia quidem apertae comprehensionis seu visio caelestis non compatitur fidem secum, attamen illa scientia, quae est a „manuductione ratiocinationis" seu lumine rationis naturalis concepta, „licet aliquam certitudinem faciat et evidentiam circa divina . . non est omnino clara, quamdiu sumus in via," quare „potest esse de eodem cum ipsa fide". Cognitio alicuius veritatis per propriam experientiam vel intelligentiam hausta non videtur excludere fidem eiusdem propter auctoritatem aliorum. Romani ex suamet experientia sciunt, Romam esse urbem magnam Italiae, sed idem videntur posse credere, quia sic nuntiant libri geographici fide digni. — Non obstat Hbr 11, 6: „Est fides . . argumentum non apparentium"; nam apostolus non vult dare strictam definitionem fidei, sed demonstrat in firmitatem fidei, quae etiam haec tenet, quae non comprehendit. — Utcumque res se habet, certe cognitio naturalis praeambulorum fidei non excludit *fidem habitualem* in eiusmodi veritates, sicut *Scotus* disserit:[2]) „Aliquis credens Deum esse, si postea addiscat demonstrationem, qua demonstratur, quaero si fides eius destruitur vel non? Dices, quod sic, quantum ad illum articulum, quem prius credidit; et verum est, quod non potest exire in actum credendi circa idem obiectum, manente quantumvis ipsa fide et eodem habitu habente inclinationem circa idem obiectum." Immo ne fidem actualem quidem excludere videtur, quia fides nititur alio motivo atque scientia, et unum motivum alteri motivo non contradictorie adversatur.

Cfr. *Gotti*, l. c., qu. 1, dub.[3]1. — *de Lugo*, l. c., disp. 1. — *Denzinger*, Vier Bücher etc, 2, 430 ss. — *Schmid Al.*, l. c. — *Kleutgen*, Theol. der Vorzeit, tom. 4, ed. 2, 205—532. — *Gutberlet*, 2, 280 ss. — *J. M. A. Vacant*, De certitudine iudicii quo assentitur existentiae revelationis. 1878. — *Franzelin*, De habitudine rationis etc, c. II—IV. — *Löhr Beda*, Die Bedeutung der motiva credibilitatis für d. fides theol. 52 ss. — *Zeitschrift für kath. Theol.*, 1882, 1 ss; 1884, 50 ss; 1886, 36 ss; 1887, 51 ss. — *Pesch Chr.*, Praelect. dogmaticae, tom. 8, 1898, p. 49 ss. — *Tübinger Quartalschrift*, 1901, 232 ss. — *Nienhaus J.*, De actu fidei divinae, 1891. — *Wilmers Guil.*, De fide divina libri quattuor, ed. a Lehmkuhl, 1902, l. 1. et 2. et 4. — *Liese W.*, Der heilsnotwendige Glaube; sein Begriff und Inhalt. Freiburg 1902. — *Chr. Pesch*, Glaubenspflicht und Glaubensschwierigkeiten. (Theol. Zeitfragen.[6]) Freib. 1908. — *J. N. Espenberger*, Grund und Gewißheit des übernatürl. Glaubens in der Hoch- und Spätscholastik. Paderborn 1915.

§ 13. De excellentia fidei.

1. *Fides praebet cognitionem sufficientem earum veritatum,* **501**
quae sunt gravissimae unicuique homini, e. c. de existentia Dei, origine et fine mundi atque hominis immortalitate animae, futuro iudicio et aeterna retributione. Quas veritates plene pervestigare philosophi frustra conati sunt. Non potuere eas invenire pure, sine admixtione erroris et tam perspicue quam necessarium est ad salutem vel homo postulat et natura rei exigit. Puer christianus recte et indubie eas veritates scit, de quibus inquirendis sapientissimi quique omnium temporum hucusque in vanum laboraverunt. „Ex his apparet, quantae sint gratiae referendae misericordiae Creatoris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quae pertinent ad finem nostrum et ad perpetuitatem sempiternam, ad quae ingeniosissimi et eruditissimi quasi nihil poterant attingere." (*Scotus.*)[3])

2. *Praebet scientiam, etsi imperfectam, tamen non levem, mysteriorum Dei* et veritatum profundissimarum, quas homo ex se

[1]) l. c. qu. 3.
[2]) Prolog. in Rep., qu. 2, n. 11.
[3]) 4. d. 43, qu. 2, n. 33.

ipso vix divinare potest. *S. Augustinus:*[1]) „Habet fides oculos suos, quibus quodammodo videt, verum esse, quod nondum videt.“ Quare monet: „Crede, ut intelligas“: ex fide tua percipies intelligentiam rerum divinarum et humanarum tibi alioquin imperviam excellentem. — „Lumen fidei infusae est participatio quaedam luminis divini“, ait *Scotus.*[2])

502 3. *Dat certitudinem super omnia firmam tum obiective tum subiective summam:* s u p e r o m n i a f i r m a m seu talem qualis superat omnem aliam certitudinem undecumque oriundam sive ab intelligentia propria sive ab auctoritate humana; o b i e c t i v e s u m m a m seu eam, quae excludit internam possibilitatem cuiusvis deceptionis et erroris; s u b i e c t i v e s u m m a m, quae non admittit ullam dubitationem vel timorem mentis nostrae, ne non verum sit, quod creditur. Hoc sequitur ex obiecto fidei formali seu summa auctoritate et veracitate Dei loquentis, qui nec falli nec fallere potest. *S. Augustinus:*[3]) „Per quam (fidem) sine dubitatione ambulamus.“ *S. Chrysostomus:*[4]) „Fides dat, ut de nullo dubitemus et contendamus, sed quiescamus.“ *S. Thomas:*[5]) „Fides est certior omni intellectu et scientia, quia prima veritas, quae causat fidei assensum, est fortior causa quam lumen rationis, quod causat assensum intellectus vel scientiae.“ *Scotus:*[6]) „Innititur actus credendi fidei infusae tamquam regulae certae et omnino infallibili, a qua actus habeat, quod non possit esse falsus.“ „Actus fidei infusae est determinative veridicus, ita quod non potest ei subesse falsum.“ Idem:[7]) „Cognitio fidei est simpliciter eminentior omni cognitione naturali“: „Habenti fidem, quod Deus inspiravit totam sacram Scripturam, et quod ipse est veritas infallibilis, certius debet esse, quidquid ab ipso in Scriptura est revelatum quam illud, ad quod quicumque intellectus potest naturali lumine attingere.“ „Fides acquisita non excludit omnem formidinem, fides autem infusa, quae innititur auctoritati illius, qui non potest fallere nec falli, excludit formidinem.“ — Fidei certitudo subiectiva etsi quoad momentum negativum excludere debet omnem dubitationem et sic in omnibus hominibus semper et ubique eadem est, tamen quoad momentum positivum sive aestimationem rationis certitudinis et energiam assentiendi gradus diversos habere et plus minusve perfecta esse potest.

503 Porro negari non potest: non raro scientia naturalis maiorem certitudinem quam fides praebere videtur; de propositione, bis

---

[1]) Ep. 120, 2, 8; M. 33, 456.
[2]) Quodlib. qu. 17, n. 11.
[3]) Civ. Dei, 19, 18; M. 41, 646.
[4]) In ep. 1. Tim, n. 2; M. 62, 506.
[5]) Quaest. disp. (de veritate) qu. 14, a. 1, ad 7.
[6]) Quodl. qu. 14, n. 7; qu. 17, n. 10.
[7]) 4. d. 10, qu. 8, n. 1; 4. d. 14, qu. 3, n. 5; Prolog ad Rep. qu. 2, n. 13; 22, 40.

bina quattuor esse, nequaquam dubitare possum, at dubitare possum de veritate, panem eucharisticum non esse panem, sed corpus Christi. Ad dissolvendam hanc difficultatem distinguendum est inter certitudinem adhaesionis seu affectivam et certitudinem evidentiae (speculationis seu intelligentiae). Per certitudinem adhaesionis (inhaesionis) adhaeremus et assentimur firmiter veritati alicui, et haec est quoad fidem summa, maior quam quoad intelligentiam propriam; intelligentia nostra falli potest, fides non nos fallit, quia nititur infallibilitate divina et oritur atque corroboratur lumine gratiae supernaturalis. Per certitudinem speculationis intelligimus et comprehendimus lumine rationis nostrae veritatem alicuius rei, perspicimus eam, et haec certitudo seu intelligentia potest esse superior illa quam habemus de rebus et mysteriis a fide nobis propositis, sicut *S. Bonavent.*[1]) dilucide disserit: „Est certitudo speculationis et est certitudo adhaesionis; et prima quidem respicit intellectum, secunda vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine adhaesionis, sic maior est certitudo in ipsa fide quam sit in habitu scientiae, pro eo quod vera fides magis facit adhaerere ipsum credentem veritati creditae quam aliqua scientia alicui rei scitae. Videmus enim, veros fideles nec per argumenta nec per tormenta nec per blandimenta inclinari posse, ut veritatem, quam credunt, saltem oretenus negent, quod nemo sciens sanae mentis faceret pro aliquo, quod cognoscit, nisi in quantum doctrina fidei dictat, non esse mentiendum. Stultus enim esset geometra, qui pro quacumque certa conclusione geometriae auderet subire mortem . . . Si autem loquamur de certitudine speculationis, quae quidem respicit intellectum et nudam veritatem, sic concedi potest, quod maior est certitudo in aliqua scientia quam in fide, pro eo quod aliquis potest aliquid per scientiam ita certitudinaliter nosse, quod nullo modo potest de eo dubitare nec aliquo modo discredere nec in corde suo nullo modo contradicere, sicut patet in cognitione dignitatum (axiomatum) et primorum principiorum." *Scotus:*[2]) „Fides infusa est habitus nobilior omni scientia acquisita . . ., quamvis notitia fidei quantum ad evidentiam non excedat scientiam, tamen habet aliam conditionem nobiliorem, quia cum maiori certitudine inclinat in obiectum." Similiter *S. Thomas.*[3]) Quando ergo in credendo dubia insurgunt, evenit ex imperfectione cognitionis nostrae naturalis, quia nos ipsi credita non perfecte comprehendimus. Verumtamen fides nobis praebet argumentum certitudinis infinite firmius quam scientia nostra errori obnoxia, itaque superat infinite scientiam certitudine.

4. *Fides est initium et stabilimentum salutis, radix innumerabilium donorum Dei*, nos habiles reddit ad gratiam iustificantem, 504

[1]) 3. d. 23, a. 1, qu. 4.
[2]) Rep. Prolog. qu. 2, n. 21.
[3]) In Sent. 3. d. 23, qu. 2, a. 2, sol. 3; de verit. qu. 14, a. 1. ad 7.

remissionem peccatorum, opera meritoria, immediatam visionem Dei ac beatitudinem aeternam consequendam, ad fruendum bonis talibus, qualia oculus non vidit nec auris audivit. *S. Zeno*[1]) pulchre scribit: „Fides spei substantia est . . ipsa est enim vitae nostrae immobile fundamentum, invictum adversus diaboli impetus propugnaculum pariter ac telum, animae nostrae impenetrabilis lorica, legis compendiosa ac vera scientia, daemonum terror, martyrum virtus, ecclesiae pulchritudo vel murus, Dei ministra, Christi amica, Spiritus Sancti conviva." *S. Bonav.*:[2]) „Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu peregrinamur a Domino, et fundamentum stabiliens et lucerna dirigens et ianua introducens." Idem:[3]) „Christianae religionis fundamentum et radix est fides." Quare Christiani vocantur „fideles".

5. *Fides est basis et fundamentum omnis verae et perfectae moralitatis.* *S. Chrysostomus* (l. c.): „Quid per fidem dispensatur? Ut eius beneficia excipianus, meliores evadamus." *S. Augustinus*[4]) vocat fidem „initium bonae vitae", et ait:[5]) „Sine fide nullus unquam iustus fuit."

6. *Concedit animae veram quietem* in laboribus et miseriis huius vitae, constantiam et consolationem: „Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra" (1 Io 5, 4). S. Chrysostomus (l. c.) nuncupat fidem „maximum animarum pharmacum".

Cfr. *Franzelin*, de habitudine etc cap. 1. — *Löhr*, 78 ss. — *de Lugo*, disp. 9 ss. — *Nicolas*, Die Kunst des Glaubens, übers. v. Plifke, 1867. II. 291 ss. — *Kleutgen*, Theol. d. Vorz. t. 4. ed. 2. p. 465 ss. — *Pesch Chr.*, l. c. 144 ss.

§ 14. De necessitate fidei.

505 1. *Homo Deo revelanti fidem habere debet.* — Hoc patet a) *ex natura rei.* α) Iam praeceptum legis naturalis est, ut credamus homini veraci, eo potius Deo. — β) Idem patet ex relatione hominis ad Deum, scil. ex eo, quod est creatura Deo prorsus subdita et tota ab eo dependens. Quare *Conc. Vatic.* (3. cap. 3): „Quum homo a Deo tamquam creatore et domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae veritati penitus subiecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium praestare tenemur." — b) *ex revelatione.* — 1 Io 3, 23: „Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut mandatum dedit nobis." Ergo fides non minus quam caritas a Deo praescripta est; atqui caritas est praeceptum maximum. — *S. Augustinus:*[6]) „Credamus ergo Deo, fratres. Hoc est primum prae-

[1]) L. 1. tract. 2. n. 2; M. 11, 270.
[2]) Prolog. in Brevil.
[3]) Apol. pauperum 7, 1; cfr. Sent. l. 1. d. 23. a. 1. qu. 1.
[4]) Serm. 43, n. 1; M. 38, 254.
[5]) De patientia, 21, 18; M. 40, 621.
[6]) Serm. 38, 3, 5; M. 38, 237.

ceptum, hoc est initium religionis et vitae nostrae, fixum habere cor in fide."

2. *Fides necessaria est necessitate praecepti divini* seu ideo, quia Deus praecepit et eo ipso fidem non amplecti peccatum est omnibus hoc praeceptum scientibus, verum ei non oboedientibus. Hoc patet ex n. 1. — Ex necessitate hac omnes homines usu rationis gaudentes in utroque testamento sub quibuslibet circumstantiis viventes et huius praecepti conscii implicite saltem credere debent, quodcumque Deus revelavit et revelabit. Aliter res se habet quoad fidem explicitam: plus tenendum est in testamento novo quam in vetere, plus ab eruditis quam a rudibus, plus a doctoribus quam a fidelibus simplicibus.

3. *Necessaria est fides etiam necessitate medii* seu idcirco, quia est medium absolute requisitum ad vitam aeternam assequendam, quae sine fide nullatenus attingi quit, etsi ignorantia invincibilis a peccato excusare potest. Quae necessitas in genere sumpta a revelatione clare docetur. Hbr 11, 6: „Sine fide impossibile est placere Deo." Mc 16, 16: „Qui non crediderit, condemnabitur." Eadem elucescit ex necessitate absoluta iustificationis, vel baptismi, cum quibus fides necessario coniuncta est. — In specie est dicendum:

a) Quoad *infantes* habitus fidei infusus sine actu fidei sufficit.

b) *Adulti* rationis usus capaces egent fide aliqua ad iusti- 506
ficationem adipiscendam, sicut Conc. Trid. (6. cap. 8) ait: „fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis." Deinde cum gratia iustificationis accipiunt habitum fidei infusae supernaturalis; atqui sine hac gratia nemo unquam salutem aeternam nancisci potest, ergo nec sine fide hac infusa. Postremo vitam aeternam et ipsi merere debent per opera bona; atqui eorum exsecutio praesupponit actus fidei explicite vel saltem implicite elicitos. „Non enim actus virtutis moralis tendit in finem ultimum nisi per actum virtutis theologicae; ideo in omni habente usum rationis positis circumstantiis debitis, quae debent requiri tempore congruo etc, necessarius fuit quandoque inesse actus fidei"[1]) *(Scotus)*. — De his rebus fusius dogmatica specialis et theologia moralis agunt.

c) *Necessitate medii nonnisi duae veritates credendae esse videntur, scil. existentia veri Dei et remuneratio in altera vita futura.* Aliae propositiones, praesertim fides in mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, Redemptionis Iesu Christi, nonnisi necessitate praecepti tenendae sunt secundum personas, circumstantias et tempora diversa, nequaquam autem necessitate medii. Nam *α*) S. Paulus ad visionem Dei beatificam attingendam nonnisi has duas veritates

[1]) Rep. 3. d. 25. n. 3.

seu dumtaxat fidem in Deum remuneratorem postulare videtur scribens (Hbr 11, 6): „Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit." — β) Hae duae propositiones implicite continent omnes articulos fidei symboli apostolici, correspondent articulo primo et ultimo: „credo in Deum . . in vitam aeternam"; item continere videntur fidem in Dei providentiam omnimodam, seu in omnia, quae Deus ad salutem hominum facit, ergo etiam fidem implicitam in Redemptionem. — γ) Ad salutem consequendam in novo testamento necessitate medii non plus requiri posse videtur quam in vetere; atqui vix asserendum sit, in vetere testamento ab initio mundi in illa revelatione non satis clara omnibus hominibus explicitam fidem in mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis etc possibilem et necessariam fuisse.[1]) — δ) Negandum quidem non est, Scripturam S., Patres et decisiones ecclesiae saepius postulare videri etiam fidem in SS. Trinitatem, Incarnationem et Redemptionem Christi; immo Innocentius XI. 2. Mart. 1679 (n. 64) damnavit thesim: „Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Iesu Christi." At hi loci spectare videntur nonnisi ad necessitatem de praecepto, non autem ad necessitatem medii, sicut vult sententia rigorosior. Scriptura etiam expresse docet, sine baptismo non esse salutem, attamen secundum opinionem communiorem sufficit ipsum votum baptismi implicitum. — Quare concedendum est, in casibus extraordinariis etiam nunc satis esse fidem in Deum remuneratorem expressam seu fidem, Deum existere atque salutem hominum post mortem futuram velle et procurare et omnibus ipsum serio inquirentibus remuneratorem esse. — In praxi est pars tutior eligenda, et quantum fieri potest, infideles morientes etiam de Trinitate, Incarnatione etc docendi sunt.

d) *Hae duae veritates ab omnibus rationis usu gaudentibus explicite tenendae sunt.* Ex eo ipso, quod implicite credenda sunt omnia divinitus revelata, sequitur, saltem aliquid esse explicite tenendum, quia fides implicita praesupponit fidem aliquam explicitam; quare saltem dictae veritates de existentia Dei et de futura remuneratione explicite amplectendae sunt. Nam sine cognitione expressa existentiae et retributionis (providentiae) Dei praeparatio ad iustificationem impossibilis est, quia nemo ad Deum potest se convertere, si eum non novit; fides necessario praesupponit aliqua praeambula fidei, sed ad haec primo loco pertinet cognitio, existere Deum mundo providentem.

---

[1]) *S. Bonav.* (3. d. 25. a. 1. qu. 2): „Non oportebat Incarnationem explicite credere, sed sufficiebat credere, quod aliquis veniret, qui genus humanum redimere posset." Item *Scotus* (3. d. 25. qu. 1 n. 9) postulat saltem fidem: „quod Deus ordinaret aliquam viam redemptionis".

e) *Sub lite est, utrum hae duae praefatae propositiones tenendae* 507
sint fide proprie dicta seu propter auctoritatem Dei revelantis an sufficiat fides late dicta. — Certe non satis est illa fides late dicta, quae existentiam, providentiam et aeternam remunerationem Dei amplectitur solummodo ex revelatione naturali seu ex testimonio creaturarum per lumen rationis sine ullo Dei adiutorio seu illuminatione supernaturali. Innocentius XI. 2. Mart. 1679 (n. 23) reiecit thesim: „Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad iustificationem sufficit.“ Certe omnes illi, qui revelationem positivam cognoverunt, has duas veritates etiam ideo accipere debent, quia sunt revelatae et eo ipso praeceptae. De cetero controversia est.

α) Sententia communior censet, in omnibus 508
casibus nullo excepto requiri fidem propriam auctoritate Dei revelantis nixam. Disserunt: Inter finem et media debet esse proportio; atqui finis supernaturalis hominum debet supernaturaliter revelari, ergo etiam media, ad quae primarie cognitio praeambulorum fidei pertinet, supernaturaliter revelanda sunt; deinde: fides illa, sine qua non est salus, nititur auctoritate Dei revelantis, non autem intrinseca rerum credendarum veritate ex naturali rationis lumine perspecta, ergo etiam praeambula fidei et allegatae duae propositiones fide stricta accipienda sunt. Ordinaria via ad hanc fidem, quae (Rom 10, 17) ex auditu est, hominibus imprimendam, secundum voluntatem Dei est praedicatio verbi divini per patriarchas, prophetas, Christum, apostolos et ministros ecclesiae. Verumtamen pro casibus extraordinariis Deus, qui in dispensanda sua gratia non alligatus est ad media ordinaria, etiam aliis viis uti potest, sicut S. Augustinus et S. Thomas docent vel insinuant. *S. Augustinus* scribit enim:[1]) „Aliud est, quod divina providentia quasi privatim cum singulis agit, aliud quod generi universo tamquam publice consulit.“ *S. Thomas*[2]) primo sibi obiectionem facit dicens: „Quaeritur, utrum sit necessarium explicite credere. Et videtur, quod non. Illud enim non est ponendum, quo posito sequitur inconveniens; sed si ponamus, quod sit necessarium ad salutem, quod aliquid explicite credatur, sequitur inconveniens. Possibile est enim aliquem nutriri in silvis vel inter lupos, et talis non potest explicite aliquid de fide cognoscere, et sic erit aliquis homo, qui de necessitate damnabitur, quod est inconveniens; et sic non videtur, quod sit necessarium aliquid explicite credere.“ Ad hoc respondet: „Non sequitur inconveniens, posito, quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur. Si enim aliquis

[1]) De diversis quaest. 83. qu. 44; M. 40, 28; cfr. de vera religione, 25, 46; M. 34, 142.
[2]) De veritate, qu. 14. art. 11. ad 1.

taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium." — S. Thomas ergo admittit revelationem extraordinariam sive per internam inspirationem sive per nuntium divinum extraordinario modo missum. Alii alia effugia quaerunt. Dicunt: Homo expers revelationis propriae positivae auxiliante gratia divina interna cognoscere potest Dei existentiam et remunerationem divinam ex factis illis, quibus Deus se supernaturaliter sive miraculose sive quasi miraculose saepe revelat, scil. eo quod Deus saepe miracula patrat vel quasi miraculose preces iustorum exaudit vel iustos in hoc mundo oppressos modo extraordinario stupendoque ad finem bonum dirigit, econtra malos non raro quasi manifeste humiliat et punit; sic Aegyptii et populi pagani Palaestinae finitimi ex historia miraculosa Israelitarum supernaturaliter cognoscere potuerunt, Deum existere, providere hominibus eorumque facta retributione afficere. — Alii, praesertim *Schmid Fr.* (l. c. 225 ss), exponunt: Fides in Dei existentiam et aeternam remunerationem ex revelatione originali Adae et patriarchis facta per traditionem a generatione in generationem pervenit et Deo adiuvante in mediis erroribus et abominationibus Gentium usque hodie potuit conservari et in futurum quoque conservabitur, et sic per hanc fidem ex auditu oriundam extraordinario modo omnes bonae voluntatis homines salvari possunt.

509 β) Sententia altera opinatur: Sufficit cognitio Dei aeternaeque retributionis ex solo lumine rationis hausta per considerationem mundi mere naturalem, dummodo cooperetur gratia Dei supernaturalis illuminans; per hanc gratiam efficitur necessaria proportio inter finem et media, quare in casibus extraordinariis de necessitate medii non opus est fides proprie dicta. Ita hodie imprimis Gutberlet.[1]) Is concedit, nunc theologos communiter postulare fidem propriam, sed temporibus prioribus rem non sic se habuisse. Non placet ei opinio, Deum illos, qui sine culpa nihil sciunt de revelatione positiva, per extraordinariam internam inspirationem vel fidei praedicatorem mirabiliter missum edocere de credendis; nam eiusmodi instructio difficillima est probatu et potius irridetur quam agnoscitur ab eis, qui doctrinae catholicae obiiciunt, quod sit crudelis et omnes revelationis positivae non participes condemnet. Ex eadem ratione reiicit appellationem ad revelationem originalem, quae inter Paganos continuo perdurare dicitur; assensus enim ad veritates, quae Paganis plus minusve obscuratae et deturbatae a maioribus traditae sunt, vix potest

[1]) Lehrbuch der Apologetik, t. 2, 1888, p. 61; et fusius (Heinrich) Dogmat. VIII, 495 ss.

vocari fides divina innitens auctoritati Dei revelantis; praeterea talis assensus est cognitio minus certa et minus nobilis quam illa, quae potest deduci ex lumine rationis naturali.[1]) Quare ipse suam sententiam censentem, sufficere cognitionem existentiae Dei et aeternae retributionis, quae procedit ex intelligentia humana et gratia illuminante, valde probabilem putat nec adversariam revelationi positivae vel doctrinae ecclesiasticae vel doctrinae S. Thomae vel naturae rei; omnes enim loci Scripturae et Patrum sicut etiam omnes decisiones ecclesiae postulantes fidem propriam videntur posse reduci ad iustificationis modum ordinarium, non autem spectare ad viam extraordinariam. — S. Bonavent. sententiae mitiori saltem favet, sed verba eius (3. d. 25. a. 1. qu. 2. ad 5—6) non satis clara sunt, sicut etiam Mausbach[2]) disserit.

Id quod haec sententia mitior exponit, certe serio meditandum est. Sed *nullatenus placet, hanc fidem late dictam reapse posse dici fidem;* nam Scriptura et Patres talem fidem non noverunt, potius ei adversantur. Sed valde approbandum est, voluntatem Dei faciendi salvos omnes bonae voluntatis tam fortiter efferri et quam plurimum extendi. Ordinaria via salutis certe est ex auctoritate, auditu, sed Deus in casibus extraordinariis alias quoque vias habet. Talis via est illuminatio interna, et haec est revelatio quaedam, cui assentire actus fidei est. Haec illuminatio obtingere potest omni homini bonae voluntatis, et eo ipso non miraculosa vel extraordinaria nominanda est.

4. *Fides necessaria est omnibus hominibus nullo excepto.* Iam 510
Gnostici opinati sunt, fidem tantum spectare ad psychicos seu homines communes, non ad pneumaticos seu illos, qui gnosi altiore fruerentur. — Omnes homines egent fide, tum quia omnibus opus est gratia elevante supernaturaliter infusa, quacum fides infusa necessario coniuncta est, tum quia sine fide illuminante nemo quidquam veri intelligere quit sic, ut sit utile ad salutem supernaturalem consequendam. Accedit, quod fides cunctis moraliter necessaria est ad veritates divinas naturaliter cognoscibiles simpliciter cognoscendas, quia experientia teste homines eas doctrinas religiosas, quae per se rationem mortalium non superant, cum certitudine et sine errore comprehendere nequeunt.

Cfr. *Franzelin*, de habitudine etc cap. 3. — *de Lugo*, disp. 12. et 13. — *Gotti*, qu. 2. — *Nicolas*, I. 26 ss. — *Heinrich*, I. § 61. — *Schmid Franc.*, l. c. — *Pesch*, l. c. 176 ss. — *Katholik*, 1900. t. 1. 251 ss. — *Wilmers*, de fide, l. 3. c. 4. — *M. Raimundus O. Pr.*, De necessitate credendi et credendorum. Lovanii 1906. — *Reginald Schulte, O. P.*, Fides implicita. Geschichte der Lehre der f. impl. u. expl. in der kathol. Theologie. I. Regensb. 1920.

[1]) Facilius Iudaei et Mohammedani, qui agnoscunt saltem Mosen prophetam et revelationem positivam antiqui testamenti, ex hac revelatione fidem proprie dictam et ad salutem sufficientem adipisci et per eam praemissis praemittendis salvi fieri valent.

[2]) Katholik, 1900. tom. 1. pag. 267 ss, 322 s.

Caput IV.

De ordine inter fidem et rationem.

§ 15. De ordine inter fidem et rationem, inter theologiam et philosophiam in genere.

I. Fides superat rationem.

511 1. *Dat certitudinem longe firmiorem.* Fides, sicut vidimus, certitudinem absolutam omnem aliam transcendentem, certitudinem super omnia firmam porrigit. Ratio nostra, sicut neminem fugit, fallibilis est praesertim quoad veritates divinas teste experientia non facile investigandas.

2. Praebet fides *cognitionem mysteriorum* divinorum aliquam, quorum realitatem ratio ex se ipsa vix divinare valet.

512 II. Ratio fidei se subiicere debet. — Quod ostenditur: 1. *ex natura rei.* — Cognitio fallibilis oportet se subordinet cognitioni infallibili, homo summo Deo, ergo ratio humana limitata auctoritati fidei seu Dei ipsius, sicut *S. Bonavent.*[1]) perpulchre exponit: „Quoniam veritati est credendum, et maiori veritati magis credendum, et summae veritati per consequens summe credendum, et veritas primi principii in infinitum maior est omni veritate creata et luminosior omni lumine intellectus nostri . . . necesse est, quod (intellectus noster) plus credat summae veritati quam sibi, et quod se redigat in obsequium Christi, ac per hoc, quod non solum credat, quae sunt secundum rationem, verum etiam quae sunt supra rationem et contra sensuum experientiam; quod si recusat, non exhibet summae veritati debitam reverentiam, dum iudicium industriae propriae praefert dictamini lucis aeternae; quod esse non potest absque tumore superbiae et elationis improbandae."

2. *ex revelatione.* — 2 Cor 10, 4 s: „Consilia destruentes et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi." — 1 Tim 6, 20 s: „O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum vanitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt." — Apud Scholasticos valuit axioma: *philosophia est ancilla theologiae.* Hoc servitium non est vile nec contumeliosum, sicut non est ignominia, sed honos summus, Deo ipsi servire vel ministrum esse imperatoris excelsi.

513 III. Ad declarandas et probandas veritates fidei licet uti terminis et argumentis ex ratione haustis. — Hoc tenendum est contra cunctos *Ultrasupranaturalistas*, qui reprobant usum vocum et argumentorum philosophicorum ad doctrinam fidei exponendam, demonstrandam et vindicandam. Lutherus vocavit rationem meretricem,

[1]) Brev. 5, 7.

dumtaxat usum Scripturae admisit, Universitates et scholas doctas supprimi cupiit, item alii Novatores,[1]) non aliter theologi protestantici moderni passim (cfr. supra n. 316). Similiter Traditionalistae tantummodo revelationem divinam et propositionem ecclesiasticam adhiberi voluerunt. — Thesis patet:

1. *ex natura rei.* — Quia Deus non omnes articulos fidei immediate expressis verbis annuntiavit, necesse est, eos ex fontibus revelationis derivari et aptis terminis circumscribi similiter ac propositiones libri profani.

2. *ex Scriptura.* — Haec crebro utitur eiusmodi argumentis, e. c. ex magnitudine et pulchritudine mundi ostendit, Deum esse; derivat veritatem ex veritate. Sic Christus resurrectionem mortuorum deducit ex verbis: „ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob" (Mt 32, 31 ss). Item adhibet analogias, exempla ex ordine naturali desumpta.

3. *ex Traditione.* — Patres, quamquam Scripturam considerant librum divinum, tamen eam exponunt secundum similes regulas, secundum quas interpretantur libros non sacros. Non raro defendunt usum philosophiae contra omnes, qui eam ex theologia prorsus exclusam voluerunt, e. c. Clemens Alex.[2]) vituperat reprobantes usum philosophiae, „acsi esset rerum falsarum et malorum operum artifex, quidam falso calumniati sunt, cum sit evidens veritatis imago, donum Graecis datum divinitus; neque nos per ipsam tamquam a quibusdam decepti praestigiis a fide abducamur, sed potius maiori munimento tecti et socium quodammodo exercitationem, qua fides pleniorem demonstrationem accipiet, lucrati sumus." Et:[3]) „Praeparat ergo philosophia ei viam muniens, qui a Christo perficitur." — *S. Augustinus:*[4]) „Etiam divinae Scripturae . . . non omnino philosophos, sed philosophos huius mundi evitandos atque irridendos esse praecipiunt." „An ipse (Iulianus apostata) non est ecclesiam persecutus, qui Christianos liberales litteras docere ac discere vetuit?"[5]) — Patres aliqui velut Tertullianus invehentes in philosophiam Graecorum nonnisi vituperant aestimationem eius nimiam, non usum philosophiae per se, nam et ipsi argumentantur, distinguunt etc non aliter ac philosophi. Patres et Scholastici non solum fuere theologi valde eximii, sed iidem philosophi maximi sui temporis. — *S. Bonaventura*, qui certe supra omnia aestimavit Scripturam, loquens diserte in prooemio Breviloquii de ortu, latitudine, longitudine, sublimitate, profunditate etc Scripturae, et qui reprobat omnem scientiam, quae non aedificat, scripsit librum proprium „de reductione artium ad theologiam"; in exemplum

[1]) Cfr. Paulsen, l. c. I. 185 ss.
[2]) Strom. 1, 2; M. 8, 710.
[3]) L. c. 1, 5; M. 8, 719.
[4]) De ordine, 1, 11, 32; M. 32, 993.
[5]) De civit. Dei 18, 52, 2; M. 41, 615.

S. Augustini ostendens defendit Fratres Minores, quos aliquis dixerat curiosos, quia studiis profanis quoque incumberent:[1]) „Et fortasse aliqui videntur curiosi, qui magis sunt studiosi. Si quis enim studeret in dictis haereticorum, ut eorum sententias declinando magis intelligeret veritatem, nec curiosus nec haereticus, sed catholicus esset: Quodsi verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis et confutationem errorum, non deviat a puritate aliquando in his studere, maxime cum multae sint quaestiones fidei, quae sine his non possunt terminari. Unde si velimus nimis stricte iudicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, iudicabimus curiosos . . . Pauca aut nulla posuerunt magistri in scriptis suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum de doctrina christiana (2, 27, 41 ss), ubi ostendit, quod non potest intelligi sacra Scriptura sine aliarum scientiarum peritia; ostendit etiam, quod sicut filii Israel asportaverunt vasa Aegypti, sic doctores theologi doctrinam philosophicam. Unde multa, quae non didicimus per philosophos et de dictis philosophiae, discimus per Sanctos."[2])

514 IV. Fides et ratio sibi contradicere non possunt.

1. *Probatur thesis.* a) Contra Ultrasupranaturalistas (Lutheranos, Traditionalistas, Protestantes modernos) definivit *Conc. Vatic.* (3. cap. 4): „Verum, etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit, Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem huius contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum conmenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus." — b) Hisce verbis Concilium exhibet simul rationem internam, quare fides et ratio humana sibi contraire nequeant, scil. quia ambae ab eodem fonte veritatis, a Deo, prodierunt, et Deus sibi ipsi adversari nequit. — c) *S. Augustinus:*[3]) „Si ratio contra divinarum Scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimae certaeque rationi velut Scripturarum Sanctarum obiicitur auctoritas, non intelligit, qui hoc facit, et non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius obiicit veritati, nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit."

515 Nota. Tertullianus quidem scribit (de carne Chr. 5; P. L. 2, 761): „Natus est Dei filius: non pudet, quia pudendum est; et mortuus est Dei filius: prorsus credibile

[1]) Epist. de tribus quaestionibus.
[2]) Cfr. S. Thom. 1. qu. 1. a. 8. ad 2.
[3]) Ep. 143, 7; M. 33, 588.

est, quia ineptum est; et sepultus resurrexit: certum est, quia impossibile." At his verbis nullatenus dicere vult, has aliasque veritates fidei in se esse absurdas et impossibiles et eo ipso contradicere rationi. Sed solummodo secundum contextum contra haereticos fortiter efferre vult, religionem christianam docere veritates, quae adeo lumen rationis transgrediuntur, ut stultae esse videantur, similiter atque iam S. Paulus (1 Cor 1, 23) exclamaverat: „Praedicamus Christum crucifixum . . . gentibus stultitiam", et loquitur de stultitia doctrinae christianae (2, 14; 3, 19). Ex multis aliis locis patet, secundum Tertullianum non esse contra rationem, amplecti religionem christianam, revelationem positivam eiusque veritates. Hoc elucet speciatim ex scripto, cui titulus est: „Apologeticus adversus Gentes pro Christianis," in quo inter alia exclamat (c. 17; P. L. 1, 377): „O testimonium animae naturaliter christianae!" Item, ex libro „De testimonio animae". De hoc „testimonio naturali" loquitur etiam in libro „de anima" (c. 43; P. L. 2, 723), disserens: In natura rationali Deus est nobis „manum porrigens fidei". Nam ad fidem resurrectionis faciliorem reddendam Deus „praemisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae, discipulus naturae" (de resurrect. c. 12; P. L. 2, 811. Cfr. de spectac. c. 2; P. L. 1, 631 ss).

2. *Quare disciplinae humanae nec possunt nec debent fidei con-* 516
traire et penes ecclesiam est, disciplinarum philosophicarum doctrinas fidei contrarias corrigere. Hoc patet ex dictis. Ubicumque contradictio inter theologum et philosophum, praesertim quoad scientias rerum naturalium, occurrit, est dumtaxat „similitudo veri" (S. August.) vel „inanis contradictionis species" (C. Vatic. 3. cap. 4), quia erravit aut philosophus aut theologus aliquam doctrinam revelatam et ecclesiasticam esse putando, quae reapse non est, aut uterque erravit. — Quia magisterii ecclesiastici est curare puritatem fidei et errorum reiicere, habet ius et officium, eiusmodi propositiones falsas scientiae naturalis damnare; secus administratio utilis praedicationis suae esset impossibilis et irrisoria. Conc. Vatic. (3. cap. 4. can. 2): „S. q. d., disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tamquam verae retineri, neque ab ecclesia proscribi possint, a. s."

V. Fides et ratio sibi invicem subsidium 517
mutuum conferunt. — Hoc auxilium mutuum reapse evenire, et quomodo fiat, exponit *Conc. Vatic.* (3. cap. 4): „Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat, fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis iuvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita, si rite pertractentur, ad Deum iuvante eius gratia perducere. Nec sane ipsa vetat, ne huiusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed iustam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios

transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent." Quare Pius X. (Lam. n. 57, Denz. 2057) recte reiecit thesim modernisticam, praesertim a Loisy defensam: „Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam" (cfr. n. 65, Denz. 2065). — Theologia ergo et fides aedificantur in fundamento rationis et philosophiae similiter ac gratia in natura, id est praesupponunt naturam, rationem, philosophiam. Philosophia est praecursor et naturalis adiutrix theologiae, producit formas et vasa, in quae res divinae, vinum caeleste, infundantur; cooperatur enim ad fidem praeparandam, confirmandam, demonstrandam, declarandam, defendendam. Scientiae rerum naturalium, philosophicae, philologicae, historicae revera multum conduxere et quotidie conducunt ad theologiam dogmaticam, moralem, apologeticam et exegeticam excolendam et perficiendam. Fides et theologia econtra praeservant rationem et philosophiam ab errore easque exornant et amplificant multiplici cognitione, thesauro idearum novarum sublimium profundo et copioso.

518 VI. „Non est aliquis articulus (fidei) arctandus ad intellectum difficilem, nisi ille intellectus sit verus. Sed si verus est et probatur evidenter esse verum, oportet secundum illum intellectum tenere articulum, quando inquiritur in speciali, quia nullus alius intellectus specialis verus est." Hisce verbis *Scotus*[1]) exprimit licere, immo magnopere convenire, dogmatibus catholicis salva fidei substantia et revelationis doctrina tribuere sensum eum, qui ea magis accommodat captui humano. Rationem eiusmodi interpretationis idem Doctor Subtilis in medium profert:[2]) „Ex quo fides nobis data est, ut sit via ad salutem, ita debet, ut videtur, determinari et teneri ab ecclesia, sicut magis est idonea ad salutem; sed ponendo intellectum aliquem talem supra modum difficilem et ad quem manifeste videntur sequi inconvenientia, est occasio avertendi omnes philosophos, immo fere omnes sequentes rationem naturalem, a fide, vel saltem impediendi eos, ne convertantur ad fidem, si dicatur eis, talia pertinere ad fidem nostram." Qua de causa Scotus saepe[3]) principium illud enuntiat: „Non sunt ponenda plura miracula sine necessitate." Profecto theologi permulti iique valde eximii circa dogmata varia tenent sensum rationi humanae magis convenientem e. c. quoad dogma praedestinationis, vel modum operandi sacramentorum; attamen non progrediuntur ad praxim Rationalistarum et Semirationalistarum, qui sub specie maioris rationabilitatis omnia dogmata et mysteria dissolvunt in veritates intellectui nostro prorsus comprehensibiles.

519 Nota. *Scotus falso arguitur*, quod ipsius non multum interfuerit, theologiam speculativam excolere seu harmoniam inter fidem et scientiam demonstrare, cum se-

[1]) 4. d. 11. qu. 3. n. 15.
[2]) L. c. n. 4. — [3]) E. gr. 4. d. 12. qu. 6. n. 5.

cundum eum maximum momentum positum esset in humili subiectione erga auctoritatem Dei et ecclesiae; vel quod intelligentiae rationali nimis detrectaverit, ut econtra necessitatem et valorem fidei extolleret; vel quod docuerit, posse aliquam propositionem veram esse philosophice, sed falsam theologice et vice versa; et quod eo ipso viam munierit ad disiunctionem philosophiae a theologia.[1]) Eiusmodi accusationes iniustas esse, praeter alia sequitur ex ipsis locis modo citatis: „Non est aliquis articulus (fidei) arctandus ad intellectum difficilem, nisi intellectus ille sit verus", etc. — Item ex verbis (Rep. 4. d. 16. qu. 2. n. 27): „Concedo, quod nullum supernaturale est formaliter oppositum alicui naturali." Pariter (Collat X. n. 4): „Quilibet theologus fatetur, quod potest ostendere naturaliter, fidem suam non esse impossibilem nec illa esse impossibilia, quae credimus, dum potest solvere rationes in contrarium, fidem impugnantes." Scoto est ipsa „rationabilitas" articulorum fidei christianae criterium certum pro veritate religionis christianae, cum econtra „irrationabilitas singulorum errorum" sit nota falsitatis religionum non christianarum (Ox. prolog. qu. 2. n. 3; cfr. supra n. 59 n.). Si obiter dumtaxat contemplamur eius opera, invenimus, quantopere studeat, mysteria fidei componere cum veritatibus naturaliter cognoscendis, et quot analogiis, similitudinibus etc utatur, non aliter ac ceteri Scholastici. Si neglexisset theologiam speculativam, vix factus esset caput scholae theologicae illustris et vix quidquam conduxisset ad doctrinam christianam amplificandam velut ad doctrinam de Conceptione Immac. B. M. V. Certe non raro negat vim probandi strictam argumentorum ab aliis theologis adhibitorum et appellat ad auctoritatem Scripturae vel ecclesiae; at reapse eiusmodi documenta interdum non tantae gravitatis sunt, quanta eis ab aliquibus attribuitur. Ceterum Scotus saepe, sicut sequitur ex aliis locis, non vult negare, argumenta allegata sufficere ad demonstrationem moralem seu ad simpliciter persuadendum intellectui bene disposito, sed solum intendit dicere, eis deesse illam vim probationis strictam, quam postulant regulae rigorosae logicae.[2]) Non vitio autem, sed summae laudi Doctori Subtili dandum est id, quod permagni aestimat auctoritatem revelationis vel magisterii ecclesiastici eamque omni intelligentiae humanae praefert. Altera ex parte Scotus longe abest a despectione philosophiae et cognitionis naturalis, sicut ipsa levis aspectus scriptorum eius ostendit. Copiosi sunt eius tractatus philosophici, et etiam in quaestionibus pure theologicis plurimae paginae refertae sunt dissertationibus logicis, metaphysicis, mathematicis; saepissime utitur similitudinibus ex disciplinis rerum naturalium sumptis. Desunt ei quasi verba et encomia ad metaphysicam scientiam satis extollendam. Ad eam refert illud, quod scriptum est de divina sapientia (Sir 24, 8): „Gyrum caeli circuivi sola". (Expos. in XII libros Metaphysicorum Aristotelis, prooem.). Inter alia hic dicit: „Scientia metaphysicae (influit) in omnes alias scientias humanas, utpote qui habent istam scientiam, possunt omnes alias et earum principia corrigere virga veritatis, defendere hasta probitatis, approbare et reprobare norma aequitatis . . Circuivit (metaphysica) inquirendo de omnibus veraciter sine deceptione, et plurimum efficaciter sine defectione, et generaliter sine exceptione . . Inter omnes enim humanas scientias ista sola praecellit et omnibus principatur. Sola enim est, cui nulla alia assimilatur. Sola est, quam omnis alia famulatur. Sola est, quam omnis alia admiratur . . certe sedet ut regina respectu omnium ceterarum." — Locus ille (Rep. 4. d. 43. qu. 3. n. 18), quem Erdmann et Schwane citant, nullatenus exprimit, theologiam posse contradicere philosophiae vel vice versa, sed habet sensum alium.[3]) Similiter res se habet quoad alios nonnullos locos; e. gr. quod Scotus dicit, pro philosopho mortem esse rem naturalem, pro theologo autem poenam, vel philosophum intelligere beati-

[1]) Cfr. *Schwane*, Dogmengeschichte der mittleren Zeit, 1882, p. 78. — *Erdmann*, Andeutungen über die wissenschaftl. Stellung des D. Scot. (Theol. Studien und Kritiken, 1863, p. 434); item: Grundriß der Gesch. der Philosophie, ed. 3. 1878. t. 1. p. 412 s.

[2]) E. gr. declarat (4. d. 43. qu. 2. n. 16 ss), non cum certitudine naturaliter posse probari, animam esse immortalem, at alibi hoc ostendit ex natura spirituali animae, ex appetitu boni infiniti et beatitudinis aeternae etc nobis insito non aliter ac ceteri theologi (cfr. de rerum principio qu. 10. n. 6; qu. 12. n. 8).

[3]) Cfr. *Minges*, „Zur Theologie des Duns Scotus", Quartalschrift, 1902. pag. 259 ss. — Idem: Das Verhältnis zwischen Glauben und Wissen, Theologie und Philosophie nach Duns Scotus. Münster 1908.

tudine beatitudinem citeriorem, theologum autem ulteriorem seu visionem beatificam, nequaquam statuit contradictionem inter philosophiam et theologiam, sed solum denotat, terminos quosdam habere in theologia etiam sensum alterum praeter sensum philosophicum, etsi non sensum contrarium.

Cfr. *Franzelin*, de habitudine etc cap. 6. — *Denzinger*, Vier Bücher etc. II. 358 ss. — *Kleutgen*, Theologie d. Vorz. t. 4. ed. 2. p. 132 ss. — *Heinrich*, I. § 10 ss. — *de Groot*, qu. 20 ss. — *v. Hertling G.*, Das Prinzip des Katholizismus und die Wissenschaft, 1899. — *Schanz P.*, Ist die Theologie eine Wissenschaft? 1900. — *Wilmers*, De fide, prop. 67 s, pag. 314 ss. — *Pesch Christ.*, Theolog. Zeitfragen. Freiburg 1900, 1 ss. — *Willmann* O., Die Wissenschaft vom Standpunkt der kathol. Wahrheit. Paderborn 1916. — *Kneller Karl Alois* S. J., Das Christentum und die Vertreter der neueren Naturwissenschaft. Freiburg,[4] 1912. — *Krebs Engel.*, Theologie und Wissenschaft nach der Hochscholastik. Münster 1912. Idem: Dogma und Leben. Paderborn 1921. — *Kiefl F. X.*, Kathol. Weltanschauung und modernes Denken. Regensburg 1921.

§ 16. De ordine inter fidem et historiam in specie.

520 Hic agitur de historia biblica, de historia ecclesiastica, praesertim de historia dogmatum. Ad historiam biblicam pertinet quidem etiam quaestio, an libri Testamenti Veteris et Novi sint genuini, authentici, integri, credibiles etc; sed de hac re fusius tractat Introductio in Scripturam S. Per historiam biblicam intelligimus historiam patriarcharum, populi Israel, historiam Iesu Christi, praesertim eius miracula, resurrectionem, ascensionem in caelum, adventum Spiritus S. visibilem super apostolos, historiam apostolorum, fundationem et historiam primitivae ecclesiae. Hic valent omnia, quae in paragrapho antecedente dicta sunt.

521 I. Etiam hic superat fides rationem seu ea, quae historici secundum sua principia derivant et statuunt vel statuere possunt. Fides nititur auctoritate infallibili ecclesiae, revelationis, Dei, quare etiam quoad res historicas, quatenus eas docet, falli vel fallere non quit. Quantopere et quoties autem historici fefellerint et fallant, neminem fugit. Materiae tractandae permultae historico et theologo communes sunt; sed praeter eas non paucae sunt res, quae historicus, qui utitur mediis et fontibus mere naturalibus, ex propriis viribus non vel non sufficienter declarare valet, velut historiam populi Israel, conservationem Iudaeorum inter omnes nationes et regiones terrae dispersorum usque ad hodiernum diem, miracula in Scriptura et in vitis Sanctorum narrata, praesertim miracula, personam, vitam, doctrinam, resurrectionem, ascensionem Iesu Christi, adventum Spiritus Sancti in apostolos, eorum internam mutationem, missionem, operationem, conversionem S. Pauli, institutionem, propagationem, et conservationem ecclesiae etc. Omnes hae res sunt gravissimae et maximi momenti non solum historicis, sed plus minusve omni homini; haec facta historica audit iam puer in schola et catechesi. Ab eis, ab eorum veritate dependet salus singulorum non solum quoad hanc vitam, sed etiam, quoad vitam aeternam; immo dependet salus terrestris omnium populorum, totius mundi. Simile non dicendum est de factis hi-

storiae profanae; minus interest, an de his nihil vel paulum sciamus, vel tradantur falso.

II. Ideo etiam quoad tales quaestiones ratio, id est historici omnes, nullo excepto, fidei, auctoritati Scripturae et ecclesiae se subicere debent. 522

III. Ad declaranda et probanda facta historica, quae et veritates fidei, immo dogmata formalia sunt, uti licet methodo historica, regulis ab arte critica moderna statutis. Distinguendum enim est inter artem criticam sanam et non sanam (hypercriticam). Methodus historica sana seu ars critica sana, quatenus non transgreditur fines sibi competentes, res bona, utilis, immo necessaria est non aliter atque ratio, inquisitio, et argumentatio rationalis vel logica. Scholastici, quorum capita velut S. Anselmus, S. Thomas, S. Bonaventura, B. Duns Scotus, erant viri stricte catholici, immo sancti; et simul primi philosophi et docti illorum temporum, qui logicam et metaphysicam, psychologiam etc ab Aristotele pagano excultam ad defendendam, demonstrandam, probandam, explicandam fidem adhibuerunt et hac methodo fidei et ecclesiae non parvo emolumento fuerunt. Absque dubio adhibuissent etiam methodum historicam et criticam modernam, si eis nota et illa aetate necessaria fuisset. Quidnam enim haec ars, quatenus est et manet sana, mali facit? Est autem sana, in quantum investigat fontes, qui doceant de aliquo facto, aliqua persona, aliqua institutione; deinde examinat, an hi fontes sint authentici, credibiles, quando orti sint, an auctor rem traditam scire potuerit, debuerit, recte et fideliter tradere voluerit et potuerit, quid senserit, quomodo intelligendus sit secundum textum, contextum, circumstantias et ideas temporis quo scripserit; an textus non sit interpolatus, corruptus; vel quae lectiones variantes ab auctore ipso proveniant. Vel si aliquod factum, rem, circumstantiam silentio praetermiserit, quaerendum est, an hoc scire et nobis tradere potuerit et debuerit secundum finem et intentionem, quam in scribendo habuit. Si certo et indubie constat, eum hanc rem scire et eius mentionem facere debuisse, iudicabit, rem non esse historicam; si autem hoc non constat, ad minus rem non prorsus negabit ut non factam, praesertim cum alii auctores de ea loquantur, vel si dubitari potest, an textus sit corruptus, interpolatus etc. Quia ex temporibus quibusdam velut praesertim ex saeculo christiano primo et secundo sola pauca scripta ad nos pervenerunt, aliquod factum, aliquis textus qui iam tunc viguit, sed nonnisi a posterioribus auctoribus nuntiatur, eo ipso nondum ut spurium designari potest; nam forsitan fuerit legendum in fontibus contemporaneis, qui perierunt vel post nos detegentur. Hae similesque regulae pertinent ad sanam artem criticam; quicumque eas adhibet prudenter, non potest vituperari, rebus fidei non nocebit, immo multum prodesse potest, 523

praesertim ad defendendam ecclesiam, fidem et dogmata contra adversarios permultum conducere quit.

524 IV. Fides et vera historia sibi contradicere non possunt. Fides e. c. docet patriarchas Abraham etc revera vixisse, esse personas historicas, populum Israel commoratum esse in Aegypto, a Mose eductum esse per Mare Rubrum, Mosen multa miracula patrasse, pariter Christum, immo mortuum e sepulchro resurrexisse et corporaliter in caelum ascendisse. Haec facta negare historico non licet. Si facit, contradicit fidei, et eo ipso theses eius falsae sunt. Fides enim nititur infallibili auctoritati Dei, quare errare non potest; error est a parte historici. Vice versa contingere potest, ut historicus ex regulis suis aliquam thesim proponat, et ut veram ostendat, quam theologus non admittit, vel thesim a theologo defensam ut falsam indubie demonstret. In hoc casu theologus theses suas iterum serio examinare debet, et certe ostendi potest, non fidem sic docere, sed solum theologum; nam quod theologus docet, falsum esse potest; non autem quod fides docet. — Pius X. 1. Sept. 1910 in iureiurando contra Modernismum praescripto postulavit: „Reprobo errorem affirmantium, propositam ab ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse."

525 V. Fides et historia sibi invicem subsidium mutuum conferre possunt. Per methodum historicam sanam recte adhibitam multas obiectiones ab adversariis contra dogma catholicum, velut contra primatum Petri, contra antiquam originem sacramentorum etc prolatas reprobatas esse, neminem praeterit. Item hac via ex Patribus, ex monumentis sepulchralibus etc per epigraphiam, palaeographiam, diplomaticam inventa esse permulta testimonia in favorem singulorum dogmatum, rituum et legum ecclesiasticarum, non est quod ostendamus. Altera ex parte etiam fides et theologia non paulum prosunt historico ad faciliorem et securiorem inventionem veritatis. Inter omnes constat, quantopere non raro errent scriptores acatholici in describendis rebus, dogmatibus ritibusque catholicis, quos errores ipse puer catechismo bene eruditus, nedum theologus, facile redarguere valet; eiusmodi defectus etiam apud historicos de ecclesia, dogmatibus etc tractantes saepe reperias; hos errores certe vitassent, si imbuti essent fide catholica et scientia theologica. Critici acatholici multi velut F. C. Baur, Wellhausen etc saeculo 19. asseruerunt, evangelia synoptica, eo fortius evangelium Ioannis, scripta esse demum post dimidium saeculi 2; theologi catholici hoc dictum passim reiecerunt, adhaerendo antiquae fidei et traditioni catholicae, idque rectissime; nam etiam theologi et critici eximii protestantici nunc concedunt, evangelium Ioannis compositum esse non post an. 110, alia evangelia saltem saeculo primo. Patriarchas Abraham etc, immo Iesum

Christum ipsum esse personas concretas, catholici semper crediderunt docti fide; hypercritici acatholici nonnulli id negarunt, sed etiam hypercritici acatholici moderni in dies plus assentiuntur traditioni antiquae. Sic fides et traditio catholica auctores catholicos a gravissimis erroribus historicis, in quos alii inciderunt, praeservavit. Ex hac ratione scrutator et theologus catholicus scripta Patrum, canones antiquorum conciliorum multo facilius et rectius cognoscet quam acatholicus.

526 VI. Speciatim apologetica viam criticam ingredi debet. Nam haec disciplina theologica principia sua non ex fide sumit, sed econtrario fidem stabilire studet, ostendens revelationem positivam esse factam et credibilem, et eo ipso eam religionem, in qua reposita est, amplectendam esse (demonstratio christiana et catholica). Ad hunc finem praeter alia etiam quoad facta historica inquisitionem instituit, examinat libros Testamenti Veteris et Novi, qui revelationem divinam continere dicuntur ostendit eos esse authenticos, integros, non interpolatos, credibiles; ostendit originem, conservationem, propagationem religionis christianae catholicae sine influxu supernaturali non satis declarandam esse, praesertim miracula, vitam, resurrectionem et ascensionem Iesu Christi mere naturaliter ut facta historica esse admittenda etc, sicut supra fusius exposuimus. Ad hanc inquisitionem necessarium est uti methodo critica sana. Sed postquam hac via cognovimus, Scripturam S. esse verbum Dei ipsius, ecclesiam divinitus esse fundatam et verbum Dei pronuntiare, cum consensu interno accipienda sunt, quae ab ipsis docentur, etsi non omnia per rationem naturalem et artem criticam declarari possunt (miracula, mysteria fidei). Et facta historica, quae iam vi methodi et critices historicae ut certa inventa sunt (e. c. missio divina Mosis, Christi, apostolorum etc), etiam ex auctoritate divina seu fide amplectenda sunt, ita ut non iam fas sit practice de iis dubitare.

527 VII. Sed prorsus reprobandus est hypercriticismus multorum doctorum modernorum, qui a priori omnia facta historica velut miracula, resurrectionem Christi etc renuit, quia naturaliter non declarari possunt. Haec methodus non iam critica, non iam historica est, sed prodit ex falsa philosophia et ex praeiudiciis subiectivis praeconceptis. Critica vera postulat, ut illa facta, quae ut historica negari non possunt, ut historica admittam et exquiram eorum causas efficientes; si causae naturales evidenter non sufficiunt, causa supernaturalis statuenda est. Hoc postulat vera philosophia, vera ars critica. Causas autem supernaturales a priori respuere, et eo ipso a priori omnia facta, quae expositioni naturali impervia sunt, ut non facta vel non historica putare, sanae cogitationi et sanae inquisitioni, sanae philosophiae et methodo criticae adversatur. Quare etiam

non criticum est, a priori reicere omnes illos libros et textus ut spurios, qui continent res miraculosas seu naturaliter non cognoscendas; item libros a Deo ipso inspiratos interpretari sicut alios libros profanos; pariter praesertim Iesum Christum considerare ut personam mere humanam, quia incarnatio Dei, duae naturae in una persona, scilicet humana et divina, immo Deus personalis, a priori renuenda sint, etsi consideratio mere naturalis vitam et personam Christi nunquam sufficienter declarare potest; hoc eo ipso elucet, quod in dies novae declarationes proferuntur, quarum nulla sufficiens est ad declarandam personam eius et vitam extraordinariam et singularem.

528 VIII. Ex dictis luculenter patet, Historicismum, quem multi moderni summis laudibus celebrant, facile inducere ad errores, vel saltem periculosum esse fidei et ipsis criticis. Periculosior esse videtur quam Naturalismus et Rationalismus; nam eorum defectus detegere et reicere multo facilius est, quia anima humana naturaliter religiosa, christiana, immo catholica est, supernaturalia appetit, et nudus Naturalismus et Rationalismus desideriis cordis humani non satisfacit. Sed obiectiones, quae ex parte historiae contra fidem vel dogmata obiciuntur, refellere, imperitis saepe impossibile vel saltem difficile est. Praeterea historici eximia et extraordinaria scientia instructi esse videntur, cum multa, etiam codices vetustissimos et linguis alienis exaratos vel codices, qui aliis communiter impervii sunt, se legisse glorientur. Ex his rationibus multi, non pariter docti, facile decipiuntur, admirantes et obstupentes de eorum scientia. Ad falsum Historicismum superandum primo loco opus est fide simplici et humili submissione sub auctoritate ecclesiae, necessaria autem est etiam philosophia sana, methodus historica et ars critica sana, quae apta est ad eius fallacias detegendas et refellendas.

Quam periculosus Historicismus fieri possit, demonstrat Modernismus. Pius X. (Pascendi 7. Sept. 1907) saepius (cfr. Denz. n. 2076, 2086, 2096 s, 2101 s) declarat et exponit, artem criticam modernam excessivam genuisse permultos gravissimosque errores et haereses dogmaticas. Sed non reprobat omnem Historicismum, sed dumtaxat falsum, non artem vere criticam. Nam in suis Literis Encyclicis de S. Gregorio Magno 1904 animadvertit quidem: „magno istorum (asseclarum critices historicae) doctrinae apparatu et argumentorum speciosa vi multi sic decipiuntur, ut vel a fide desciscant vel in ea valde infirmentur." Sed pergit: „sunt etiam qui, sua in fide constantes, criticae disciplinae quasi demolienti succensent, *quae quidem ipsa per se culpa vacat, legitimeque adhibita conducit ad investigandum felicissime.*"

Cfr. *Hildebrand Höpfl*, Die höhere Bibelkritik. Paderborn 1902. — *Hunzinger A. W.*, Die religionsgeschichtliche Methode. Groß-Lichterfelde 1909. — *Pesch Christ.*, Glaube, Dogmen und geschichtliche Tatsachen. Freiburg 1908. — *Feder Alfred*, Lehrbuch der histor. Methodik. Regensburg 1921.

§ 17. Falsa systemata.

Omnes errores et haereses plus minusve spectant relationem 529
inter fidem et rationem, statuunt aliquatenus falsam relationem vel saltem fundantur in tali. De aliquibus velut de Atheismo, Dualismo, Deismo, Materialismo, Pantheismo, Pseudomysticismo, Ontologismo, Innatismo, Sentimentalismo iam satis locuti sumus in Dogmatica Speciali, praesertim in tractatibus de Deo Uno et de creatione. In hac Dogmatica Generali saepius tangere debuimus, praesertim in paragraphis de revelatione, miraculis, mysteriis Naturalismum et Rationalismum. Hic nihil aliud est nisi species illius. Omnis Naturalismus reicit ordinem supernaturalem, nonnisi naturam sive materialem sive immaterialem (animam humanam) cum suis viribus, admittit et eo ipso solam cognitionem mere naturaliter acquisitam concedit. Idem facit etiam Rationalismus, sed ita audit, quia omnia cognoscere et perspicere vult lumine rationis, cum Pseudomysticismus (Protestantismus, Sentimentalismus, Ontologismus etc) nuda ratione non contentus experientiam internam, vel lumen aliud internum sive innatum sive ex quadam naturali participatione luminis divini oriundum ut fontem cognitionis religiosae, sive ut fontem cognitionis unicum sive saltem praeter lumen rationis admittat. Omnes hi errores, etsi inter se summe differunt et uni alios excludunt et impugnant, tamen in eo consentiunt, quod reprobant revelationem divinam positivam, et eo ipso fidem ex auditu, praesertim auctoritatem et magisterium ecclesiae. Hoc facit vel saltem debet facere etiam Ultrasupranaturalismus Reformatorum, qui accipiunt quidem revelationem positivam, sed eam exponunt secundum spiritum privatum, vel necessitatem et dignitatem revelationis positivae supernaturalis ita exaggerant, ut cognitioni naturali nimis detrahatur; similiter Traditionalistae. Quia autem de his iam satis egimus sive in praecedentibus dissertationibus sive in Dogmatica Speciali, dumtaxat de Theosophismo et Modernismo paulo fusius loquamur.

I. Theosophismus.

Theosophismus oritur ex India; praesertim ibi, in Anglia et 530
America non pauca membra habet. Eius caput fuit Helena Petrowna Blavatzky († 1891), nunc est Anna Besant Londinensis. Etiam in Germania velut Norimbergae etc amicos habet. Sed ibidem multi alii ab hoc proprio Theosophismo se separaverunt, et volunt esse „Anthroposophi"; eorum caput Rudolf. Steiner (natus 1861 Berolini) fundavit „societatem anthroposophicam"; sed nomen Theosophismi retinuerunt, quia hoc nomen est notius et usitatius. Doctrinae in genere eaedem sunt. Nomen significat „Dei sapientia", vel „sapientia a Deo". Principium summum est: Homo cognitionem spiritus divini originalis (Urgeist) invenire potest, quia anima eius ipsa naturae spiritualis et divinae est, et semen divinum incorrupti-

bile continet. Quare dicitur „scientia spiritus“ (Geisteswissenschaft), vel nominant se „investigatores spiritus“ (Geistesforscher), quia investigant vires spirituales profundiores, quae occultae sunt in natura humana, et sic omnia aenigmata mundi solvere student. Eatenus systema nihil aliud est nisi Pantheismus, in formis Emanatismi et Immanentismi. Praeterea assumpta sunt elementa buddhistica et gnostica. Homo dicitur habere complura corpora, corpus physicum, aethericum, astrale[1]); per corpus aethericum et praesertim per corpus astrale homo in astra volare et cum eorum incolis conversari potest. Pariter homo complures animas habet, velut animam sensitivam, intellectivam, animam sui consciam[2]). Essentia humana complura membra habet, scil. manas = spiritus ipse (Geist selbst), buddhi = spiritus vitae (Lebensgeist), atma = spiritus-homo (Geistmensch). Ex planeta saturno sol, luna, terra nostra emanavere, quare loquuntur de aetate saturni, solis, lunae, terrae. Item loquuntur de continente „atlantis“, quae mari submersa est et iterum ex mari emerget. Omnia haec mysteria aliis hominibus prorsus impervia hauserunt ex „imaginatione“, „inspiratione“, „intuitione“. Admittunt transmigrationem animae, eius reincarnationem in aliis hominibus (Karma). Christus fuit maximus theosophus; Oratio „Pater Noster“ a Steiner in sensu prorsus theosophistico exponitur. Corpus est carcer animae. Videmus, Theosophismum esse commixtionem ex elementis plurimis sibique ipsis valde oppositis, ex somniis mythologicis, doketisticis, gnosticis, buddhisticis, forsitan etiam christianis. Refutatione propria eiusmodi absurditates et somnia non sunt digna. Hae tristes et dolendae theoriae, quibus adhaerent homines non pauci, viri et mulieres alias doctissimi et honestissimi, praesertim artifices, poëtae, de novo ostendunt, quantopere homines sitiant supernaturalia et revelationem divinam. Sed potius amplectuntur „ineptas et aniles fabulas“ (1 Tim 4, 7) quam se subiciunt verae revelationi et magisterio ecclesiae, sicut iam apostolus Paulus scripsit (2 Tim 4, 4): „A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.“

Cfr. *Leese*, Moderne Theosophie.[2] Berlin 1921. — *Minges*, „Zur Bekämpfung des Okkultismus;“ „Zur modernen theosoph. Bewegung“ (Theol. prakt. Monatsschrift. Passau 1915 (XXV), 765 ss; XXVI, 95 ss, 158 ss.

II. Modernismus.

531 1. Modernismus est nomen complexus largi errorum, qui tempore novissimo a viris doctis catholicis, clericis et laicis, prolati sunt, et tam arcte inter se cohaerent, ut tamquam systema proprium designari possint et debeant. Hoc systema a nullo horum virorum totum excultum est; a nullo omnes hae theses erroneae defensae

[1]) Physischer Leib, Ätherleib, Astralleib.
[2]) Empfindungsseele, Verstandesseele, Bewußtseinsseele.

vel in unum compositae vel enumeratae sunt, sed aliae ab aliis, quatenus studia eorum specialia secum ferebant. Nam uni velut Alfred. Loisy incumbentes praesertim studiis biblicis errores imprimis quoad originem, indolem et interpretationem Scripturae statuerunt; alii velut Jos. Schnitzer et Minocchi versantes in studiis historiae dogmatum quoad hanc historiam speciatim peccant; alii velut Le Roy egressi sunt a principiis falsis philosophicis et ea ad veritates fidei adhibentes in fide quoad multa naufragi facti sunt; alii errores varios primo quoad quaestiones sociales et politicas exposuerunt, postea etiam quoad alia puncta (Romolo Murri; Fogazzaro in scriptis suis belletristicis (Il Santo) ideas suas falsas proposuit). Sed hi viri, etsi studiis valde diversis occupati erant, tamen omnes idem voluerunt et intenderunt, nempe conciliationem inter fidem vitamque catholicam et modernas ideas, modernam humanitatem, quae permagni aestimantur, quamvis anticatholicae, antichristianae, immo atheae sint. — Modernismus fundatur in principiis philosophicis, biblicis, historicis, quae praesertim in Germania et inter Protestantes orta et exculta sunt (philosophia Kantiana, hypercriticismus adhibitus ad res biblicas et historiam ecclesiae, praesertim historiam dogmatum), sed maxime viguit in terris aliis, speciatim in Gallia (Loisy, Le Roy, ephemerides: L' Enseignement biblique), in Italia (Minocchi, Rom. Murri, Fogazzaro, et ephemerides: Rinnovamento, Rivista storico-critica, Studi religiosi, Nova et vetera; contra decisiones Pii X. modernistae italici statuere suum „Programma dei modernisti"); in Anglia Georg. Tyrrell, in Germania Jos. Schnitzer, Hugo Koch, ephemerides: Zwanzigstes (Neues) Jahrhundert. Etiam in America septentrionali invenimus similes ideas erroneas, praesertim in systemate, quod dicitur „Americanismus" (cfr. supra n. 473); hic antiquior est quam proprius Modernismus, praecursor quidam eius.

2. Ideae fundamentales. Hae sunt:

a) Agnosticismus, id est ignorantia, anti = intel- 532
lectualismus. Homo impotens est cognoscendi essentiam rerum, cognoscit nonnisi phaenomena earum externa (Kant, Spencer, philosophia „als ob", „comme si"), sed nihil scire potest de rebus ipsis seu *quid sint*, immo *an sint*. Eo ipso non scimus, an vel quid Deus sit; existentia Dei naturaliter probari non potest; negantur omnia eiusmodi argumenta; negantur criteria probantia, Deum se revelasse, eo ipso miracula, prophetiae, revelatio positiva supernaturalis, demonstratio christiana et catholica, divinitas Iesu Christi, institutio divina ecclesiae et sacramentorum.

b) Immanentismus. Hic non est Immanentismus pan- 533
theisticus, etsi ei favet eumque facile producit, sed designat fontem, ex quo cognitio religiosa omnis hauritur. (Immanentismus theologicus.) Quia intellectus et ratio incapaces sunt cognoscendarum rerum

supersensibilium et eo ipso religiosarum et divinarum, recurritur ad sensum internum, affectus pios, rationem practicam, voluntatem (Kant, James, Bergson, Pragmatismus, Pietistae, Sentimentalismus etc), ad desiderium naturale nobis innatum, quod Deum desiderat. Hoc desiderium per se est res nobis inconscia, quiescit quasi sopitum in anima nostra (sub-conscientia), sed excitatur et evigilat per facta extraordinaria sive naturalia sive historica, per personas indole religiosa eximia praeditas etc. Haec cognitio oritur ergo ex homine, ex experientia interna, ex anima nostra ipsa, ubi antea iam erat, et ideo dicitur immanens, immanentia vitalis (Immanentismus). Haec cognitio immanens sola est vera revelatio, cum in ea et per eam Deus ad nos loquatur. Eo ipso reicitur omnis revelatio positiva, omnis cognitio et fides ex auditu, auctoritas divina Scripturae, Traditionis et ecclesiae. Ex reflexione mentis de his experientiis internis earumque compositione finguntur dogmata. Haec nullatenus innituntur auctoritati exteriori, sed nonnisi actionibus immanentibus et subiectivis, quatenus apud multos homines essentialiter eaedem sunt; statuuntur praesertim a conciliis. Hanc definitionem dogmatum prorsus alienam esse a doctrina catholica, immo eo ipso omnia dogmata tolli, manifestum est (cfr. supra n. 461).

534 c) Symbolismus. Veritates religiosae et dogmata fidei, quia nonnisi sunt commenta subiectiva, figmenta mentis humanae, eo ipso nihil aliud sunt nisi symbola harum experientiarum, sensuum affectuumque internorum, seu verba et formulae, quibus hae actiones internae exprimuntur. Summum sunt vehicula et adiumenta ad mutuam instructionem, ad exprimendas meas experientias personales, et ad cognoscendum, an etiam alii similia in se sentiant. Nihil vel minus interest, utrum sint propositiones verae an falsae, utrum sibi ipsae contradicant. Nullatenus homo obligatus est ad plenum et perpetuum consensum. Nam

535 d) Evolutionismus continuus admittendus est. Experientia religiosa interna, quam habet adolescens, non est eadem cum experientia viri vel senis; est alia in muliere, alia in genere masculino, alia in hoc populo, alia in alio; alia apud nationes barbaras, alia apud nationes literatas etc. Sicut non sunt veritates absolutae, sed dumtaxat relativae, ita etiam veritates religiosae; nam dependent ab homine ipso; experientiae internae et religiosae mutantur cum homine. Eo ipso nullum dogma, immo nulla religio constans est; nulla est prorsus falsa, nulla est omnino vera; omnes religiones inter se pariter validae sunt.

536 3. Ex hoc ipso elucescit, quam falsus Modernismus sit; est quasi collectio omnium errorum modernorum, vel saltem favet omnibus; nullum errorem excludere potest, nam omnis saltem relative verus est, quia experientiae religiosae in aliis prorsus aliae, immo inter se contrariae esse possunt. Modernismus est Naturalis-

mus, quia et ipse reprobat omnem ordinem vere supernaturalem. Est Rationalismus, quia sicut hic nonnisi mentem humanam ut fontem veritatis et cognitionis admittit; sed is multo rationabilior est; nam postulat intellectionem logicam, concedit veritates absolutas et constantes; accipit naturalem cognitionem existentiae Dei, immortalitatis animae etc, quae veritates secundum Modernistas admittendae esse possunt, sed non admitti debent. Absque dubio non sunt Materialistae, sed secundum principia sua non eum reicere possunt, si experientia interna mihi dicit, nihil esse supersensibile. Pariter non sunt Pantheistae, sed aliqui eorum saltem ei appropinquant, et certe permulti homines huic errori adhaerent, nixi suae subiectivae menti, sensui, experientiae; aliqui velut Fogazzaro certe imbuti sunt ideis Rosminianis, et hae ad Pantheismum ducunt. Modernistae loquuntur quidem de arte vere critica, de methodo historico = critica, sed revera ipsi procedunt valde incritice; non sequuntur artem criticam, sed falsam philosophiam et psychologiam; nam Agnosticismus, Immanentismus, Evolutionismus absolutus contradicunt verae philosophiae. Adversantur etiam arti criticae et verae historiae; eiusmodi principia reprobantur non solum a permultis eximiis philosophis omnium temporum, sed etiam ab historicis; reicienda sunt etiam in se ipsis, quia adversantur arti logicae, e medio tollunt omnem veram scientiam, perducunt ad omnimodum scepticismum et eo ipso ad nihilismum.

4. Ex dictis insimul sequitur, quam periculosus sit Modernis- 537
mus. Nam evertit et subvertit non solum dogmata aliasque veritates religiosas theoreticas, sed etiam veritates practicas, totam scientiam ethicam, non solum supernaturalem, sed etiam naturalem, totam ecclesiam, totam theologiam, totam auctoritatem et vitam ecclesiasticam, totum cultum, non solum Catholicismum, sed etiam totum Christianismum, immo omnem et totam veram religionem, etiam Protestantismum, Iudaismum, Mohammedanismum, Paganismum; nam omnes hae religiones, etsi falsae, tamen aliquas veritates religiosas, metaphysicas, morales certas admittunt; Modernismus autem nullam, ducit sic ad atheismum. Eo ipso secundum eum omnes religiones eiusdem valoris sunt, vel rectius nihil sunt. — Accedit quod Modernistae sequuntur principium valde periculosum et perniciosum illud, quod admittit veritatem duplicem, id est: propositio, quae falsa est philosopho, potest esse vera theologo, et vice versa; in persona modernistica quasi duae personae sunt: aliud docet tamquam catholicus vel theologus, aliud tamquam philosophus vel historicus; aliud docet ut sacerdos quando agit et docet in nomine ecclesiae, aliud cogitat ut persona privata; dogmata proponit iis verbis, quibus utitur ecclesia, sed sensus, quem ipse tenet, prorsus alienus est. Hoc modo absque dubio tollitur omnis discrepantia inter theologiam et philosophiam, inter fidem

et rationem; sed haec concordia solum secundum apparentiam est; revera radicitus evertitur omnis vera fides et ratio, omnis vera philosophia et theologia; eo ipso omnis theologia apologetica, dogmatica, biblica etc.

538 5. Contra Modernismum surrexit praesertim Pius X., qui praeter alia 3. Iulii 1907 per Decretum S. Officii „Lamentabili" 65 propositiones modernisticas nominatim pronuntiavit et reprobavit. Longe plurimae earum haustae sunt ex scriptis Alfredi Loisy partim iam anno 1903 prohibitis velut: L'Évangile et l'Église, Études évangéliques, Autour d'un petit livre etc. Totum systema modernisticum in unum composuit et reiecit 7. Sept. 1907 in Encylic. „Pascendi Domini gregis" (cfr. Denz. 2001 ss, 2071 ss). Inter alia nominat Modernismum „omnium haereseon collectum", qui non modo catholicam religionem, sed omnem penitus religionem delet (Denz. 2105). Et finit verbis (Denz. 2109): „haec modo sufficiant, ut abunde pateat, quam multiplici itinere doctrina Modernistarum ad atheismum trahat, et ad religionem omnem abolendam. Equidem Protestantium error primus hac via gradum fecit; sequitur Modernistarum error; proxime atheismus ingredietur." Insuper in iureiurando contra Modernismum 1. Sept. 1910 postulavit, ut iurans declaret: „Me etiam, qua par est reverentia, subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis Literis ‚Pascendi' et in Decreto ‚Lamentabili' continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant."

Cfr. *Weingärtner Georg*, Das Unterbewußtsein. Mainz 1911. — De sub-conscientia cfr. etiam „Der Katholik", Mainz 1908, II, 81 ss; 1909, I. 167 ss. — *Commer E.*, Die immerwährende Philosophie. Wien 1899. — *Seitz A.*, Immanentismus und Relativismus moderner Weltanschauung (Festgabe zum 70. Geburtstag Freih. v. Hertling gewidmet. Freiburg 1913, 331 ss). — Idem: Modernistische Grundprobleme etc. Köln 1912. — *Simon Paul*, Der Pragmatismus in der modernen französ. Philosophie. Paderborn 1920. — *Heiner Fr.*, Der neue Syllabus Pius' X.[2] Mainz 1908. — *Bessmer Jul.*, Philosophie und Theologie des Modernismus. Freiburg 1912.

Index alphabeticus.

Numeri sine p. praevio indicant numeros marginales.

A.

Aaron 85, 107.
Abel 101 — fuit persona historica 105, 139.
Abortus procuratio 52.
Abraham 100 ss. — fuit persona historica 104 ss. — eaque individualis 106 — revera ex Chaldaea in Chanaan egressus est 105 ss. — literarum gnarus fuit 108 — non ut deus cultus est 112, 118 s., 420 N., 427, 524 s.
Acacianum schisma 373.
Adam 101 — fuit persona historica 105, 139, 427.
Adam Karl 407 N. 5.
Adulti quoad fidem 506 ss.
Aegyptii, Aegyptus 133, 137 ss., 245, 316.
Africa, Africani 142, 159, 245, 304 — eorum ecclesia 475.
Agar 148.
Agatho papa 376.
Agnosticismus, Agnosticistae 154, 532, 536.
Agobardus 417.
Agrippa Corn. 56.
Ahias 125.
Ahriman 129.
Ahura Mazda 129.
Albertus Magnus 329, 397.
Albigenses 236, 332 N. 2.
Alexander Hal. 400.
Alexandria 245.
Allah 120, 250.
Allumbrados 23.
Alphonsus a Spina 10.
Alypius 183.
Amenophis III. et IV. 108, 116.
America 236, 304, 317 — Americae septentrionalis status foederati 310, 530 s.
Americanismus p. 323 N. 6, 531.
Ammianus Marcellinus 183.
Ammon 116, 137.
Ammonitae 106, 120 s.
Amraphel rex Senaar 108.
Anabaptistae 448.
Anahita 129.
Ananias et Saphira 343, 425.
Anatolius Constantinop. 362.
Andronicus 323.
Angelus 76; *cfr. Daemon.*
Anglia 112, 166, p. 208 N. 2, 247, 530 s.
Anglicani 310, 312 s.
Angra Mainyu 129.
Anicetus papa 354.
Animae spiritualitas et immaterialitas ut praesuppositio religionis 20, — plures Occultistarum 530 — earum transmigratio 154, 530.
Animismus 112, 133, 140 ss., 238.
Anselmus S. 8, 397, 523.
Antereformatoriae oppositiones medii aevi 332 N. 2.
Anthropomorphismus 133, 135.
Anthroposophi 530.
Antichristus 83, 297.
Antihierarchianae oppositiones medii aevi 332 N. 2.
Antinomismus 60.
Antisemitae 170.
Aphrodite 135.
Apismus 133.
Apocalypsis 243, 432 N., 434, 437, 447.
Apocalyptico-joachimica oppositio 332 N. 2.
Apollo 135.
Apollonius de Tyana 190.
Apologetica p. XI ss., 9 ss. — eius methodus 12 ss. — certitudo 15 — „moderna" XVI, 17, 64 — viam criticam ingredi debet 526.
Apologia 10.
Apostoli 206 ss., 210, 261 — eorum electio et auctoritas 323 ss., 327 ss. — mediatores sunt 330 — praepositi ecclesiae ordinarii divinitus instituti 331, 340 s. — eorum paupertas 378 — scripta et doctrina 403 — revelatio per eos facta 471 — cognitio rerum divinarum extraordinaria 476.
Apostolicum symbolum 455, 465.
Apotheosis 133.
Arabes, Arabia 111, 120, 122, 159.

Arausican. Concil. II. 362, 464.
Ariani, Arianismus 236, 246 s., 298, 315, 332, 354, 447, 456, 476.
Ariminensis synodus 298, 383, 459.
Aristaces Vardanian Mechit. 373.
Aristoteles 1, 5, 51, 56, 250, 400, 461, 523.
Arius 387.
Armeni p. 238 N. 2, 373, 378, 421, 446.
Artes bonae 21.
Aseneth 139.
Asia, Asiatici 142, 236, 304, 317.
Assur, Assyrii 120.
Astrologia 124.
Astrolatria 133.
Asurbanipal 125.
Athanasianum symbolum 464.
Athanasius S. 1, 10, 244, 354, 362, 377, 456.
Atheismus, Atheistae 10, 13, 34, 79, 154, 330, 421, 529, 537 s.
Athenae 245.
Athos mons 390.
Augustana Confessio 310.
Augustinismus 400.
Augustinus S. 8, 10, 19, 70, 244 s., 375, 377, 382, 395, 410, 442, 446, 451, 456, 465, 513
Augustus imp. Roman. 245.
Australia 142.

B.

Baal 112, 120.
Babylonii, Babylonismus, Babel 120 ss., 238, 243, 316.
Baentsch B 107, 138.
Balaam 89.
Baptismus 266 ss. — in nomine Iesu collatus 378.
Barnabas 323, 436, 439.
Barsabas 324.
Bartmann B. p. XIII.
Bartolo di 420.
Baruch liber 434.
Basilius S. 451.
Bauer Bruno 71.
Baumann J. 171.
Baur F. C. 525.
Bautain 50, 484.
Beguardi 277.
Bel 120.
Bellarminus 10, 264 N. 286 s., 442.
Benedictus XIV. 66, 76 N. 4, 96, 470.
Bergson 533.
Bernardus S. 91, 244.
Besant Anna 530.
Blavatzky Petrowna 530.
Bloetzer J. 241.
Billot Lud. 429, 499.
Blondel 17, 64.
Boanerges 337.
Bonaventura S.; Breviloquium 8 — de revelatione 65; 244, 329 — de potestate Papae et episcoporum 334 — de primatu Papae 362, 365 — de eius infallibilitate 374 — eius auctoritas 397, 399 — quoad Scholam Franciscanam 400 — dissensio a S. Thoma 400 — de fide simul cum scientia 500 — de fide redemptionis in vetere testamento p. 350 N. — de fide late dicta 509 — de ordine inter fidem et rationem 513 — vir sanctus et doctus 523.
Bonfrère 415.
Bonnet 72.
Bonnetty 50.
Bougaud 10.
Bousset W. 168, 173.
Bozius Thomas 287.
Brahma 139.
Brahmani 23, 133, 153.
Bretschneider 56.
Breviarium Roman. 388.
Brunetière 64.
Budde 121 N. 2.
Buddha 151 ss., 165, 188.
Buddhistae, Buddhismus 17, 23, 58, 133, 151 ss., 165, 238, 240, 243, 246, 250, 253, 530.
Bulgari 378.
Buschmanni 142.

C.

Caelestinus papa 352, 354, 375, 383.
Caelestius Pelagian. 377.
Caiphas 89.
Calvinistae, Calvinus 280, 314, 316, 447.
Calow 417.
Calx 56.
Canonizatio Sanctorum 209, 301, 388, 470.
Canus Melchior 4, 396.
Cappadoces Patres 1.
Caritas = ecclesia 353.
Carthaginiense Concil. 464.
Cassiodorus 362.
Cathari 277, 332 N. 2.
Cathenotheismus 137.
Catholici, Catholicismus 27, 237 ss., 244 ss., 249 ss., 291 ss., 300—321, 327, 537.

Catholicitas; eius notio et divisio 295 — ut proprietas ecclesiae 296 — ut nota ecclesiae 297 — ecclesiae catholicae 302 — deest ecclesiis orientalibus et Protestantismo 309 s.
Causette 10.
Censurae theologicae 458 s.
Certitudo; triplex 69 — evidentiae et adhaesionis 503.
Chalcedon. Concil. 362, 375, 383, 456.
Chaldaea 105, 121, 309.
Chamberlain 121 N. 1, 237 N. 2, 253, p. 208 N. 2.
Chamos 120.
Chanaan, Chanaanaei 106 ss., 111 s., 114, 117, 120 s.
Chapman J. 345.
Character baptismalis 266.
Charismata 294, 327.
Creatio mundi 126.
Chrismann 420.
Christiani, Christianismus 21 s., 149, 153, 155 ss., 158, 160 ss., 164 ss. — eius fundatio miraculosa 229 ss. — et propagatio 233 ss. — difficultates obstantes 234 ss. — media naturalia adhibita insufficientia 235 s. — obiectiones contra originem divinam ineptae 237—246 — martyrium christianum 247 — religionis christianae excellentia 249 ss. — eius dogma 250 — ethica 251 — cultus 252 — membra 265 ss. — favet saluti naturali 253 — est religio universalis 254; 327, 537.
Christus; eius charismata 76 — conceptio et generatio miraculosa 77 — errores de eius persona et religione 165 ss. — Chr. historiae et Chr. fidei 167 ss. — de eius persona quot capita tot sensus 170 — dicitur fuisse non sana mente vel corpore 171 — dicitur fuisse persona mere ficta vel mera idea 172 — revera vixit sanusque fuit 173 — de eo Marcus idem docet quod Ioannes 174 ss. — iam Marcus dicit eum Messiam, Filium Dei, Deum 174 s. — errores de eo reprobati 178 — vaticinia messiana in eo adimpleta 179 ss. — prophetiae ab eo praedictae 186 — eius miracula 68 s., 187 ss. — eius divinitatem Deus ipse comprobavit 197—215 — eius nativitas et pueritia 197 — baptismus in Iordane 198 — transfiguratio 199, 206 — eventus miraculosi in morte Christi 200 — resurrectio 201—214 — eius mors vera 201 — redivivi apparitiones 202 — ineptae theoriae de eius resurrectione 204 ss. — earum redargutio 207 ss. — resurrectionis certitudo historica 214 — eius ascensio in caelum 215 — perfectio 174 — intellectualis superhumana 216 — perfectio moralis superhumana 217 — conscientia sui ipsius superhumana 218 — nuntius divinus est extraordinarius 219 — Messias 220 ss. — filius David 220 — „filius hominis" 221 — Filius Dei 223 ss. — fuit quod esse voluit 227 — die Pentecostes non apparuit 231 — doctrinam non hausit a Paganis 243 — eius corpus mysticum 255 — instituit ecclesiam 256 — est mediator 330 — eius paupertas 378 — nihil scriptum reliquit 403 — revelatio per eum facta 471.
Chromatius 442.
Cicero 19, 90.
„Citationes implicitae" Scripturae S. 429.
„Clara visio" 94, 98.
Claudius imperator 349.
Clemen 242 s.
Clemens Alexandr. 451, 513.
Clemens S. 352, 431, 438 s.
Clemens VIII. 444 s. — *XI.* 458 — *XIV.* 370 N.
Comma Ioanneum 258.
Conciliaris oppositio 332 N. 2.
Concilium oecumen. 362, 370, 375 ss., 381 ss. — concilia Africana 382 — eorum definitiones 395, 456 — auctoritas 456, 468.
Conclusiones theologicae 469.
Confirmatio 270.
Confucianismus, Confucius 153, 165, 240, 302 N. 1.
Congregationes Romanae 378 s., 468.
Constantiense Concil. 363.
Constantinop. Concil. VI. 376 s.
Constantinopol. episc. 355.
Constantinus Magnus 355.
Constantius imperator 298, 377.
Controversiae trinitariae et christologicae 165, 236.
Conversatio immediata cum Deo 330.
Copernicus 34.
Coptitae 404, 446.
Cor Iesu SS. 401, 470.

Cornelius centurio 267.
Cornelius papa 353.
Coronatio papalis 361.
Corporis Christi festum 470.
„*Crede ut intelligas*“ 484.
Criteria credibilitatis revelationis 59 ss., 290.
Critica ars 449, 523 ss.
Cultura 122, 316.
Cultus 27, 291, 388.
Cuneiformes inscriptiones 420.
Cyprianus 327, 344 ss., 353, 382, 475.
Cyrillus Alex. S. 375.
Czar 309.

D.

Daemon 76, 98, 134.
Dagon 120.
Dalai-Lama 156.
Damasus papa 354, p. 291 N. 4, 442.
Daniel liber 423, 434, 436.
Darmesteter J. 129.
David 118, 125.
Decanus 336.
Dechamps 10.
Deciana persecutio 247.
Dei existentia ut praesuppositio religionis 20.
Deistae, Deismus 10, 48, 60, 79, 166, 311 s., 529.
Delattre A. J. 429.
Delboeuf 193.
Delitzsch Franz 302, 328.
Delitzsch Friedr. 122 N. 3, 328.
Devotio fidelium communis 401.
D'Hulst 420.
Diaconi 322, 325, 327, 331.
Didache 259, 436.
Didymus S. 442.
Diluvium 127, 453.
Disciplina ecclesiastica 388.
Dissidentes p. 323 N. 6.
Doctrina apostolorum; cfr. Didache.
Dodwell 247.
Dogma p. XI ss., 27, 250; eius notio 461 — divisio 462 — veritates ut dogmata tenendae 463 ss. — eius immutabilitas 472 — novum impossibile est 472 — dogmata credenda fide medii et praecepti 506 ss. — intelligenda in sensu faciliore, quatenus licet 518 — ut „symbola“ 534.
Dogmatica theologia 7 ss. — eius disciplinae particulares 9 — dogmatica generalis et specialis p. XI ss., 9, 11.
Döllinger 348, 357.
Donatistae 247, 265, 297 s.
Donatus 382, 450.
Drews A. 172 s., 175.
Drey 10, 72.
Dreyer Otto p. 212 N.
Dualismus 20, 51, 133, 529.
Duellum 52.
Dubius in fide infidelis est 491 — dubium practicum et methodicum 491.
Du Bois-Reymond 253 N. 1.
Dupin 336.

E.

Ecclesia; est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile 228, 290 — eius fundatio originem divinam ostendit 229 ss. — et propagatio 233 ss. — difficultates obstantes 234 ss. — media naturalia et supernaturalia 235 s. — corpus Christi mysticum 255, 271, 274 — tripartita 255 — eius institutio256 ss. — finis 260 — essentia 261 — nomina 261 — societas historica concreta 261 — divisio 262 — corpus et anima 263, 269 ss. — definitio 264—membra 265 ss. — de eius membris falsae opiniones 265 — membra superiora et inferiora 273 — ecclesia docens et discens 273 — proprietates 274 ss. — est visibilis 274 s. — invisibilis 275 — supernaturalis 276 — indefectibilis et immutabilis 277 — infallibilis 278 — unica 279 — sola salvum faciens 280 s. — necessaria 282 — una, sancta catholica, apostolica 283, 287 ss. — ecclesia petrina, paulina, joannea 277 — eius notae 287 ss. — eius unitas 291 ss. — eius sanctitas 293 s. — catholicitas 295 ss. — apostolicitas 299 — ecclesiae Romanae competunt omnes notae verae ecclesiae 300 ss. — eius magisterium 455 ss. — propositio 457 ss.
Eck S. 212.
Edomitae 106, 121.
Egger Franz 429.
Ehrle Franz card. p. 266 N.
El, Elohim 112, 117 *cfr. Iahve.*
Elias propheta 96 s., 118, 188, 206.
Elisaeus 87, 118.
Emanatismus 530.
Encyclopaedia theolog. p. XII, 10.
Encyclopaedistae 166.

„*Enthusiastae*“ 448.
Epaphroditus 323.
Ephesinum Concil. 352, 375, 383,456.
Epictetus 240.
Episcopatus, Episcopi 322; successores apostolorum 325 ss. — non perfecti 333 — antiquitus in omni ecclesia unus tantum fuit 331 — eorum iurisdictio 333 ss., 336 ss. — eorum potestas magisterii, fallibilitas et infallibilitas 380 ss., 468 — episcopi honoris causa 322.
Erdmann 519.
Esau 114.
Esdras liber 431.
Esther liber 423, 434.
Estlin Carpenter 139.
Ethnicismus; cfr. Paganismus.
Eucharistia 55, 58, 270, 280.
Eugen. IV. 378.
Euhemerus, Euhemerismus 133, 140s.
Eusebius Caesar. 10.
Eutyches 354.
Eutychianismus; cfr. Monophysitismus.
Eva 139.
Evolutionismus modernisticus 39, 535 s.
Exauditio precum 75.
Excommunicati, Excommunicatio 270 s.
Exstasis 88.
Extrema unctio 270.
Eybel 336.

F.

Facta et textus dogmatica 385, 387.
„*Fanatici*“ 448.
Fanatismus 247, 311, 448.
Fatalistae 79, 158.
Febroniani, Febronianismus 236,336, 358.
Felder Hilarin. 10.
Felicissimus 346.
Feticismus 112, 133, 137, 140.
Feuerbach 71, 80.
Fides; unitas fidei 291, 300, 309 — quid vox fidei in Scriptura significet 389 — fidei regula 389 ss. — remota 390 ss. — proxima 390 — materialis et formalis 455 — obiectum materiale et formale 460, 481 — eius immutabilitas et profectus 471 ss. — fides quaerens intellectum 477 — fidei actus; falsae opiniones 479 — distincta a scientia 480 — eius motivum 481 — ex auditu 480 — ex gratia divina 483 — eius praeambula 484 — postulat officia gravia 484 — — est proprie actus intellectus 485; etiam secundum Scotum 486 — non est conclusio logica 487 — est actus voluntarius 488 — omnia revelata amplectens 489 — super omnia firmus 490 — eius proprietates 493 — definitio 494 — analysis 495 — relatio ad praeambula fidei 496 ss. — habitualis et actualis 500 — eius excellentia 501 ss. — certitudo 502 s. — utilitas 504 — necessitas 505 ss. — fides proprie et late dicta 507 ss. — explicita et implicita 506 ss. — de ordine ad rationem 511 ss. — de ordine ad historiam 520 ss. — fiducialis 479.
Filiae Philippi diaconi 331.
Filius hominis 221 ss.
Florentin. Concil. 354.
Fogazzaro 531, 536.
Fonck Leop. 429.
Fonsegrive 17, 64.
Formosus papa 378.
Franciscana oppositio 332 N. 2.
Franciscus Assis. S. 244, 311, 329.
Francogallia 166, 314, 317, 358, 531.
Frank 318.
Franzelin 351.
Fratres Minores 329, 374, 378, 399 s., 513.
Fraticelli 265, 277.
Fridericus Magnus p. 208 N. 1.
Frohschammer 56.
Funk Fr. X. 436 s.

G.

Galilei 34, 378.
Gallicani, Gallicanismus 236, 336, 347 s., 355, 358, 363, 370 ss., 456, 475.
Gatti 10.
Gedeon 112.
Gelasius I. papa 377, p. 291 N. 4.
Geldner 129.
Gentes, Gentiles, Gentilismus; cfr. Pagani.
Germania, Germani 310, 314, 316, p. 212 N., 530 s.
Glossner 10.
Gnostici 56, 133, 245, 277, 327, 373, 405, 419, 456, 510, 530.
Goethe 253, p. 204 N. 8.
Gotti 482.
Graecia, Graeci antiqui 52 N. 2, 245, 254, 316, 427, 513.

Graeci schismatici 13, p. 238 N. 2, 309, 313, 404, 435, 476.
Granderath 351, 445, 451 N. 2.
Gratia sanctificans 265 ss.
Gravitatis lex 73.
Gregorianum calendarium 316.
Gregorius X. 376.
Gregorius Magnus 236, 410, 442.
Gregorius Naz. S. 1, 442.
Grüneisen C. p. 62 N. 7.
Günther 54, 56, 473, 476, 479.
Gutberlet 10, 509.

H.

Haeresis, Haeretici 211, 269 ss., 294, 327, 332, 349, 354, 447, 456, 458 s., 468, 476 s., 489.
Haller 34.
Hallucinationes 212.
Hammurapi; eius leges scriptae 108, 122.
Haneberg 415.
Haoma 129, 139.
Harnack A. 71, 168 ss., 173, 176, 178, 188, 190, 207, 212 s., 215, 224, 228 N. 1, 230 ss., p. 148 N. 1, 237 ss., 244, 310, 327 ss., 332, 342, 349, 354, 355, 370 N., 375, 401, 437, 447, 455 N. 3, 472 N. 2.
Harran 122.
Hartel G. 345.
Hartmann Ed. von 34, 152, 172, 371, 448.
Hauser Otto 105.
Hebraeos ad epistola 403, 434, 437, 440.
Hecker Isaak Thomas 473.
Hedschra 157.
Hegel, Hegeliani 57, 479.
Hegglin 139.
Heiler Fr. 238, 240, 244, 321.
Hellenismus 238.
Helveticarum ecclesiarum consensus formula 417.
Henoch 103, 105, 206, 427.
Henoch liber 438.
Henotheismus 137.
Herbart 82.
Hermes 54, 56, 464, 479 s., 488, 496, 498.
Hermes Trismegistus 238, 241.
Herodes 181.
Herrmann 479.
Hesychastae 23, 309.
Hettinger 10.
Hierarchia 291, 322 ss., 331 ss., 334 s.
Hieronymus S. 354, 410 s. 436, 442.
Hilgenfeld 332 N. 2.
Hirscher 54.
Hispania 245.
Historia; de eius ordine ad fidem 520 ss.
Historicismus 528.
Hobbes 56.
Hodegetica theologica p. XII, 10.
Holden 420.
Holtzmann 169.
Hom 129, 139.
Homerus 1, 109.
Hommel Fritz 420 N.
Homousios 377, 475 s.
Honorius I. papa 377, 459.
Hontheim Nic. de 336.
Hormisdas papa 373, 376.
Hottentotti 142, 145.
Houtteville 72.
Hugo Ludw. 429.
Humanistica oppositio 332 N. 2.
Hume 82.
Hus, Husitae, Husitismus 248, 265, 314, 332 N. 2.
Hyperconservatismus 476.
Hypercriticismus 60, 121, 523 ss., 531.
Hypnotisator, Hypnotismus 82, 98, 193.
Hypostatica unio 476.

I.

Iacob patriarcha; fuit persona historica individualis 105 ss. — eius religio 114 — eius vaticinium 180, 185 — eius 12 filii 105.
Iacobi 23.
Iacobi S. epistola 432 N., 434, 437.
Iacobitae 404.
Iahn 415.
Iahve 111 ss., 116 ss. — ut nomen Dei 112, 115 — idem est cum Elohim 117, 118, 120.
Iames 533.
Iansen 10.
Iansenistae, Iansenius 148, 265, 277, 387, 447, 459.
„*Ianus*" 377.
Iaponenses, Iaponia 153, 247.
Ibae epistola ad Marin Persam 387.
Iconoclastae 374.
Idealismus 21.
Idololatria 133.
Iensen P. 172, 243.
Ieremias A. 127 N. 1, 2.
Ieroboam 125.
Iesuitae 144, 370 N.
Iethro 148.
Ignatius episc. S. 353, 431, 436, 438 s.

„*Imaginatio*“ Occultistarum 530.
Imitatio Christi de (liber) 432.
Immanentia, Immanentismus 17, 533, 536.
Imperialistica oppositio 332 N. 2.
Impossibile 51.
Incarnatio 55, 58, 240.
Indiani 112, 142, 144.
Indifferentismus p. XII, 9, 36, 154.
Indogermani 121.
Infallibilitas ecclesiae 278 — papae 369—379 — dogma eiusque declaratio 369 s. — eiusque realitas 371 ss. — obiectiones historicae 377 s. — est privilegium personale 379 — non Congregationum Rom. 379 — non episcoporum singulorum, sed eorum universitatis, praesertim in Conciliis oecumen. 380 ss. — eius obiectum 385 ss. — quoad authenticitatem Vulgatae etc. 441.
Infantes quoad fidem 506.
Infideles 269 ss., 281.
Innatismus 529.
Innocentius I. 354, 375, 377 — X. 458.
Inspiratio Script. S. 412 ss. — eius notio 412 — realitas 413 s. — essentia 415 ss. — opiniones erroneae 415 ss. — subsequens 415 — verbalis 417 — quatenus Deus auctor sit et homo 418 — eius extensio 419 s. — ratio canonicitatis 430 — eius cognoscibilitas 431 ss. — „inspiratio“ Occultistarum 530.
Intellectualismus 17, 64, 532.
„*Intellige ut credas*“ 484.
Introductio in theologiam p. XII, 11.
„*Intuitio*“ Occultistarum 530.
Ioannes de cruce S. 311.
Ioannes Evang. 1, 88, 167 ss., 174, 218, 224, 226, 243 s., 431, 434, 449. — eius epistolae 434, 437.
Io 21, 15 ss., declaratur 342, 372.
Ioannes episc. Hierosol. 373.
Ioannes XXII. papa 378.
Iob 148, 428.
Iob liber 428.
Ionas 428; eius liber 428.
Ionathan 112.
Iong K. H. E. de 241.
Ioseph Aegypt. 139.
Ioseph de Arimathaea 208.
Iosephini, Iosephinismus 236, 336, 358.
Iosephus Flavius 190, 202.
Irenaeus S. de ecclesia Romana 373.
Irreligiosismus 21.
Irvingiani 277, 471.
Isaac fuit persona historica individualis 105 ss., 114.
Isaias 179.
Isis 139, 149, 238.
Islamismus; cfr. Mohammedanismus.
Ismaelitae 106, 121.
Israelitae; eorum fides in immortalitatem animae 103 — eorum libri antiquissimi res revera factas tradunt 109 — eorum religio divinitus condita et conservata est 110 — non ab initio polytheistae erant 111 ss. — non antiquitus Feticismo, Animismo, Totemismo serviere 112 — eorum nomina theophora 112 — eorum monotheismus ab initio fuit ethicus 113 — et purus 114 — eorum Deus non fuit deus mere nationalis, sed Deus universalis 115 — eorum monotheismus est unicus sui generis 116 — eorum Deus est persona praecise circumscripta 116 — eorum religio non naturalistica, sed fundata per personas 118 — fuere populus electionis 119 — eorum relatio ad Deum fuit personalis et filialis 119 — eorum religio omnibus aliis praecellit 119 — naturaliter declarari nequit 120 — soli ex omnibus Semitis monotheistae mansere 120 s. — religionem suam non a Babyloniis etc. sumpsere 122 ss. — religio eorum non absolute perfecta 130 — sed praeparatoria ad Christum 130 — a Christo partim adimpleta, partim abrogata est 131 — eorum religio toto caelo superior religionibus populorum aliorum 316.
Itala versio 442.
Italia 317, 531.
Iudae epistola 432 N., 434.
Iudas, filius Iacobi patriarchae 108.
Iuelicher 169.
Iudaei, Iudaismus 10, 13, 17, 21 s., 51, 60, 79, 121 N. 2, 147, 149, 158, 162 ss., 172 s., 180 ss., 189 ss., 202, 204, 206, 238 ss., 242 ss., 246, 250, 261, 270, 349, 423, 425, 436, 438, p. 353 N. 1, 537.
Iudicium credibilitatis et credenditatis 17, 59, 69.
Iudith liber 434, 436.
Iulianus apostata 183, 237, 245, 513.
Iulius papa 377.

Iuppiter 116, 137, 141.
Ius ecclesiasticum 322, 327 ss., 331 ss., 334 s.
Iusiurandum contra Modernismum 538.
Iustinianus I. imp. 373.

K.

Kaftan 479.
Kalthoff A. 171.
Kant, Kantiani 23, 56, 82, 318, 479, 486, 531 ss.
Karma 530.
Kenitae 121 N. 2.
Kephas 339, 343.
Kepler 34.
Kihn 6.
Kikaion 451.
Kilwardby Robert 400.
Kismet 158.
Kittel R. p. 73 N. 1.
Knabenbauer 183.
Kneib 10.
Knurr K. 193 N. 3.
Koch Hugo 256, 346, 531.
Koenig Ed. 122 N. 3.
Kratzer 318.
Krischna 240.
Krose H. A. 153, 302 N. 1.
Krüger 318, p. 228 N. 4.

L.

Laberthonnière 415.
Lactantius 19.
Lang A. 142 ss.
Lateran. Concil. I. 374, 395, 456 — IV. 376 — V. 362.
Latitudinarismus p. XII, 9, 36.
Le Blant 247.
Leibniz 72.
Lenormant 420.
„*L'Enseignement biblique*" 531.
Leo I. papa 352, 372, 374 s. — *IX.* 362 — *XIII.* 370 N., 410 s., 418, 421, 426, 446, 452, 473.
Lessing 66, 82, 166.
Le Roy 531.
Lex naturalis moralis 388.
Liberius papa 377.
Libertas christiana 328.
Lietzmann Hans 349.
Linné 34.
Lippert 140.
Liturgia 27, 252, 291, 395.
Loci theologici 4.
Logia 167, 218, 224.
Logos christianus et platonicus 239 s.
Loisy A. 17, 178, 214, 415, 449, 479, 531 ss., 538.
Lombardica oppositio 332 N. 2.
Lombardus Petrus 8.
Lomer G. 171.
Lot 105 s., 121.
Lourdes 301.
Lucas Evang. 167 ss., 174 ss., 218, 434, 438.
Luc. 22, 31 s. declaratur 341, 372.
Ludovicus XIV. 358.
Luecken 149.
Lugdunense Concil. II. 376.
Lugo de 498 s.
Lumen fidei, gratiae, gloriae 46, 54.
Lunatici 98.
Lutherani, Lutherus 10, 50, 165, 274, 280, 310, 314, 419, 432 N., 447, 513 s.

M.

Macedonii haeresis 375.
Machabaei 181.
Machab. 2; eius auctor et inspiratio 416 — canonicitas 434, 436.
Madianitae 106, 121.
Magia 57, 83, 192, 238.
Magisterium ecclesiae; eius potestas 322, 369, 388 — ut regula fidei proxima 457 ss. — eius notio 455 — realitas 456 — propositio 457 ss. — ut causa profectus fidei 477.
Magnetisator, Magnetismus 82 s., 98, 193.
Manichaei 277, 332 N. 2, 419.
Manismus 111 s., 133, 140 s., 143.
Mantica 88.
Marcellus Ancyran. 377.
Marcianus imperator 362.
Marcus Evang. 167 ss., 174 ss., 208, 213, 218, 226 N., 434, 438.
Marduc 116, 123 ss.
Maria B. V. 68, 77, 121, 240, 301, 401, 459, 462, 464, 469, 475, 500.
Maria Magdalena 206, 210.
Mariologia 395.
Martini Raymundus 10.
Martyrium christianum 236, 247.
Martyrologium Roman. 388.
Materialistae, Materialismus 5, 10 s., 13, 20, 34, 47, 51, 60, 71, 79, 145, 154, 161, 311 s., 330, 529.
Mathaeus ab Aquasparta 400.
Mathaeus Evang. 167 ss., 174 ss., 218, 226 N., 258 s.
Math. 16, 18 s. est genuinus 258 — declaratur 338, 372.
Mathias apost. 323 s.
Matrimonium 52, 270, 272, 387.
Mausbach 509.

Maximus S. 374.
Mazdaismus 129, 243.
Melanchthon 316.
Melchisedech 112.
Melkarth 141.
Messias 162 — vaticinia messiana sunt 179 — in Iesu Chr. adimpleta 180 ss. — Christus voluit esse M. et fuit 219 ss. — eius regnum 261, 274, 471.
Metaphysica 519.
Metempsychosis 154, 531.
Methodistae 59, 87, 448, 479.
Methodologia theol. p. XVII, 10.
Methodus philosophico-historica p. XV s., 12 ss., 523 ss.
Meyenberg A. 429.
Meyer Arnold 215, 232.
Meyer Eduard 109, 129.
Michael Palaeologus 376.
Milevitan. Concil. 354, 464.
Minocchi 531.
Mir 10.
Miraculum 65 ss., 70 ss. — eius notio 70 ss. — divisio 78 — possibilitas et congruentia 79 ss. — realitas 81 — cognoscibilitas 82 ss. — miracula Christi 187 ss.
Missa 280.
Mithras 129, 149, 238, 241 ss.
MittelstaedtOtto p. 197 N. 1, p. 209 N. 1.
Moabitae 106, 121.
Modernismus, Modernistae p. XII, XVI, 17, 23, 39, 44, 56, 64, 178, 277, 324, 346, 415, 456, 465, 479, 484, 517, 524, 529, 531 ss.
Mohammed 43, 157 ss., 188.
Mohammedani, Mohammedanismus 10, 17, 58, 79, 151, 157 ss., 163 s., 236, 246 s., 250, 254, 315; p. 353 N. 1, 537.
Moltke von p. 197 N. 1.
Mommsen 247.
Monachatus, Monachi 244, 311, 322, 332 N. 2.
Monistae; cfr. Pantheistae.
Monophysitae, Monophysitismus 236, 309, 315, 332, 374, 447, 456.
Monotheismus 17, 102 ss., 110 ss., 113 ss., 116 ss., 120 ss., 123, 129, 132, 135 ss., 142 ss., 145, 161 s.
Monotheletismus 377.
Montanistae, Montanus 59, 88, 265, 274, 277, 332 N. 2, 353 N. 10.
Morgan 56.
Moses 100 s., 105, 107 s., 110 ss., 118 ss., 123, 139, 165, 206, p. 253 N. 1, 440, 510.
Moses Maimonides 56.
Moslemin 161; *cfr. Mohammedani.*
Müller Max 29 s., 32, 34, 129, 237, 239.
Murillo Lino 429.
Murri Romolo 531.
Mysteria Paganorum 237 ss., 241 ss., 252.
Mysterium; eius notio 54 s. — realitas 56 — congruentia revelationis 57 — utilitas et necessitas 58 — cognitio ex fide 501.
Mysticismus 238, 244.
Mythologiae 56, 137, 146.

N.

Nabuchodonosor 89.
Nathan 118.
Natura; eius leges 71 ss. — perdita 51.
Naturalis 30 s., 33, 46 — religio 22 — ethica 52.
Naturalismus, Naturalistae 13, 43, 47, 51, 56, 71, 161, 166, 176, 277, 330, 528 s., 536.
Nebo 122 s., 125.
Necessitas medii, praecepti 505 s. — moralis, absoluta 50 ss.
Necromantia p. 209 N.
Neobuddhistae 13, 151, 154 s., 170, 530.
Neopagani 13.
Neoplatonici 133, 238, 400.
Nero 247.
Nestoriani, Nestorianismus 236, 309, 315, 332, p. 238 N. 2, 377, 404, 456, 476.
Nestorius 354, 395.
Newman card. 420.
New-York 310.
Nicaenum Concil. 456.
Nicolaus I. papa 378.
Nietzsche p. 197 N. 1.
Ninivitae 148.
Nippold 236 N. 1, 302 N. 2.
Nirwana 151.
Nitzsch 56.
Noë 100 — fuit persona historica 105 — ab Israelitis non ut deus cultus est 112; 108, 127, 139, 427, 453.
Nomina propria a diis deducta 112.
Nominalistae 5, p. 35 N. 3, 484.
Notae ecclesiae verae 283 s., 287 ss. — competunt ecclesiae Romanae 300 ss. — desunt plus minusve ecclesiis omnibus aliis 309 ss.
„Nova et Vetera" 531.
Novatiani, Novatianismus, Novatianus 265, 332 N. 2, 346, 353 s., 450.

Novum Testamentum; eius libri 238, 242, 431, 437, 475.
Nuytz 350.

O.

Occasio proxima 388.
Occidens 354 s.
Occultistae, Occultismus 13, 56 s., 59, 154, 170, 311, 529 s.
Odin 139.
Ollé-Laprune 17, 64.
Om 139.
Ontologismus 11, 529.
Oostacker 301 N. 2.
Ophitismus 133.
Optimistae 79.
Oracula 98.
Oratio Dominica 259, 530.
Ordinis sacramenti materia 378.
Oriens, Orientales 354 s., 377.
Origenes 8, 419, 451.
Ormuzd 129.
Orpheus 1.
Orly y Lara 10.
Osiris 139, 141, 149.
Ottiger 10.
Ow A. von 139, 149.

P.

Pacifistae 170.
Pagani, Paganismus 10, 21, 36, 43, 50 ss., 60, 79, 87 s., 100, 114, 116 ss. — eorum dii 116 ss., 120, 139 — eius notio et nomina 132 — genera 133 — origo 134 ss. — falsae opiniones 140 ss. — non omnia erant vitia et errores 148 — eius finis 150, 160, 172, 189 ss., 238 ss., 241 ss., 244 ss., 252, 254, 270, 311 s., 315 s., 508 ss., 515.
Palaestina 104.
Pallavicini 445.
Palmer Chr. 310.
Pantheismus, Pantheistae 10, 11, 13, 17, 20 s., 34, 36, 47, 51, 57, 60, 71, 79, 147, 154, 161, 170, 311 s., 479, 529 ss., 536.
Papa 280, 326, 334, est successor S. Petri 350 ss. — id docent Papae ipsi 352 — et alii Patres 353 — et praxis ecclesiae antiquae 354 — falsae opiniones de eius primatu 355 ss. — primatus proprietates et ambitus 359 ss. — oboedientia ei praestanda 368 — infallibilitas 369—379.
Parisiensis Universitas 400, 458.
Parochi 335 s.
Parsismus 129, 238, 243.
Patres SS. 1, 10, 236 s.; eorum consensus 395; 407, 419, 450 s., 456, 492 — apostolici 436 s. — eorum sanctitas et scientia 477, 513.
Patriarchae; eorum religio 100 ss. — fides in animae immortalitatem 103 — revera vixerunt 104 ss. — ut personae individuales 106 — non deificati sunt a posteris suis 105 ss. — literarum gnari fuere 108 — mediatores sunt 330.
Patriarchae (episcopi) 354 s.
Patriotismus 21.
Paulsen p. 197 N. 1, 318.
Paulus apost. 87, 175 s., 189, 206 ss.; eius conversio 74, 78, 206, 212; 218, 237, 244, 323, 347, 417, 447, 515.
Paulus E. G. 71, 166, 188, 205.
Paupertas evangelica 378.
Peccatorum remissio 53.
Peckham John p. 266 N.
Pelagiani, Pelagianismus 375, 377, 395, 447, 472.
Pentateuchus 103, 109, 122, 440.
Pentecostes miraculum 229 ss.
Peregrinatio populorum 236.
Persae 236, 247.
Perseus 141.
Pesch Chr. p. XIV, 10, 429, 499.
Peschel O. 152.
Petavius Dionys. 8.
Petrus apost. 206 — eius primatus 336—347 — successorem habere, debet 348, 466 — Romae episcopus obiit 349 — eius primatus sedi episcopali Romanae annexus est 350 s. — eius epistolae 417, 432 N., 434, 437.
Petrus Aureolus 410.
Petrus episc. Alexandr. 354.
Petrus Fullo 459.
Petrus de Marca 336.
Pfannmueller 169.
Pfleiderer 120 s., 141, 168 s., 172, 175, 230, 237 N. 2.
Phaeton 141.
Philistaei 120 s.
Philo 173, 232.
Philosophi, Philosophia 20 s., 51, 234 — de eius relatione ad fidem et dogma 386 s., 511 ss. — eius insufficientia 501 — est ancilla theologiae 512.
Philosophia „als ob", „comme si" 532.

Phoenices 112.
Photius 352.
Pietistae 23, 59 s., 64, 274, 311 s., 329, 448, 479, 533.
Pistoriensis synodus 265, 388, 458, 473.
Pius VII. 148, 236 — *IX.* 281, 458 — *X.* 17, 44, 178, 528, 538.
Plato 51, 227 N., 239 s., 245, 250, 400.
Plinius 233.
Plotinus 238.
Plutarchus 32.
Pneumatici 265, 510.
Polycarpus S. 354.
Polytheismus 60 — non fuit ante diluvium 102 — cultus polytheistici 117 ss., 133 ss., 158, 238; *cfr. Paganismus.*
Pontificale Consilium de re biblica 468.
Potestas iurisdictionis et magisterii 322, 333 ss.
Praeambula fidei 50 s., 388, 496 ss.
Praeanimismus 137, 142 ss.
Praedestinatio 265, 274.
Pragmatismus 533.
Presbyteri 322, 325, 331 s., 335.
Primatus honoris et auctoritatis 336.
Probabilismus 388.
„*Programma dei Modernisti*" 531.
Progressionismus absolutus 56, 237.
Propheta, Prophetia; eius notio 85 ss. divisio 89 — possibilitas 90 — notae et criteria 91 s. — ut criterium revelationis 93 ss. — solum moraliter certa est 69, 218 — mediatores sunt 330 — prophetarum scholae 87 — miracula 438.
Prophetae Novi Test. 277, 327, 331.
Protestantes, Protestantismus 8, 10, 17, 27, 147 s., 165, 172, 214, 236, 244, 246 s., 264 s., 274, 277, 280, 286, 302 ss., 310 ss., 313 ss., 318 ss., 321, 324, 328 ss., 332, 336, 339 s., 346, 349, 355 s., 372, 402, 404, 415, 417, 419, 431 s., 447 ss., 456, 465, 471 ss., 476, 479, 484, 513 s., 529, 531, 537.
„*Psalmi poenitentiales*" in Babylon 127.
Pseudo-Dionysius 1, 244.
Pseudomystici, Pseudomysticismus 23, 57, 64, 87, 170, 311, 529 s.
Pseudoreformatores; cfr. Protestantes.
Psychici 265, 510.
Ptah 137.
Pythia Delphica 87.

Q.

Quaekeri 59, 277, 329, 448, 479.
Quenstedt 417.
Quesnell 50, 265, 277, 458.
Quietismus, Quietistae 23, 311.

R.

Ra 137.
Raḥab 105.
Rachel 112, 121.
Ramsay 247.
Raptus 88.
Rascolniki 309.
Rasmussen E. 171.
Ratio; eius relatio ad fidem 511 ss.
Rationalismus, Rationalistae 5, 10, 13, 32, 43, 47, 56, 60, 71, 79, 83, 111 s., 159, 163, 169 s., 176, 188, 191, 196, 204, 213, 230, 250, 277, 311 s., 330, 479, 518, 528 s., 536.
Rebecca 105, 114.
Reformatio p. 208 N. 1 — *Reformatores; cfr. Protestantes.*
Regalismus, Regalistae 336, 358.
Regula fidei 455.
Regulae religiosae 388.
Reimarus H. S. 166, 204.
Reincarnatio 154, 530.
Reitzenstein 238.
Religio; eius vox 18 s. — praesuppositiones 20 — differt ab idealismo etc. 21 — eius divisio 22 — essentia 23 ss. — origo 30 ss. — proprietates 35 ss. — necessitas 40 — praestantia 41 — religio positiva innititur principio mediationis 330.
Renan 67, 83, 120, 166, 206, 230.
Reordinationes 378.
Revelatio; mediata 59 — eius notio 42 ss. — divisio 46 — possibilitas 47 — congruitas et necessitas 48 ss. — cognoscibilitas 59 ss. — criteria 60 ss. — obiectiones 66 ss. — ad patriarchas etc. 100 ss., 110 ss. — innititur principio mediationis 59, 330 — revelationes privatae 470 — novae non exspectandae 471.
Revolutio francogallica 236.
Richard. de Mediavilla 400 N. 2.
„*Rinnovamento*" 531.
Ritschl et eius schola 64, 310, 318, 332 N. 2, 486.
„*Rivista storico-critica*" 531.
Rohling 420.
Roma, Romani antiqui 23, 234, 245, 247, 254, 315 s.

„*Romanismus*" 238.
Romanos ad epistola 176, 403.
Romanum imperium 327, 355.
Rosminianismus 536.
Rost Hans 310.
Rousseau J. J. 25, 79, 82, 227 N.
Rudder Petrus de 301 N. 2.
Rumaenica ecclesia 309.
Russica ecclesia 309, p. 238 N. 2, 435.
Ruth liber 431.

S.

Sabaeismus 133.
Sabatier 329 N. 2.
Sabbati celebratio religiosa non a paganis sumpta est 112, 124, 128, 218.
Sabellius 450.
Sacerdotium universale 328.
Saecularizatio 236.
Salomon 125.
Samuel proph. 118, 206.
Sancti 293 s., 301, 309 ss., 388, 470.
Sanctitas; eius notio 293 — ut proprietas et nota ecclesiae 293 s., 301, 309 ss.
Sapientiae liber 434, 436, 475.
Sara 105.
Sardicensis synodus 354, 377.
Sassabasar 181.
Saul 112, 117 s., 125.
Scepticismus 11, 50 s., 145.
Schaezler von 10, 497.
Schamanismus 133, 153.
Schanz 10.
Schell 10.
Schelling 66.
Schenkel 206.
Schiffini Santo 429.
Schintoismus 153.
Schismatici 211, 270, 349, 354, 356.
Schleiermacher; eius schola 23, 56, 64, p. 204 N. 8, 318, 479, 486.
Schmid Alois 499.
Schmid Fr. 508.
Schmiedel 173.
Schnehen W. von 172.
Schnitzer Ios. 256 ss., 337, 346, 531.
Schola theologicae 396 — Alexandrina 417.
Scholastici 1, 236, 397, 407, 477, 492, 512 ss., 523.
Schopenhauer 240 N. 2.
Schuerer E. 168.
Schultze Victor 245.
Schwally p. 73 N. 2.
Schwane 519 N. 1.
Schweitzer A. 166.
Scientia 5; eius relatio ad fidem 480, 511—529.
Scotia 94.
Scotus, de obiecto theologiae 3 — de theologia ut scientia 5 — ut scientia practica 6 — de revelatione 43, 45 s., 51, 59 N., 89 — de apostolis 235 — de ethica christiana 251 — de gratia sanctificante 268 — de primatu Papae 362 — de eius infallibilitate 374 — de Scriptura et Tradit. 406 — de Scripturae infallibilitate 421 s. — de eius canone 433 — de eius interpretatione 450 — de dogmatibus 463, 477 — de profectu fidei 477 — de ordine inter fidem et rationem 518 s. — de naturali cognitione immortalitatis animae p. 359 N. 2 — de metaphysica 519 — vir sanctus et doctus 523.
Scotus Eriugena 496.
Scriptura S. valde credibilis est 69 — mediatrix est 330 — per se solam non sufficit 402 ss — eius notio 408 — divisio 409 — excellentia 410 s. — inspiratio 412 ss. — Deus auctor 418 — libri protocanonici et deuterocanonici 419, 434 ss. — eius infallibilitas 421 ss. — libri historici quidam 428 — eius canon 430 ss. — eius versiones 441 ss. — interpretatio 447 ss. — sensus multiplex 450 — de rebus physicis 451 s. — eius lectio 454.
Secchi 34.
Sectae russicae 309 — protestanticae 310.
Sedes Apostolica 365, 374 ss.
Seeberg 318, 486.
Seitz Ant. 10.
Sell 370 N.
Sem 108 N. 2.
Semipelagiani 464.
Semirationalistae 56, 518.
Semitae 120 s.
Seneca 240.
Sensualismus 20; *cfr. Materialismus.*
Sentimentalismus, Sentimentalistae 23, 529, 533.
Sepp J. N. 149.
Septuaginta 417, 419, 436, 446.
Serbica ecclesia 309.
Sergius 354, 377, 459.
Sergius ep. Cypri 374.
Set 139.

Seth fuit persona historica 105 — non ab Israelitis ut deus cultus est 112 — sed fortasse ab Aegyptiis 139.
Set — Typhon 139.
Sibiria 133.
Sin 111 N. 1, 122 s.
Sina, Sinenses 153, 247.
Sinai 122.
Sirach liber 434, 436, 475.
Sixtus IV. 442 — *V.* 378, 444.
Slavici populi 304.
Smith W. R. 111 N, 172.
Socialistae 170.
„*Societates ethicae*" 23.
Sociniani 479.
Socrates 52.
Socrates historiographus 354.
Soederblom 321.
Sohm 327 N.
Soma 139.
Sorbona 458.
Soter papa 352.
Sozomenus 354, 375.
Spencer 140, 532.
Spener 23, 311.
Spinoza 56, 71, 479.
Spiritismus, Spiritistae 56 s., 94, 98, 170, p. 209 N.
Spiritus S.; eius missio die Pentecostes 229 ss. — eius effusio in mundum 471 — processio ex utroque 475.
„*Spiritus privatus*" 448.
Stadelmann 193 N. 3.
Stave E. 129.
Steiner Rudolf 530.
Stella Bethlehemitica 197.
Stephanus Larissan 364.
Stephanus papa 352 — *VI.* 378.
Stephanus S. 176 s.
Steudel Fr. 172.
Stoll 193 N. 3.
Strauss D. F. 66, 71, 166, 172, 188, 204, 206, 250, p. 204 N. 8.
„*Studi religiosi*" 531.
Suarez 497 ss.
Subconscientia 17, 56, 533.
Suetonius 181.
Sultanus Turcicus 309.
Supernaturalis 33, 46, 57 s.
Superstitio 57.
Sven-Hedin 139.
Swedenborgiani 471.
Syllabus Pii IX. et X. 458.
Symbola fidei 455.
Symbolismus 534.
Symmachus papa 373.
Synoptici 167 ss., 213, 218, 226 N., 243.
Syria 245; *Syriaca* versio 446.

T.

Tacitus 181, 190.
Talmud 180, 204, 232.
Tamburini 336.
Taoistae 153.
Targumim 180.
Tatiani Diatesseron 258.
Tell el Amarna; literae ibi detectae 108, 122.
Tempier Stephan. 400.
Teraphim 112.
Termini technici 474.
Tersteegen 311.
Tertullianus 88, 332 N. 2, 405, 513, 515.
Theismus, Theista 17, 90.
Theodoretus 387.
Theodor. Mopsvest. 387.
Theodor. Studita S. 374.
Theologia 1 ss. — eius distinctio 2 — definitio 2 — obiectum 3 — fontes 4 — ut scientia 5 — eius divisio 6 — scientia theoretica an practica 6 — relatio ad philosophiam 511 ss. — fundamentalis p. XII, 10 s., XV s. — polemica 9 — irenica seu henotica 9 — symbolica 9 — theoretica, positiva, scholastica, practica, historica 6 — moralis p. XIV, 6, 8; *cfr. Dogmatica.*
Theosophi, Theosophismus 13, 17, 56, 154, 170, 529 s.
Theresia S. 311.
Theurgi 87.
Thiersch 27, 313, 448.
Thomas apost. 206, 210.
Thomas Aquinas S.; de theologia ut scientia speculativa 6 — eius Summa c. Gent. 9 s. — divisio miraculorum 78 — mysticus 329 — eius sanctitas et auctoritas 397 s. — dissensio ab aliis Scholasticis 400 — eius Aristotelismus 400 — de Scriptura S. 451 s. — de fide 481, 484 — de fide et scientia 500 — de necessitate fidei in casibus extraordinariis 508 s. — sanctus et doctus 523.
Tiele 32, 237.
Tobias liber 428, 434, 436.
Toland 56.
Totemismus 112, 133, 140, 238.
Traditio; eius notio 391 — divisio 392 — ecclesiastica et simpliciter apo-

stolica 392 — divino-apostolica 392 — inhaesiva, declaratoria, constitutiva 392, 402 ss. — eius necessitas et finis 393 — valor 394 — fontes 395 ss., 470 — ut fons iuxta Script. S. 402 ss. — ut „intelligentia ecclesiastica“ 407 — quatenus a Script. S. superetur 410 s. — ut criterium inspirationis et canonis Scripturae 433 — ut principium interpretationis Scripturae 450 s.
Traditionalismus, Traditionalistae 33, 50, 459, 484, 513 s., 529.
Transsubstantiatio 244, 475.
Tria capita 387.
Tridentin. Concil. 434, 442, 445, 450 s.
Trinitas 55, 58, 240; in vetere testamento 475; 476.
Tylor 140, 142 s.
Tyrrell 415, 471, 479, 531.

U.

Ultrasupranaturalistae 148, 513 s., 529.
Ungari 304.
Unitas ut proprietas et nota ecclesiae 291 s. — competit ecclesiae Romanae 300 ss. — deest plus minusve omnibus ecclesiis aliis 309 ss. — ut proprietas religionis 36.
Universitates 304, 316, 513.
Ur 122.
Urim et Thummim 438.
Usus universalis ecclesiae 395.

V.

Valentiniani 51 N.
Vandali 247.
Van Espen 336.
Varro 137.
Vatican. Concil. 451 N. 3, 458; definitio de primatu Petri 336, 348, 359 — de infallibilitate papae 369 — nihil decidit de obiecto infallibilitatis papae 385 — de disciplinis humanis tractandis 387.
Venus 135.
Veritas duplex non est 473, 519.
Vetere-catholici 336, 355, 456, 478.
Vetus Testamentum 261, 402, 419 s., 431, 475; *cfr. Patriarchae, Israelitae, Iudaei.*
Viae salutis extraordinariae 508 ss.
Victor papa 352.
Vigilius papa 377.
Vincentius Ferrer. S. 91.
Vincentius Lirin. 405, 450, 475 s., 478.
Virtutes activae et passivae p. 323 N. 6 — theologicae p. XIV.
Visio Dei immediata 54.
Vita actuosa et contemplativa p. 324 N.
Voelter Daniel 105.
Vosen 10.
Vulgata; eius origo et authenticitas 441 ss. — inspirata non est 419 — V. Sixtina 378.

W.

Waldensica oppositio 332 N. 2.
Ward 415, 479.
Ware de Guilelm. 400.
Weber Simon 10.
Wegscheider 56, 71.
Weinel 173.
Weise Chr. H. 167.
Weiss 10.
Weizsaecker K. H. 168.
Wellhausen p. 72 N. 1, 168, 525.
Wernle P. 168 s.
Westfalia 94.
Wiclef, Wiclefitae 265, 314, 332 N. 2.
Wilmers 10.
Wodan 139.
Wolff Chr. 166.
Wrede p. 100 N. 1, 225.
Wunderle 10.
Wundt 143.
Württembergicum regnum 310.

Z.

Zahn Ad. 302 N. 2, 310.
Zahn Theodor. 258.
Zapletal 133.
Zarathustra; cfr. Zoroaster.
Zebedaidae 337.
Zephyrinus papa 352.
Zeus 137, 141.
Zigliara 10.
Zio 137, 141.
Zöckler Otto 311 N. 1.
Zoroaster 129, 149, 165.
Zosimus papa 377.
„Zwanzigstes (Neues) Jahrhundert“ 531.
Zwingliani, Zwinglius 280, 314.

1072/

210.2
M 663
26732
AUTHOR MINGES, PARTHENIO, O. F. M.
TITLE Compendium Theologiae Dogmaticae Generalis.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBEL

26732